





1
7
113









IVLII CLEMENTIS SCOTI

E COMITIBVS PLACENTINIS &c.

Animaduersionum

Opusculum Secundum;

Quod in Duodecim Capita tribuitur:
In quorum singulis

Animaduersiones Quinquaginta
Reponuntur:

Pro STVDIOSO *scilicet*

Sacrarum Literarum.
Sacræ Theologiæ.
Theologię Thomisticę, Scotisticę &c.
Theologiæ Moralis.
Philosophiæ Moralis.
Iuris Canonici.
Iuris Ciuilis.
Philosophiæ Contemplantis.
Philosophiæ Aristotelicæ.
Textus Aristotelici.
Medicæ Facultatis.
Mathematicarum Disciplinarum.



PATAVII, Typis Sebastiani Sardi. Anno IVBILAEI M. DC. L.

Cum Superiorum Facultate.

275

INDEX CAPITVM
OPVSCVLI SECVNDI.

277

Illustrissimo, ac Reuerendissimo
Abbati
ROBERTO PAPAFAVAE
Viro inter Patauinæ Vrbis Proceres
Nulli in Nobilitate, Pietate,
Scientiarumq; Peritia
Secundo
Animaduersiones Quinquaginta
PRO ILLO, QVI IN SACRARVM LITERARVM
STVDIVM INCVMBIT
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
E Comitibus Placentinis
In Eos, qui Natalium Splendori
Pietatis, ac Doctrinæ Lucem
Adiunctam habent
Propensissimus
D. D. D.

Caput Primum.

A

bæ, ac
promptu
Deus, a
vt pro ill
num turb
corporis
ſtudio ſe
tate, ac i
uinarum
proprio ſ
trum con
antiqua,
irrefraga
cilia legit
beat eſſe
Scriptura
poſitas q
tendatur
dum nec
um proſ
ſto tam e
ligentia
aliquis I
concilio
morum
habere p
alijs locis
culis imp
tione pro
nem incu
ſunt. 6.
fuerint v
Apoſtoli
rum quiu
Patres,
forſan e
tationi h
&c. 8,

A *Deo*, qui eſt vnicus, pecuriariſq; Sacrarum literarum omnium Auctor, earum intelligentiam, precibus enixè petat, & aſſiduè. Si his adiungantur preces Sanctorum Virorum, qui plures Canonicos conſcripſere libros, ac fuerunt ſcribæ, ac veluti amanuenſes Diuini (& de hoc illi rogandi) magis promptum ſe procul dubio exhibebit bonorum omnium largitor Deus, ad conferendum homini tam ingens huiuſmodi beneficium, vt pro illo conſequendo Sanctiſſimi, ac ingenioſiſſimi Viri ab hominum turba ſemet remouentes, frequentiſſimis precibus, varijſq; corporis afflictionibus, ſimulq; acerrimo, linguarum nominatim, ſtudio ſe ipſos plurium ſpatio annorum tradiderint. 2. *Vitæ probitate*, ac inter Virtutes, *Humilitate* præſertim, & *Caſtitate* ſe ad Diuinarum Vocum intelligentiam habilem reddat. 3. *Pertinaciam* in proprio ſenſu maximè vitet. Conciliorum Decretis, vnanimiq; Patrum conſenſui in explicatione Scripturæ (quorum teſtimonium ſi antiqua, generali, & conſtanti traditione habeatur, tanquam irrefragabile teſtimonium talis Scripturarum ſenſus habuerunt Cōcilia legitima ſemper) iudicium ſuum ſubmittat. Cum aliquis debeat eſſe Iudex in Controuerſijs, quæ agitantur in intelligentia Sacrę Scripturæ, quę ſæpiſſimè admodum obſcura eſt, variaſq; imò & oppoſitas quandoq; admittit interpretationes, ſi verborum cortex attendatur, ſitq; interdum determinatio talis interpretationis admodum neceſſaria Chriſtianæ Reipublicæ ad hoc vt vnanimi cultu Deum proſequatur, ſeruetur ſq; pax inter chriſtianos, Caritaſq; à Chriſto tam enixè commendata; priuato cuiuſuis ſenſui huiuſmodi intelligentia tribui non debuit, ſed à Chriſto conſtitui debuit publicus aliquis Iudex, qui iuxta Catholicos eſt ſaltem Pontifex vna cum concilio Generali legitimè coacto definiens. 4. *Definitiones* legitimorum Conciliorum circa Sacræ Scripturæ intelligentiam Curet habere perſpectiſſimas; eaſq; contra hæreticos ſtabilire ſemper ex alijs locis ſcripturæ, & Patribus, illis etiam, quorum libri noſtris ſæculis impreſſi ſunt, nitatur. 5. *Inter S. Patres* eos peculiari veneratione proſequatur, qui ex profeſſo in ſacrarum literarum meditationem incubuerunt, quam in eos qui incidenter, & curſim interpretati ſunt. 6. *Ex Patribus* iiſdem pluris æſtimet antiquiores; illi enim cum fuerint viciniores Chriſto, Apoſtoliſque, ac illis, qui verſati ſunt cum Apoſtolis, profectiorem intelligentiam habuiſſe Diuinarum literarum quiuis prudens ſibi facile ſuadebit. 7. *Cum diſſentiunt* inter ſe Patres, & maximè ſi hi ſint è celebrioribus, vel antiquioribus (niſi forſan eſſet quid poſtea à legitimo definitum Concilio) vni interpretationi haud ita adhæreat, vt aliam exiſtimet penitus improbabilem &c. 8. *Cum aliquis* Scripturæ locus affertur à Concilij Patribus, ſol-

licitè videat, an illum interpretari velint authenticè, an solummodò
incidenter, & ex occasione illum tractent, illique tribuant explica-
tionem desumptam ex aliquo S. Patre nominatim; tunc enim solum
tanquam probabilis, vel probabilior talis explicatio admittenda,
eaque iuxta talis S. Patris, vel Doctoris sensum admittenda: Si verò
contingat, vt S. Pater, vel Doctor diuersas interpretationes, easq;
probabiles eiusdem sacrarum literarum loci admittat, Conciliumq;
ea propemodum Sãcti Patris verba proferat, quæ S. Pater protulit,
dum Concilio propositum non fuit tale dogma definire, iuxta huius
Patris quoq; sententiam, qui vt probabilem tantum huiusmodi in-
terpretationem habet, vt patet e diuersis eiusdem S. Patris interpre-
tationibus, talium Scripturæ Sacræ vocum tradidisse sensum, Vide-
tur absq; dubio præsumendum. 9. *Cum in intelligentia* Sacræ Scrip-
turæ dissentiunt inter se *Interpretes Sacræ Scripturæ*, qui à nonnullis
iam sæculis floruerũt, etiamsi fuerint Theologi, ac primarum partiũ
existimati, & *antiquiores Patres*, potior his fides habenda. Ea fuit
apud Concilia S. Patrum, antiquiorum maximè, veneratio, vt inter-
dum plurima Conciliorum Acta fuerint versata in inuestigando sen-
su vero huius, vel alterius S. Patris, cũ controuersia versaretur circa
aliquod fidei dogma. Non negatur tamen, quin possit aliquis scriptu-
ræ locus aptius explicari à Scolasticis, quam ab aliquo e S. Patribus
fuerit explicatus. 10. *Non sit facilis* in damnandis interpretationi-
bus Sacræ Scripturæ, tanquam contra fidem; Constare debet, esse
hanc, vel illam interpretationem cõtra fidem; secus iniuria fit maxi-
ma interpreti, & præiudicium infertur ipsi fidei, cum circa hanc
determinatam interpretationem quis enititur, vt assensus, fidei Diui-
næ eliciatur, qui re ipsa debetur tantummodo ijs interpretationibus,
de quibus non est apud Catholicos Doctores controuersia vlla.
11. *Caueat* ne studio aliquibus adulandi, vel ex passione aliqua pri-
uata, vel ingenij exercendi causa aliquam interpretationem Sacræ
Scripturæ verbis nonnullis excogitet, antiquissimis Patribus penitus
ignotam, vel etiam quandoq; aduersam, siue minùs congruam, ac
literali sensui dissonam; præter enim iniuriam, quæ fit ipsi Deo, dum
præter, vel contra eius mentem verborum ipsius interpretatio ad-
hibetur, possunt non pacui sui honoris, suæ Dignitatis, Potestatis, ac
Iurisdictionis plus æquo amantes talibus innixi interpretationibus
multa sibi præter ius, vel etiam contra ius arrogare; aliorum iuris-
dictionis fines inuadere; sibi subditis onera importabilia imponere;
se omni fermè humana lege exemptos censere; quod sibi libet, tan-
quam licitũ, reputare &c. Hæreticos, vel suspectos de Hæresi pu-
tare illos, qui suis obstarẽt sensibus, cupiditatibus &c. 12. *Significa-
tionem vocum* Sacræ Scripturæ ex ipsamet sacra desumat scriptura;

si enim

ſi enim Deus voces ſuas talem voluit habere ſignificationem, cur humana ſapientia, quæ ſtultitia eſt Deo, aliam ſignificationem illis tribuere velit? Quamnam poterit rectam aſſequi notitiam vocum Diuinarum, qui aliter eas interpretaretur, ac ipſe Deus voluiſſet? Quid verò, ſi penitus diſſonæ ſint Diuinis ſenſibus ſignificationes? Intelligetne vnquam quis Ariſtotelem, qui aliter voces Ariſtotelicas ſumit, quam Ariſtoteles voluit? Cum haud nota eſt ſignificatio Vocum Sacræ Scripturæ, ea deſumenda eſt ex antecedentibus, conſequentibus, adiunctis in eodem loco; vel ex alijs locis S. Scripturæ, in quibus illa vox affertur, vel ex interpretatione S. Patrum, maximè antiquiorum, Conciliorumq;. Quare interpretabitur ineptè Sacras literas, qui vocum acceptiones deſumat e Philoſophia, vel alia ſcientia naturali, & non ex ipſiſmet ſacris literis, dum ab his haberi queunt. Scientiæ Naturales, ſiue Humanæ locutiones ſolùm debent eſſe in ſubſidium interpretationis Vocum, quæ in hac ſupernaturali ſcientia deficiat. 13. *Nunquam* torqueat Scripturæ voces ad ſenſum Philoſophorum, & quoruncumque ſcientificorum. *Diuina ne ſapientia* ſerua erit humanarũ ſcientiarum? Perueſtigandus Sacræ Scripturæ verus ſenſus, cui ſi repugnant quicunq; alij ſcientifici, ac ſapientes exiſtimati in ſuis effatis, hæc abſq; dubio falſa erunt; Cur ergo horum falſitati illarum veritas accõmodari debet? Non leuem iniuriam facit Chriſtianus Doctor Deo, dum docet multis in locis Deum locutum fuiſſe impropriè, abuſiuè &c. ex eo ſolùm, quod ſi in propria ſignificatione tales voces ſumantur, non eſſent accommodatæ ſenſibus nonnullis aliquorum Philoſophorum, Mathematicorum &c. 14. *Literalem* maximè ſenſum aſſequi ſtudeat; hoc eſt, Verba Scripturæ *in communi, propriaq; verborum ſignificatione* (niſi de ſpirituali cõſtet ex ipſiſmet ſacris Literis, vel ex Concilijs, Patribuſq; vel literalis alienus ſit à Regula fidei, ac rationi prorſus repugnet) accipiat; maximè cum ex ſolo literali ſenſu Dogmata Catholica haberi poſſe (niſi aliunde conſtet infallibiliter de ſenſu ſpirituali) celeberrimi Doctores ſentiant. Cum autem leterales non raro plures reperiantur, illum eligat, quem pro certo habere poteſt eſſe talem; & ſi de hoc non conſtet, quem agnoſcit eſſe *literæ accommodatiorem, vel Magis congruentem S. Patrum ſenſui, aut interpretationi, vel magis conducere ad pietatem veram &c.* Erit autem magis laudabilis, ſi plures, vel ſaltem celebriores ſenſus literales teneat, & inter literales quinam magis genuinus; Hi dum ſunt probabiles tantùm, caueat, *ne vni adhæreat, tanquam certo, illumue proponat, tanquam certum alys, vel ex illo deducat aliquid, tanquam certum.* 15. *Enitatur* habere; quoque perſpectos alios ſenſus, quos ſacræ literæ non raro habent præter *Literalem* purè ſcilicet, illum, qui dicitur *Figuratus*, ſiue *Metaphori-*

cus,

cus, & *Parabolicus*; nec non *Spiritualem*, siue ille sit *moralis*, vel *allego-
ricus*, siue *Tropologicus*, siue *Anagogicus*; Quos tamen sensus non in
omni scripturæ libro, nec in vtroq; testamento, multoq; minùs in
singulis sententijs fas erit illi reperire; neq; in his omnibus excogi-
tandis sensibus in plerisq; Sacrę Scripturę locis tempus, ingeniumq;
consumat; non rarò enim minùs congrui, & vtinam non inepti
occurrent, maximè si literalem non tenuerit, in quo omnis spiritua-
lis, siue mysticus fundari debet: *Hinc spiritualis* haud excogitandus,
si *literalis* haud præsuppositus. 16. *Accommodatitios* quosdam sen-
sus ad res ludicras, vanasque, multoque minùs ad inhonestas, vel de-
tractiones, vel adulationes in Scripturæ vocibus effingat; vel si qui
effingantur, eos penitus reijciat, nec libenter eos audire vlla ratio-
ne significet. 17. *Nunquam* ad confirmandas aliorum, siue proprias
opiniones afferat scripturæ loca, quæ non faciunt ad rem, & incon-
gruè aptantur; excitantq; in sapientibus Catholicis, & qui illa exa-
mini subijciunt, bilem, ac in hæreticis cachinnũ; videtur autẽ in hoc
scripturarum Auctori Deo iniuria fieri, nec leuis. Hinc haud eo-
rum vestigijs insistat, qui prius secum statuunt tales sequi opiniones,
vel ita sentire; ac deinde ad sensum suum sacra e Biblijs, licet valde
incongrua, aptant testimonia, & ad voluntatem suam Scripturam
trahere conantur, quandoque etiam repugnantem. 18. *Haud* simi-
litudinarias locutiones in quemlibet vsum indifferenter vsurpet, sed
eum, in quem currit similitudo, sollicitè attendat; secus ingens peri-
culum hæreticorum etiam dogmatum subibit. 19. *Nouos* sensus, siue
literales, siue spirituales a quocumq; inuentos in sacris codicibus,
si congrui sint, aptiq; nec repugnent vnanimi Patrum consensui,
siue fidei &c. haud damnet; mira enim est sacrarum fœcunditas li-
terarum; nec earum sensus noui ita multiplicari poterunt, vt alij nõ
supersint. 20. *Quidam* sensus a Viris pietate, vel sanctitate præstan-
tibus Sacris literis quandoque tributi, licet illi fuerint, sintq; idiotę,
haud sunt spernendi; *reuelat* enim, siue patefacit interdum *Deus par-
uulis*, quæ *abscondit à Sapientibus, ac Prudentibus*. Cæteris tamen pa-
ribus præferenda interpretatio, quę habetur ex Viris simul valdè
pijs, doctisque. 21. *Cum Deus* ipse voluerit in Sacris literis multos ad-
mittere sensus, eosq; probabiles, multaq; ignorari circa illa, quæ in
illis traduntur; haud quis consilium Dei damnet, velitq; sapientior
ipsomet Deo haberi, tanquam certos sibi, vel alijs suadens, qui pro-
babilitatis, vel maioris probabilitatis fines non excedunt; aut tan-
quam ad fidem pertinentes nonnullas agitet quæstiones ad eam re-
uera non spectantes, iudiciumq; suum tanquam ex tripode interpo-
nere velit. 22. *Haud putet* quis sibi sacrarum intelligentiam scrip-
turarum à Deo reuelatam esse, & ita vt aliorum spernat etiam

San-

Sanctorum, vel piorum , ac doctorum virorum interpretationes; Argumentum est fermè euidens id animi, vel insani, vel superbi, adeoq; suspicari quis vehementissimè, & rationabiliter potest, huiusmodi interpretationem viri haud satis esse congruam; eoq; id facilius præsumi poterit, quò minùs hic erit versatus in intrinsecis Theologię locis, publicaretque sibi reuelationem factam &c. 23. *Non disputet* cum vllo hæretico de intelligentia multorum S. Scripturæ locorum, nisi sit plenè in Sacrarum literarum expositione versatus; solent enim hæretici esse valde versati in Sacris literis, quas ab infantia quoque communiter discere incipiunt; solent habere peritiam quoq; linguarum, S. Patrum &c. Nec ad sinceram scripturarum intelligentiam assequendam quædam subtilitates Philosophicæ, Theologicæ &c. coram illis, vel à differentibus cum illis afferendæ sunt; irridebunt enim illas, in nulloque pretio, & interdum non immeritò, habebunt. Idem quoq; cum Hæbreorum gente præstandum. Aliqui minùs periti cum huiusmodi hominibus disputãtes (e quibus plures in Rhetoricis excellunt quoque, linguaq; prompti, ac eloquentes sunt) vel decepti sunt, & ad Hębraicas, vel hæreticas opiniones pertracti, vel vacillantes, dubijq; in fide redditi. si verò illismet, qui disputabant Catholicis id non accidit; sæpe tamen hęc importata incommoda illis imperitioribus, in quorum præsentia talis habita disputatio, vel discursus: semper tamen imminutus fuit honor Catolicæ Religionis, cum fuerunt obmutescere coacti, visiq; ineptas, ac vanas afferre responsiones Catholici: eoque magis, si vltro etiam se quandoque obtulerint ad huiusmodi dissertationes; siue etiam hæreticos, Hæbreosque prouocarint. 24. *Nisi valde* versatus sit incontrouersijs cum hæreticis, & exactam habeat cognitionem Dogmatum verè Catholicorum, perlegat Scholia, Adnotationes, Interpretationesq; ab Hæreticis, siue Hæbreis factas spectantes ad Sacras literas; persæpe enim latet anguis, & sub herba, verborumque lenocinio; imò interdum quæstiones consultò agitant grauissimas, doctrinasque varias, ac cæteroqui dignissimas lectu tradunt nominatim hæretici in quibusdam libris, quibus falsa inseruntur pronunciata, vt faciliùs minùs Cautos Catholicorum animos decipiant. 25. *Textus* Sacræ Scripturæ habendus integer, ac sincerus; à pessimis enim hominibus corruptus ille non est rarò, typisque consultò etiam vulgatus. Vbi in aliqua Ciuitate imprimi, vel semel cæpit Sacrus Codex non integer, ac sincerus, rationabilis postea suspicio suboriri potest, an idem Sacrus Codex subsequenti tempore ibidem impressus eandem iacturam passus fuerit; ideoque ibidem impressus perrarò saltem emendus. 26. *Perspectos* habeat Canonicos libros, & qui vt tales ab Ecclesia vniuersali in legitimis recepti sunt Concilijs,

& qui

& qui perpetua, constantiq; traditione à primis sæculis accepta, tanquam Canonici habiti sunt: reliquos tamen, qui laudati sunt à Patribus, vel in pretio habiti ab Ecclesia licet haud in Canonicorũ numero repositos non contemnat; imò ex illis quandoque plura, ad confirmanda etiam Dogmata Catholica desumere potest. 27. *Tradat* se lectioni S. Patrum à primis, incipiendo ex ordine vsq; ad subsequentes, qui sacras interpretati sint literas, illorumq; sensum circa Dogmata controuersa præcipuè studeat intelligere; aduertatq; nominatim, circa quæ sit vnanimis consensus, & circa quę sint eorum discrepantes sensus. Circa literalem sensum e Patribus antiquioribus Græcis videntur præcipuè euoluendi *S. Basilius, S. Crisostomus*, ac *S. Cirillus*, e latinis *S Hieronymus* in interpretatione veteris testamenti maxime; *S. Augustinus, S. Ambrosius, S. Hilarius* &c. Theophilactus, Euthimius, Oecumenius, ac Beda potiùs sunt compilatores; Circa mysticum, siue Allegoricum *Origenes*, ac *S. Gregorius*. Habent hi, alijq; Patres in Scripturarum interpretatione peculiares, sibiq; proprias laudes quasdam. 27. *Linguarum* peritiam habere curet, hoc est Græcę, Syriacæ, Caldaicæ, ac præsertim Hebraicę: perfectiorem quidẽ acquiret cognitionem Diuinorum sensuum; horum enim persæpe non adeò perfecta haberi potest e sola Vulgata, Latinaq; editione. Codices autem istos Syriacos, Chaldaicos, Hæbraicos, ac Græcos curet habere non corruptos, sed approbatos. 28 *Inter* enumeratos S. literarum Codices maiori quidem per se habeat *Syriacam*, quam *Chaldaicam*, sed maximo semper in pretio Versionem *Septuaginta Interpretum* Grę cam, quæ etiam iussu *Sixti V.* vulgata fuit: *tum quia illa versio* peculiari diuino nutu, sensuq; dicitur facta: *tum quia illa vsus fuit Christus*, vsi fuerunt Apostoli, vsi fuerunt primorum Ecclesię sæculorum Patres, & Pontifices: *tum quia post latinam*, Vulgatamq; editionem à peritioribus etiam Latinis, Vulgatæque amantissimis maxima semper habita in veneratione fuit &c. E ceteris editionibus Græcis maior fides *Theodotionis*, quam *Aquilæ*, & *Origenis*, quam *Hesychij* versionis erit. 29. *Ita Vulgatæ* editioni adhæreat, vt tamen studium non ponat in conando euincere, quod latinæ editionis interpres (excipiuntur, quæ ad Fidem, Bonosq; mores spectãt; in his enim semper Vulgata est præferenda) haud sit allucinatus; non aliqua parum accõmodatè verterit, minusq; latinè expresserit; non aliqua obscurè, & ambiguè interpretatus fuerit &c. Hic enim labor irritus erit re ipsa, irrisioniq; peritiorũ semet exponet; neque enim negari potest, quin multa, maximè ex Græco textu versa magis congruè, magisque sigificanter explicari potuerint; ideoq; aliqui cuperent, vt aliquis Catholicus linguæ Græcæ peritissimus Græcum textum exactissimè latinitati donaret. 30. *Perlegat*

plures

plures, quas etiam Ecclesia admittit, latinas versiones; eadem
enim vox, imò & periodus in vna sæpè melius, aptiusq; explicatur,
quam in alia &c. ac præterea varij sensus, qui potuerunt à Sancto
Spiritu intendi, ex earum lectione colligũtur multis opportuni. Ma-
iori inter has in pretio habendæ quæ à pluribus, maioriq; pietate, ac
linguarum peritia instructis prodierunt; minori, quæ à Viris Caho-
licis non prodijssẽt. 31. *Animaduertat*, an ex Biblijs, quæ ab hæreti-
cis quoque, vel Hebræis admittuntur, desumi possint argumenta
contra eorum dogmata ad hominem, sicuti dicitur; nam illa
maiorem vim contra eos habebunt. 32 *Quonam* idiomate quicumq;
Canonicus liber à Sacro scriptore fuerit conscriptus habeat perspe-
ctum, & si fieri possit, eum, dummodo non sit corruptus, in suo idio-
mate perlegat, vel saltem habeat versionem, quæ primò edita à viro
probatæ fidei, ac versatissimo in illo idiomate. 33. *Singulas* quasque
voces, ac particulas obseruet; si enim Deus immediatè Sacro scrip-
tori singula verba, singulosque sacrorum verborum apices sugges-
sit, non temerè potiùs hæc, quam illa, hæc antecedentia, illa subse-
quentia &c. suggessit. Si Aristotelicus textus tam multi à nonnullis
fit, vt in singulis illius verbis, nedum periodis, mira aliquando latere
sapientiæ arcana putent, suoq; Marte, etiã effingant; an nõ id ratio-
nabilius de Sacris Codicibus sentiẽdum, cũ illorum Auctor sit Deus,
qui est summa, imò & infinita sapientia, & qui omnia fecit in *nume-
ro, pondere*, ac *mensura*? *Animaduertat* tamen ille ingens discrimen
inter illa, quę Canonicus scriptor impellente Spiritu Sancto scripsit,
nam hæc humanam quamcumq; superant auctoritatem, & inter il-
la, quæ ab alijs dicuntur personis, quas sacer scriptor loquentes in-
ducit; nam hæc non maiorem habent firmitatem, quam sacer scrip-
tor illis tribuat, vel quam res ipsæ, quę dicuntur ab illis, aliunde
habeant. 34. *Euoluat* sępissimè Sacros Codices, sitq; saltem magis
assiduus in illis euoluendis, quam sint multi in euoluendis libris Ari-
stotelis, aliorumq; Philosophorum, Theologorum &c. In dies no-
uos percipiet sensus antea incognitos. Talis est sapientię in sacris
Codicibus latentis abyssus, vt non solùm nunquam exhauriatur, vel
ab humano intellectu exhauriri queat; verùm etiam quo maior ex
hoc fonte sapientæ aqua hauriatur, eò copiosior supersit haurienda.
45. *Cum aliqua* veneratione tractet sacros Codices, memor cultus,
qui in Concilijs, & à Sanctissimis Viris, dum eos nominatim legebãt,
illis exhibitus fuit. Videtur æquũ, vt hi etiã à reliquorũ turba libro-
rum seponantur. 36. *Aliquem* nouum sensum, non repugnantem
tamen vnanimi Patrum consensui, ac Regulę fidei, Rationiq; aptum
tamen, concinnumq; excogitet, eumq; ad vtilitatem publicam ma-
ximè in moribus, & ad maiorem sacrorum Codicum venerationem

publicè proponat. 37. *Reprobet* non tantùm illos ſenſus myſticos,
ſiue ſpirituales,qui ſunt contra literalem,verum etiam eas argutias,
quę vulgo *Concetti Spagnuoli* dicuntur , quas excogitant quidam
leuis ingenij, ac nullius quandoque iudicij homines , nonnullique
ſcioli in aliquibus ſcripturę vocibus,quę non faciunt ad rem , & cum
quibus nullam connexionem habent , imò ſæpè legitimo ſacrarum
vocum ſenſui aduerſantur, & ſunt plerumq; nonniſi verborum luſus,
qui ſolummodò ab imperitulis plauſum habere queunt. 38. *Non
exiſtimet* quemcumq; e S. Patribus rectas , veraſq; interpretandi S.
Scripturam leges ſemper amplexum fuiſſe, & numquam erraſſe;
adeoq; nullus à minus recta interpretatione ſe excuſare poterit, ſi
aliquem e S.Patribus afferat ſuę interpretationi,vel alicui à ſe exco-
gitato ſenſui aliquomodo fauentem, 39. *Amplectatur* aptiorem Sa-
cros Codices interpretandi modum, qui (cum voces,earumq; ſenſus
non ſunt ſatis notæ) videtur eſſe , dum quis ex vno loco Scripturæ al-
terum interpretatur ; vel ex minùs obſcuro alterius magis obſcu-
ri notitiam aſſequi conatur. 40. *Neceſſarium* eſt pleriſque, vtiliſſimũ
omnibus, vt quæ à viris ſapientiſſimis collectæ ſunt leges circa inter-
pretationem ſacrorum Codicum,figuras,phraſes,ac modos loquendi
apud ſacros ſcriptores cõſuetos,ſiue idiotiſmos &c. optimè teneat;
& præterea cum aliqui ex ſacris Codicibus habeant etiam peculia-
res Canones ad eorum interpretationem , qui à celeberrimis inter-
pretibus ante talium librorum interpretationem ſcripti ſunt,ac edi-
ti,hi perlegendi ; non omnibũs tamen ea habenda fides, vt an aliquę
earum legum,ſiue Generalium,ſiue Particularium legitimę omnino
ſint , non liceat diſcutere , & ſi minus veræ deprehendantur , ab iis
diſcedere. 41. *Opus habet* laudabilis Sacrę Scripturę interpres ſci-
re, Qui, & *Qualis* fuerit ſcriptor talis libri Canonici, *Quandonam*, &
in *Quo loco* ille ſcriptus; *Quo tempore* ex idiomate,quo conſcriptus fuit
ab Auctore Canonico,donatus alteri linguę; *Quot verſione* factæ,& à
Quibus, & *Quando* ; & *Quanam* approbatæ,vel magis probatę; *Qui-
nam ſint libri* , qui ſemper vt Canonici habiti ſunt ab omnibus Patri-
bus; *Quinam* libri Allegoriam contineant , *Quinam* Hiſtoriam &c.
Qua ratione aliqui ad poſteros tranſmiſſi perpetua traditione , aliqui
perierint;aliqui inuenti poſt multorũ annorũ occultationẽ;in quanta
veneratione ſemper habiti &c. 42. *Si quando* deprehendat ſe,in ali-
qua interpretatione erraſſe , vel minùs congruam interpretationem
feciſſe , non pudeat ſuam retractare ſententiam ; hoc enim & cele-
berrimi S. Patres , qui ex induſtria quoque ſacras Litteras inter-
pretati ſunt, cum maxima ipſorum laude pręſtiterunt. 43. *Si expe-
rientia*, vel ratio naturalis verè demonſtrat aliquid ita ſe habere, vel
non habere , nunquam contrarium quis euincere poterit ex ſacris
Codi-

Codicibus ; verum enim vero non repugnat : Aliqua quidem sunt supra, nulla verò contra lumen naturale. Non assequitur quidem Sacræ Scripturæ sensum , qui eius voces repugnare dicit manifestis experientijs, Principijs &c. Si verò certum sit, aliquam doctrinam, vel aliquod effatum haberi in sacris literis , illa experientia fallax erit, ratio erit apparens &c. Verum quidem est, non rarò Deum in sacris literis loqui secundum opinionem vulgi , & cõmunem loquendi modum. 44. *Minorem* habeat fidem interpretationibus, quæ a Sanctis Patribus traduntur in Concionibus Homilijs , Sermonibus, similibusq; ad populum habitis;accommodatitios enim tunc maximè sensus, & qui sunt populi captui accommodati , licet minùs congruos, amplectuntur, Euoluendi maximè qui ex professo , & quando ex professo interpretantur ; & adhuc præcipuè, quando cum hæreticis , alijsue habent controuersiam de alicuius Sacræ Scripturæ loci intelligentia . 45. *Esset* laudabilis , qui adhibita etiam aliorum ope ad communem vtilitatem omnes sensus spirituales , siue mysticos , tum e S. Patribus , tum ex alijs Auctoribus selectos,veros , ac legitimos literali innixos sensui vniuscuiusq; loci Scripturæ , incipiendo à Genesi, simul reponeret. Opus quidem esset ingentis laboris, sed maximæ vtilitatis. 46. *Esset etiam* multa dignus Laude , qui ex Sacra Scriptura colligeret Physica, Mathematica , Medica, ad Ius Canonicum , ac Ciuile spectantia &c. Commendatissimus est , qui Politica, & Oeconomica præcepta duobus libris distinxit collecta ex dictis, factisque Sacræ Scripturæ. 47. *Nullus sine errore* (nisi peculiariter à Deo dirigatur)omnia,quæ sunt in sacris Codicibus rectè intelliget, qui non sit peritus in Theologia ; in Philosophia,tum rationali, tum naturali , tum morali; in Mathematica; Medicina,alijsq; similibus scientijs; quamplurima enim ad has spectantia scientias ibi tractantur. 48. *Historiarum* prophanarum cognitio , ac præcipuè eorum, quæ contigerunt maximi ponderis tali tempore, quo talis liber sacer conscriptus , tale factũ recensetur a sacro Codice &c. *Cronologia temporum* , *Geographia &c.* maximè conducit ad rectam intelligentiam , interpretationemq; Scripturæ. In illis tamen , hisque similibus scientijs , quæ quandoque sunt , siue possunt esse tantummodo ad ornatum Sacræ Scripturæ interpretis, nõ maximã, vel plurimam temporis partem impendat ; cui sufficit etiam probabiles Auctorum ,qui in illis excelluerunt scientijs, opiniones amplecti. Satis ille desudat in eruendis legitimis sensibus literalibus, ac spiritualibus , ac illis maximè , qui ad mores instituendos , efformandosq; conducunt. 49. *Sicuti studiosus* S. Scripturæ debet habere perspectos illius locos, quibus Catholici sua stabiliunt Dogmata, & quibus ab hæreticis oppugnantur , ac inuestigare, an aliquis locus

etiam æquè, vel etiam magis accommodatus reperiatur in Sacris literis, quibus Dogmata Catholica confirmentur, & an aptior efficaciorq; responsio afferri queat locis contra illa ab hæreticis allatis; ita non omnes hæreticorum interpretationes, tanquam falsas, minusque congruas reijciat; neq; enim quidquid hęretici scribunt, contra Catholica Dogmata scribunt. Pręterquam aliqui facilè affirmant, scribunt, eduntque uonnulla Dogmata esse Catholica, quæ haud talia sunt; & contra hosce, qui vt proprias stabiliant sententias, eas venari conantur in sacris literis, vtilissimum quandoque esset ad eorum retundendam superbiam, pertinaciamq; ostendere, locos, quos afferunt e Sacris literis; non essead rem; esse similitudinarios; esse ad summum accommodatitios; potiùs fauere aduersarijs &c. Non expedit quidem, vt tanquam Catholica dogmata euulgentur nonnulla, quæ haud talia sunt, eaq; asseratur in sacris haberi literis corã populo, minusque peritis, cum sint priuatæ tantummodo opiniones, vel sententiæ inter Catholicos Doctores, Scriptoresq; controuersę; multoq; minus expedit, vt ad huiusmodi quęstiones soluendas, quæ in dies singulos oriri queunt, frequentes fiant definitiones ab Ecclesia &c. Expedit magis seuerissimè prohibere, ne quis alium aliter sentientem damnet, tanquam hęreticum, vel vllam notam opinioni inurat. In sacris quidem literis maximè commendatur *Pax*, *Charitasque*. 50 *Laudabilis* esset, qui paraphrasim aliquam, etiam Rhetorũ more, in aliquos S. Scripturæ locos faceret, qua magis sensus expli caretur nonnulliarum vocum, ac periodorum: *Magis laudabilis*, qui commentarios conscribit, quęstionesq; excitat, re vera spectantes ad meliorem intelligentiam talis loci, afferẽtesq; vtilitatem intellectui, qui inde plurimorum notitiam acquirit, vel voluntati ad reformandos mores &c. *Non laudabilis* per se, qui tot quęstiones excitaret ad plurimos Scripturæ locos (& maximè si hę non faciant ad perfectiorem intelligentiam eorum, sintque solùm ad ornatum quemdam, vel nullam habeant perse connexionem) vt quamplurima, eaq; ingentia volumina conscribenda sint, in quibus Medicæ, Philosophicæ, Historicæ &c. quæstiones. *Vituperandi videntur*, qui difficiles, arduasq; quęstiones fugiunt, res parum examinant, multis propositis sententijs lectorem, vel auditorem dubium relinquunt, aliquemq; scipturæ librum explicandum assumunt, non tam vt exponant (nihil enim ferè dicunt, nisi quod obuium cuiq; est) quam vt conciones, & integras quandoque, ibi reponant; eruditiones collectas ex varijs eruditorum libris ibi inserant, rebusquę sacris vtcumq; accommodent; conceptus quosdam futiles, si legitimæ exponantur discussioni, ibi recludant; oratoria, poetica, ac interdum fabulosa stilo quoque oratorio, siue diserto Rhetoricorum classibus proprio, & quæ Rhe-

toricam,

toricam, vel Humaniores literas docentes tradiderunt, exponant, haud lucem publicam aspectura, nisi hac sacrarum literarum luce cooperirentur &c. *Felix ille quidem*, qui ab infantia sacras discere literas cæperit, & in earum Catholica intelligentia cum ætate maiorem fecerit semper progressum, idoneosq; ad id habuerit libros, vel Præceptores, mediaq; alia ad id adhibuerit opportuna: Ad sacras quidem literas, tanquam ad lydium lapidem, exploranda sunt omnium dicta, factaq;. *Nam si illis consona*, laudanda; *si dissona*, vituperanda esse, certum esse debet Catholico cuique. *Caro* quidem, & *sanguis* non *reuelant* ea, quæ sunt *Spiritus Dei*. Christi doctrina per Euangelistas tradita *Ignis est* e cælo delatus ad Amorem Dei, proximiq;, non sui, vel suorum tantummodo, corda illorum, qui Scripturas perscrutantur, accendens; si tamen huiusmodi perscrutatio ad Ecclesiæ ædificationem, non ad ostentationem ingenij, aliosque humanos fines adhibeatur. Sacra Scriptura est pretiosissimus Ecclesię Thesaurus; cuius custodia potissimè commissa est Ecclesiasticis Viris, ac nominatim Præsulibus; qui inter cæteros in sacris literis eruditi esse debent; *tum vt* hoc ipso ostendant, in quanto apud ipsos pretio sit, & habendus sit à cæteris huiusmodi thesaurus; *tum vt* possint fidei Catholicæ aduersantes coarguere; *tum vt* sæculares, ac subditos ad conformandos mores suos Diuinis Præceptis, Consilijsq; efficacius hortari queant; *tum vt* vitę suę Institutum Christi, ac Apostolorum, quorum exceperunt locum, vitæ, ac doctrinæ prę cęteris, qui Apostolorum in Dignitate haud successores sunt, conforment; examinentq; semper, an ea, quæ dicturi sunt, vel acturi, consentiant, vel dissentiant Euangelio. *Beatus* enimuerò quicumque in Sacris literis *meditatur die, ac nocte*, nam hic *non abibit* in consilio impiorum, & *in via peccatorum non* stabit, & *in cathedra pestilentiæ non sedebit*; sed *in lege Domini erit voluntas eius*; & *erit tanquam lignum*, quod *plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*; & *folium* eius *non defluet*, & *omnia quæcumq; faciet, prosperabuntur*. *Velit* Deus, vt me quoque meditantem in Sacris Codicibus, vel in eos aliquem Commentarium scribentem *morbus mortis prænuncius*, sicuti S. Thomę Aquinati contigit, *aggrediatur*. Scio Philosophos nonnullos e Peripateticorum numero tanto habere in pretio Aristotelicam doctrinam, vt in illius libris euoluendis omne studiorum tempus impendant, cæterorum lectione librorum dimissa, imò quandoq; libris alijs, quos iam habebant, amicis vel vltro donatis, vel etiam venditis. An non mihi aliquando licuerit, cęterarum studio scientiarum à me relegato *in vno Sacrarum literarum studio detineri?* Et in illius

quidem

quidem intelligentia, vel explicatione me nunquam *Vnanimi Patrum consensui* aduersaturum apertè profiteor; Amplector vltro, *amplectarque semper illum*, in quem Ecclesiæ Patres conuenerunt. Imò animam Creatori meo reddere opto quam maximè, post susceptà piè *consueta Ecclesiæ Sacramenta præ dextra habens* (& hoc flagito in præsentia ab illis, qui meæ astabunt morti animam meam Deo commendaturi) *CRVCIFIXVM, præ sinistra SACRVM CODICEM.*



Admodum Reuerendo Patri Magistro

MATTHÆO FERCHIO

Veglensi Minori Conuentuali
In Vniuersitate Patauina
Scotisticæ Doctrinæ Professori,
Theologo vbique Celeberrimo;
Ac in Sacris Literis, Concilijs, Pontificijs Decretis
Sanctisq; Patribus in primis versatissimo:
Admodumq; Reuerendo Patri Magistro

PETRO MARTYRI RVSCA

Veneto Minori Conuentuali
Eminentissimi Cardinalis CECCHINI
S.D.N. INNOCENTII X. Prodatarij
Theologo
Ac S. Inquisitionis in Patauina Diæcesi
Generali Vicario;
Ob Nobilitatem, Scientiam, Prudentiamque
Amplioribus digno Honoribus:
Animaduersiones Quinquaginta
PRO ILLO, QVI IN SACRÆ THEOLOGIÆ
STVDIVM INCVMBIT
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
E Comitibus Placentinis
Illorum Memor Meritorum
D. D. D.

Caput Secundum.

1 P Ræ
eo
Th
&
& à multis ha
principia non
sint fidei Diui
quæ ad ipsum
Quare vitæ i
liariter sibi p
adhibeat ; tur
supernaturali
imò ab eoden
B. Virgo loque
tum *Deiparam*
logia præstan
cas conscripse
telligentiam S
denter deduci
tunc necessari
cessoribus, siu
Hos omnes
Sanctos peculi
sium Areopagi
S. Basilium , S
zenum, Sanctum
scenum; tum La
lasticæ Princi
ex minùs antic
alter *Angelicu*
priuato cultu
se Sanctissimu
re vera scienti
teras dirigere
parentes, siue
te enim aliena
uinæ effatis re
tionem meritò
venerationem
in ancillarum nu
naturalibus *su*
logiam fundari

1 PRæ *cæteris*, qui in ſcientias incumbunt, Deum colat, ab eoq; in *Theologia* proficiendi beneficium petat, cum Theologia ſit ſcientia de Deo, verſeturq; circa Deum, & ea quæ ad Deum ſpectant, ſiue ſit ſcientia de Diuinis, & à multis habitus Theologiæ ſupernaturalis aſſeratur. Certè illius principia non ſolùm ſupernaturalia, verum etiam per ſe infuſa, cum ſint fidei Diuinæ effata. Quis autem ipſomet Deo in ijs nominatim, quæ ad ipſum, ſiue Diuina pertinent, magis perſpecta habere poteſt? Quare vitæ innocentia donum hoc à *Patre luminum deſcendens* peculiariter ſibi procuret. Hoc autem vt faciliùs impetret, aduocatos adhibeat; tum *Chriſtum Dominum*, cui vt homini Habitus Theologiæ ſupernaturalis perfectiſſimus aliquis proculdubio concedendus eſt, imò ab eodem quoque huiuſmodi habitus petatur; Theologiam enim *B. Virgo* loquens cum *B. Alberto* magno *ſcientiam eſſe filij* ſui aſſeruit: tum *Deiparam ipſam*, qua ex puris creaturis nulla fuit in vera Theologia præſtantior: tum *Apoſtolos*, ac nominatim illos, qui Canonicas conſcripſerunt Epiſtolas; hi enim à Spiritu Sancto ſacrarum intelligentiam Scripturarum vnà cum concluſionibus, quæ ex illis euidenter deduci poterant, acceperunt, & ex his illas, quas iudicarunt tunc neceſſarias ad fidelium ſalutem, & Eccleſiæ regimen, ſuis ſucceſſoribus, ſiue etiam ijs, qui verſabantur cum ipſis, tradiderunt. Hos omnes ſingulari proſequatur veneratione. 2. *Inter reliquos Sanctos* peculiariter colat ex Antiquioribus; tum Græcos, *S. Dionyſium Areopagitam*, *S. Ignatium*, *S. Iræneum*, *S. Gregorium Thaumaturgum*, *S. Baſilium*, *S. Cyrillum*, *S. Gregorium Niſſenum*, *S. Gregorium Nazianzenum*, *Sanctum Iuſtinum Martirem*, *S. Athanaſium*, ac *S. Ioannem Damaſcenum*; tum Latinos, *S. Auguſtinum*, qui habitus fuit Theologiæ Scholaſticæ Princeps, *S. Hilarium*, *S. Hieronymum*; & *S. Ambroſium*; ac ex minùs antiquis S. *Thomam Aquinatem*, & S. *Bonauenturam*; quorum alter *Angelicus*, alter *Seraphicus* Doctor eſt appellatus; ac etiam priuato cultu poterit proſequi *Ioannem Duns Scotum*, quem virum fuiſſe Sanctiſſimum illius vitæ Auctores euincunt. 3 *Cum Theologia* ſit re vera ſcientiarũ Regina, & ad eam inter Chriſtianos pertineat cęteras dirigere ſcientias, ita vt hæ, ſi illius diſſonæ ſint Principijs, apparentes, ſiue ſophiſticæ ſcientiæ iure meritò dicendæ ſint; à veritate enim aliena ſunt quæcumq; Principia, vel concluſiones fidei Diuinæ effatis repugnantes, adeoque propter huiuſmodi ſubordinationem meritò Sapientia dicatur: Qui Theologiæ ſtudio ſe tradit, venerationem illius maximam animo concipiat, *cæteraſque ſcientias in ancillarum numero habeat*; caueatq; enixè, ne Theologiam ſcientijs naturalibus *ſubſeruire* faciat. 4. *Ne vnquam aſſerat*, vel *exiſtimet Theologiam* fundari in Principijs quibuſcumq; Philoſophicis, vt talia ſunt.

Altiora ſunt huius Diuinæ ſcientiæ fundamenta, cum ſint Diuina effata. Iniurioſus maximè eſt Theologiæ, adeoque Deo ipſi, qui primarius illius eſt Auctor, huiuſmodi ſenſus, eſtq; locutio etiam plane Theologo indigna, grauiori per ſe digna cenſura. Magis verò inſipienter loquuntur, & exiſtimant illi, qui *Theologiam dicunt fundari nominatim* in *Ariſtotelica Philoſophia*; præterquam enim communiter exiſtimatur in Principijs eas penitus diſcrepare quamplurimis, ac per decem, ampliuſq; ſæcula in Philoſophicis ipſis aliam à Peripatetica doctrinam complexi fuerint Eccleſiæ Doctores communiter; *Quis Chriſtianus, niſi inſanus, arbitrari poteſt, Chriſtianam Theologiam in Gentilis Philoſophi, & qui in pluribus errauit etiam ad Philoſophiā ſpectantibus*, & qui *ex nonnullorum ſenſu vitijs, nec leuibus, fuit contaminatus, doctrina fundari?* An non irriderent, & meritò, Gentiles, Hæretici, ac Hæbræi Chriſtianam Theologiam, quam adeò infirmis innixam columnis cognoſcerent? 5. *Cum Hæretici* nominatim Theologiam Scholaſticam vituperent, ac *Mateologiam* ad illius contemptum appellent; caueatur maximè, ne detur illis occaſio à recentioribus maximè Theologis in illam ſic inuehendi; quod contingeret; *ſi ſæpiſſime*, vel *vt plurimum* controuerſiæ Theologorum, eſſent vocum pugnæ, luſuſue, *ſi ſepè* e ſophiſtarum locis argumentationes, ſiue rationes deſumerētur; *ſi maxima* Theologiæ pars in Philoſophicis quæſtionibus impenderetur; *ſi perrarò* concluſiones ex duabus de fide præmiſſis deducerentur, vel exponerentur, ſed ferè ſemper eſſent concluſiones ad ſummum probabiliter deductæ, vel innixæ alicui præmiſſæ, vel omnibus etiam præmiſſis probabilibus tantum; *ſi agitarentur* vt plurimum quęſtiones a Theologis, quæ ad pietatem nō conducerent, ſed ad ingenij exercitationes; ex quibus diſſenſiones grauiſſimæ, ac ad voluntatem ſpectantes inter Theologos orirentur; *ſi ratione* conarentur Theologi probare illa, quæ ſola auctoritate Diuina probanda ſunt; *ſi omnes* ingenij vires reponerent in inueſtiganda veritate nonnullarum quæſtionum, quarum ſolutionem voluit Deus conſultò nobis eſſe incognitam, adeoq; nollent ſapere ad ſobrietatem &c. *Non poteſt* à Chriſtiano homine ſanæ mentis non mirificis laudibus efferri vera Theologia; cuius ope, non verborum multiplicitate, multoq; minùs acerbitate, hæretica conuelluntur dogmata. 6. *Ne omnium*, quæ præſtant modò Theologi, ac Theologiæ Doctores in tradenda Theologia patrocinium ſuſcipiat; nam aliqua immeritò plane defenderentur, & ex paſſione tantùm talis defenſio orta videretur, nec viris ſapientibus fucum faceret, hæreticiſque Tgeologiam calumniandi maior occaſio tribueretur; imò conſultum eſt potius ea vituperare; non ſolùm, vt aliquot Theologi ab ijs ſe abſtineant; verùm etiam, quia cum videant Hæretici nos

ea non

ea non diſſimulare, deſinent nobis ea ingerere. 7. *Ne auribus præbeat illis*, qui Diſputationes de Theologicis abſolutè vituperant; nam ingens fructus ex ijs reportatur, ſi vt par eſt, illę habeantur; *non oſtentationis* cauſa, *non ad aliorum inuidiam &c.* Sed *ad veritatem eliciendam*, ac nominatim ad indagandam euidentiam concluſionum, quæ ex reuelatis dicuntur deduci, nec hactenus certum eſt, eas deduci. De his autem, quæ probabiliter dicuntur ſolummodo deduci ex præmiſſis de fide, vtilis eſt quoque modeſta diſputatio; *tum vt* cognoſcatur, an re vera ſit probabilis, vel apparens tantummodò deductio, an verò etiam euidens; *tum vt maior* concipiatur alacritas, facilitaſque, cum opus fuerit, hæreticos impugnandi. *Illis quidem aßentiatur*, qui aſſerunt, diſputationes Theologicas tantùm de *certis quibuſdam materijs* habendas, nec concluſiones aliquas, *quæ ſunt de fide*, exponendas diſputationi; *certo in loco*, & coram *certo hominum genere*, & *à quibuſdam* tantummodò, eſſe quoque habendas &c. 8. *Intelligat* illas eſſe *Perfectiſſimas* concluſiones Theologicas, quæ ex duabus præmiſſis de fide euidenter deducuntur; *Magis Perfectas*, vel *Perfectiores* (facta comparatione cum minùs perfectis, ſiue imperfectis) quæ ex vna præmiſſa de fide, & altera naturali euidenti ſaltem Metaphyſicè, vel Moraliter deducuntur; *Minùs Perfectas*, quę deducuntur ex vna præmiſſa de fide, & altera ſolùm probabiliter de fide; *minùs adhuc perfectas*, quæ deducuntur ex vna præmiſſa de fide, & altera ſolum probabiliter iuxta lumen naturale; *Imperfectas*, quæ ex duabus præmiſſis probabiliter de fide; *Magis imperfectas*, quæ ex vna probabiliter de fide, & altera probabiliter iuxta lumen naturale deducuntur. Quare ſe ſolũ acquirere habitum Theologicum ſimpliciter, & abſolutè arbitrabitur, cum verſabitur circa concluſiones, quę euidenter deducuntur ex duabus præmiſſis de fide, vel ſaltem ex vna certò de fide, altera euidenti naturaliter; Quotieſcumq; enim verſabitur circa concluſiones, quæ deducuntur ex vna etiam probabilius de fide, vel iuxta lumen naturale, vel etiam probabiliter ſolum deduceretur ex duabus de fide, non *acquiret habitum Theologicum ſimpliciter*, ſed cum addito, hoc eſt, *Opinatiuum*; ſic quoq; Habitum, qui *reduci* poterit ſolummodò ad Theologicum, ſiue *reductiuè Theologicum* acquiret, cũ vtraq; pręmiſſa, eſt probabilis, ſiue nitens humano motiuo, licet verſetur circa Theologica etiam primaria obiecta. Hinc caueat, ne poſt laborioſum, diuturnumq; Theologiæ, quæ traderetur, ſtudium, id conſequatur ſolummodo, vt Theologus *Opinatiuus*, & non *Theologus ſimpliciter* appellari queat, & ex multorum opera annorũ, quos ſtudio Theologiæ dicauerit, hunc tantum reportet fructum, vt Theologici Habitus *Reductiui*, & non *Proprij*, ac per ſe compos fuerit factus. 9. *Cum variæ ſint Theologorum ſcolæ*, intelligat, grauem in u-

riam fieri, *tum* reliquis Theologorum scolis, *tum* ipsimet Ecclesiæ, quæ eas approbat, imò & illarum professores priuilegijs ornat, & ad Dignitates etiam Ecclesiasticas prouehit, si ipse vni addictus Scolæ, Conclusiones, ac Principia aliarum scholarum damnet, tanquã *Hæretica*, vel *Suspecta de hæresi*, vel *Erronea*, vel *Temeraria*, vel *Improbabilia &c.* In ijs, quæ sunt de fide conueniunt omnes Theologorum scholæ; descrepant in his, quæ non sunt de fide: & dum aliqui putant ex duabus de fide præmissis, vel ex vna de fide & altera lumine naturali cognita conclusiones nonnullas euidenter deduci, discrepantibus alijs Theologis, ac nominatim alicuius scholę, huiusmodi opiniones nunquam meritò *Erroneæ* appellari poterunt, vel *Temerariæ*, vel *Improbabiles*, cum admittantur à probatis Doctoribus, imò non leuibus sæpe argumentis fulciantur, & quandoq; grauioribus illis, quæ afferunt Doctoris sententiæ illius, cuius oppositam damnant, tanquam *hæreticam, erroneam, temerariam &c.* Si euidentes sunt huiusmodi conclusiones; fierine potest, vt ingenio, ac doctrina præstantissimis Theologis illæ non pateant? Vtinam priuatus amor in talem opinionem, vel talem Theologicę scholæ Ducem, non ita perturbet quandoq; nonnullorum intellectum, vt id quod est euidens solum apparẽter, vel ad summum probabiliter, tanquam omninò euidens putent. Insania hæc partialis meritò censeri posset. 10. *A censuris opinionum* quam maximè abstineat; *Tum quia* ad ipsius munus, vt sic, id non spetat; *Tum quia* ipse prę cęteris quibuscunque, etiam sapiẽtibus, prębere debet exemplum *modestiæ, caritatis, ac iustitiæ*; *Tum quia* ipse censuram apponens aliorum opinionibus potest interdum dignus esse censura; *Tum quia* leuis iudicij, ingenijq; non raro id argumentum est: & nominatim abstineat à censura hæresis; oportet enim, vt clarum sit, ac indubitatum inter Catholicos omnes scriptores, quod talis opinio sit contra ea, quæ apertè sunt de fide, nec vlla penitus cõtrouersia sit inter Catholicos Doctores, quod illa sint de fide. *Si quis certè diligenter perspiciat*, quænam requirantur à Patribus, Sacris Canonibus, ac celeberrimis Theologis, interpretibusq; sacrarum literarum, ad hoc vt aliquis dicatur hęreticus, non facilis erit in huiusmodi nomine imponendo; quo etiam Hæretici Catholicos nominant; Et vtinam Theologi Catholici vel ob priuatas passiones, aut priuata commoda, vel ad obsecundandum aliorum genio, ac placitis, vel ad aliquorum Iura amplificanda, vel ad excitandum odium contra alios, qui possunt esse de Ecclesia ipsamet benè, imò & optimè meriti (licet aliquibus huiusmodi beneficia possint haud placere) non consultò tali nota nonnullos asperserint, nec vnquam aspergant. 11. *Diligentissimè* caueat, ne ad obsequendum aliquorum voluntati, siue cupiditatibus, licet non æquis, excogitet

gitet rationes ſolum re vera apparentes, vel rationes excogitatas, probabiles, tanquam certas, publicet; & ex præmiſſa, ſiue præmiſſis de fide, vt pote in Sacra Scriptura contentis, aliquas concluſiones deducat incognitas S. Patribus, imò illorum placitis, ſi attentè eorum mens ſpectetur, potius oppoſitas, vel probabiles tantum, vel etiam apparentes; quas tanquam omninò certas ſuadentes nonnullis imperitioribus, vel etiam leuiter peritis, qui facilem haberent fidem illis, quæ ſunt in ſuum fauorem, vel in exaggerationem ſuæ iuriſdictionis, eos impellerent, ſiue ad præſtanda, aut decernenda *aliqua contra aliorum legitimum ius*, vel contra *Caritatem enimuerò Chriſtianam*, quæ magis in certis hominum generibus elucere deberet; ſiue ad *Animi Elationem*, quæ longiſſimè à quibuſdam præſertim remota eſſe deberet, concipiendam; ſiue ad *Dominatum* quemdam vniuerſalem, qui minùs deceret, vſurpandum; ſiue ad ea, quæ ſunt *ſui muneris*, fermè *dimittenda*, & quæ ſunt *alieni*, *vindicanda*; ſiue ad præſtanda multa cum *graui ſcandalo*, nedum Catholicorum, verùm etiam Hæreticorum, Iudęorum, ac Paganorum. Faxit Deus, ne huiuſmodi Theologi vllibi reperiantur vnquam; Hi enimuerò tam honorifico indigni eſſent nomine. Orandus tunc omni ſtudio Deus foret, vt illi ad bonam reuocarentur frugem; nam tunc ſuas retractarent opiniones, curarentq; vt damna, quæ nonnullis importata fuiſſent in Vita, Honore, Fama, Bonis temporalibus &c. reſarcirentur; grauiſſimas ſecus enimuerò pœnas in inferno paſſuri & aliquando etiam in hac mortali vita, Auertat Deus quam maximè, ne vnquam, qui dicendi ſunt Theologi, Athei ſint. 12. *Indigniſſimum* planè Theologo, qui primas inter cæteros ſapientes tenet, omninò arbitretur, vel metu, vel ſpe cuiuſque temporalis commodi, vel amore pecuniæ pręſentis &c. ita duci, vt veritatem occultet, cum neceſſe eſt illam publicare; vel doctrinam tradat diſſonam re vera principijs Euangelicæ legis, nedum perfectionis, idq; conetur celare quibuſdam ſophiſmatibus ex magis interiori Sophiſtarum officina depromptis, quibus difficillimum quidem quandoque eſt perſpicuam afferre reſponſionem, licet ea falſa eſſe quis clarè cognoſcat. 13. *Ne vnquam abſolutè* dicat, ſcribat, edatque, opinionē, quæ eſt controuerſa inter Catholicos Doctores, eſſe de fide; ad ſummum illius verba ſint, *Hæc opinio mihi videtur eſſe de fide; Auctoribus iſtis videtur eſſe de fide; Alij tamen negant &c.* id enim indicat Theologi ingenuitatem, nec datur auditoribus, vel lectoribus errandi occaſio. *Mirandum eſſet*, ſi aliqui Theologi faciles forent in accuſandis aliorum opinionibus, tanquam ſcandaloſis, licet minùs prudenter; & nō notarentur, tanquam ſcandaloſæ ſententiæ iſtorum, qui abſolutè docerent, aliquam opinionem eſſe hęreticam, ſuſpectam de hæreſi, erroneam &c.

14. Ne

14. *Ne putet* ex eo quod aliquę opiniones videantur fauere hæreticis, vel cum illis aliquam habere connexionem, esse reijciendas penitus, damnandasq; à Catholicis Theologis; secus enim multæ iam è Theologorum scholis relegandæ forent; facileq; est in alijs reperire aliquam connexionem. Est Theologi periti discrepantiam, & conuenientiam in istis opinionibus Catholicorum tum Hæreticis diligenter attendere. 15. *Sciat*, sicuti hæretici Catholicis opinionibus multa appingunt falsa, addunt, demunt &c. Sic Catholicos Hæreticorum opiniones non sincerè, ac fideliter posse aliquando referre, vel propter ignorantiam, vel malitiam ad excitandum contra eos odium. *Quare consultum eße* arbitrari quis poterit ad communem concordiã, vt aliqui pijssimi, doctissimi, ac prudentissimi homines primarijs hęreticis, & Catholicis sincerè, & ad vnguem dogmata sua referrent, quosdamq; illorum sensus circa dogmata huiusmodi conuellerent, ostendentes haud eos ita sentire; posset enim sperari, depositis odijs futurum, vt aliquãdo conuenirent Hęretici, & Catholici in vnitatem fidei; illi complectendo id, quod re vera Catholicnm est, isti admittendo quędam, quæ ab hæreticis modò asseruntur, & fiunt, quę non repugnant veræ fidei, in qua præcipuè commendatur Caritas, & cum qua non repugnat in multis opinionum diuersitas. 16. *Ne hæreticorum* argumentationes quascumq; contra fidei dogmata spernat; sed potiùs solidam, aptamq; illis responsionem præbere conetur; multò minùs acerbam, mordacemue illis prębeat; huiusmodi enim responsiones ad rem solent esse frigidæ, parumq; idoneæ &c. ac multò minus non omnia quæ fiunt, dicuntur, scribuntur, eduntur ue ab hæreticis, damnet, Criticũ, Censoremq; in ea semet exhibeat &c. *tum quia* par pari illi referent: *tum quia* Theologi potiùs est munus excogitare media, ac rationes, quibus hęreteci ad Catholicam fidem reuocentur; non facilè autem sibi suaderent hęrecici esse veram fidem illam, cuius qui se profiterentur assertores, & propugnatores cõtra Christi pręceptum adeo vatiniano odio prosequerentur alios, vt omne illis malum in bonis vitę, fortunę ac famę inferri conarentur, singulaq; ipsorum facta, dictaq; in peiorem acciperent partem, imò & in bonis, rectisque speciem malitię effingerent. *Metuendum meritò tunc foret, ne iusto Dei iudicio*, si quę damna pręter ius à Catholicis inferrentur hęreticis, siue in corpore, siue in honore, siue in temporalibus bonis, similia ab hæreticis posta inferrentur Catholicis. 17. *Suadeat, sequaturque* Theologus inter opiniones admissas à Catholicis illas, quę faciliorem aditum Hęreticis præbere possunt ad deponendos animi sensus, qui re ipsa praui sunt; nec vt aliquorum genio indulgeret, qui nollent suam iurisdictionem, licet, minus ęquè acquisitam, vllatenus imminui, sed vellent illam potius in dies amplificari, vel

ri, vel timerent, ne suę potestati iam acquisitę aliquod inferretur prę-iudicium, eas vnquam opiniones damnet, & multò minus tanquam hæreticas, erroneasq; reijciat, quæ sunt à probatis auctoribus approbatæ; imò flagrans caritate in Deum, proximumque potiùs rationes excogitet ad eas confirmandas, suadendasq; illis, quibus peculiaris cura incumbit Religionis Catholicæ propagandæ. 18. *Cum, vt* quiuis teneatur fidem pręstare Diuinis effatis, illa sint reddenda pro cuiusque captu ex communi sententia euidenter credibilia; eas opiniones amplectatur, easq; aliorum animis instillet, per quas euidenter, siue magis euidenter credibilia apparere possent noua fidei dogmata, quæ Catholicis proponenda forent, maximè cum nostris temporibus tot non appareant nouorum fidei dogmatũ amplectendorum motiua, quot primis sęculi apparuerunt; ideoq; illorum, quę supersunt, vis potiùs augenda, quam imminuenda. *Peculiariter verò,* cum inter Ecclesiæ veræ Notas recenseatur *probitas docentium, rerum mundanarum contemptus &c.* illas opiniones potiùs amplectatur, *Quæ magis pietate conspicuos* reddere queunt illos, ad quos pertinet noua declarare, ac fidelibus exponere fidei Dogmata; *Quæ ex illorum animis* longè remoueant auaritiam, superbiam &c. 19. *Caueat, ne sub prætextu publici boni* (qui facilè excogitari potest) aliquas sequatur opiniones, vel inducat, quæ sint re vera, vel etiam probabiliter contra Ius aliorũ, vel contra Christianam Caritatem; *sciatque*, si facilis esset in huiusmodi prætextu admittendo, vel huiusmodi quoque sententijs probabilibus etiam rationibus fulciendis, vt aliquorum voluntati, siue genio obsequeretur, aut indulgeret; non defuturos alios, qui idem prorsus pręstarent, & non rarò efficacius, ac æquiori, vel similiter saltem probabili iure, vt alios ab iniurijs istorum tuerentur; *Ex hisce autem dissensionibus* grauissima importari queunt damna; tùm Christianæ Charitati; tum publicæ omniũ tranquillitati. 20. *Haud adhæreat* nouis in Ecclesia opinionibus, hoc est, dissonis antiquiori eiusdem sensui explicato, vel à Patribus, vel ex primorum sæculorum traditione; non damnet verò illas, quæ nouę à nonnullis dicerentur, si verè innitantur S. Scripturæ, vel antiquiori doctrinæ Patrum, Conciliorum &c. imò potiùs hasce amplectatur, licet Scholastici Doctores minùs illis fauerent. Nunquam penitus nouas inuehere in Scolas, vel alijs tradere conetur. 21 *Inter Theologorum Scholas,* ac inter Theologos primario eos veneretur, eorumq; hauriat doctrinam, eorumq; vertet libros, qui prę cęteris sunt veriati in locis Theologię *proprijs*; minori in pretio habeat, qui in locis Theologiæ *extraneijs* se veriatos, vel veriatissimos ostendunt, cum tamen parùm periti sint in *proprijs*; ideoq; eorum dicta, scripta, edita, vel nullam, vel leuem horum locorum, qui dicuntur proprij, cognitionem præseferunt;

ferunt : Hinc vt plurimum ſaltem , probabiles concluſiones deducunt dumtaxat , vel Problematicè ſentiunt , tuenturq; opiniones ingenij oſtentationis cauſa ; vel etiam in quibuſdam argutijs maximam partem ſcriptorum , librorumq; impendunt , quæ parum ſolidæ ſapientibus poſt aliquam diſcuſſionem nō raròquoque videntur, & maximè, ſi loco communium , approbatarumq; rationum , quibus multæ concluſiones probantur , illæ reponantur. 22. *Cum inter Theologos* agitentur quæſtiones maioris, minoriſq; ponderis, eos audiat, eorum libros legat , qui grauiores agitant ; indignus enim eſt Theologi nomine ille , qui ignorat Quæſtiones pręcipuas, vel parum in illis verſatus eſt, licet optimè calleret multas minùs pręcipuas, vel leues . 23. *Ne multi æſtimet* eos Theologos, etiamſi eorum fama celebris foret apud ſciolos , ac minus peritos, atq; iuuenes , *Quibus ſæpè* acumina potius quædam ingenij, quam ſolidę doctrinę placent; eaq; potiùs,quam iſtam auditoribus , vel legentibus proponunt ; *Qui in Theologia tradunt* vt plurimum Philoſophica , vel etiam Logicas ; Quæſtiones ad alias ſpectantes ſcientias, fuſiſſimè agitant , vberrimè explicant , & ad alia digrediendi occaſionem vndeq; ſtudiosè quęrunt ; eorumq; ſcripta , vel libri etiam editi , licet inſcribantur de Theologia, iure merito inſcribendi potiùs forent Philoſophici &c. ad eorumq; Scolam accedendum foret potius, tanquam ad Scolam tradentium Philoſophiam &c. Philoſophica ſupponenda ſunt , vel ad ſummum breuiſſimè indicanda, ſi opus aliquando fuerit . *Sæpius* animo reuoluendum eſt Teologię ſtudioſo , ſibi parum laborandum de illis, quę ad ſolam Metaphyſicam ſubtilitatem ſpectant, vel non niſi quatenus Theologiam, aut proprios Theologię locos illuſtrare queunt. Per ſe illæ ſunt extraneę , & aduentitię Theologo . Quid ſi in his potiſſimum ponerent ſtudium pleriq; Theologi ? eſſentne iure merito tali nomine digni? In primis quidem erraret Principijs , qui id non haberet perſpectum. Vtinam non ſint multi, qui Theologi dicuntur , voluntquę tali decorari nomine , ignorantes , *Quinam* ſint loci Theologię Proprij, & Extranei , & *Quot* ſint illi. Cum conſueuerint plerique poſt Philoſophicarum , ſiue Metaphyſicarum ſubtilitatum ſtudium ad Theologiam accedere; vel vbi Metaphyſicam , ac Philoſophiam pręlegerunt, Theologiam pręlegere; horum intellectus iam hiſce aſſuetus eaſdem in Theologicis inquirit, illiſq; tanquam conſueto alimento libenter paſci videtur ; & tamen hoc illi ſubtrahendū foret, vel non niſi modicum relinquendum, *Nectare Diuino, cæleſtiq; ambroſia Diuinorum eloquiorum* vberrimè alendus. *Attendat igitur ſollicitè ſtudioſus Theologiæ, ne ſit ex illorum numero Theologorum* , qui de *Hecceitatibus Formalitatibus, Relationibus, modalitatibus, Diſtinctionibus,* alijſq; ad meram ſpeculationem attinentibus egregiè diſſerunt. In ijs

verò,

verò , quæ ſunt Theologorum propria , & quæ verè diſtinguunt Theologos à cæteris ſcientificis, ac primariò cōſtituunt Theologiam habitum eſſentialiter diſtinctum à naturalibus ſciētijs, parùm verſati ſunt; & hinc nō ſolùm cōcluſiones ſuas nō probant, nec ſuis aſſentiuntur ſententijs ex aliquo e locis Theologiæ proprijs ſaltē probabiliter illas ſuadente ; verùm etiam ſi aliqua argumentatio proponatur ex aliquo horum contra ipſos , vel irrident , vel floccifaciunt , aut non aptè reſpondent ; ſuntque ſollicitiores in *indagando Ariſtotelis ſenſu, eiuſq; auctoritate afferenda*, quam in confirmandis ſuis opinionibus teſtimonio Scripturæ , Conciliorū , Patrum &c. indagandoque ſenſu Diuinarum Vocum, Conciliorum &c. Si huiuſmodi audierit Theologos , taliſq; euadat , intelligat ſe non adhuc habere aditum ad Theologiæ fores , ne dum ad intimos illius receſſus. 24. *Ab eorum laudibus , multoq; magis ſequela* abſtineat, qui non tantùm humano intellectui iniurioſi, verū etiam ipſimet Deo (cui ſuperiorem viderentur ſibi vſurpare auctoritatem, dum in plurimis , in quibus Deus noluit humani intellectus fines certis fidei cancellis circumſcribere , ipſi tamen eniterentur id præſtare) paſſim euulgarent opiniones , tanquam de fide, & hoc probare conarentur , cum tamen illæ non ſolùm haud eſſent tales, alioquin Catholici Doctores haud diſſentirent, verum etiam nō rarò contrarię accederent potiùs ad fidei Dogmata. Verendum eſſet non ſolùm, ne hi neſcirent, *quid ſit fidei certitudo , qualiſq; debeat eſſe fidei aſsenſus* ; verùm etiam ne ex aliquo prauo animi motu ad huiuſmodi aſſertionem , ac publicationem impellerentur: Quod faciliùs præſumi poſſet, ſi huiuſmodi ſententiæ eſſent ex illis , quæ fouere poſſent Aliquorum Auaritiam , Superbiam &c. 25. *Sciat a nonnullis* poſſe circumferri Doctrinas , vel Opiniones nonnullas , tanquam damnatas de hæreſi , errore &c. imò & poſse id legi in aliquorum libris, quę tamen haud tales ſint, vel etiam fuerint particulares ſenſus nonnullorum &c. ideoq; cautè procedat. 26. *Intelligat*, vnanimem in rebus Theologicis conſenſum Theologorum vt ſic pręciſe nullam reddere opinionem de fide ; imò nec eſſe *temerarium*, qui cum ratione aliqua probabili ſe opponit vnanimi vt ſic cęterorum Theologorum ſenſui. 27. *Animaduertat*, multas opiniones, quæ fuerunt vno , & pluribus ſęculis improbabiles , redditas apud Theologos in ſubſequentibus probabiles , & e contra. 28. *Cum ad Theologum* ſpectet examinare reliquorum omnium ſcientificorum doctrinas, ac opiniones , an ſint conformes Regulæ fidei; caueat, ne ſententiam ferat, niſi optimè calleat aliarum ſcientiarum Principia, diſcutiat concluſiones &c. nam perſæpe multa poſsunt etiam à maleuolis in medium afferri, quæ in tali ſcientia, vel à talis ſcientiæ Doctoribus non admittuntur, vel non ita explicantur; Inueſtigandumq;

est diligentissimè, an repugnet reipsa fidei, vel scripturę alicui expres-
so loco talis opinio, quæ asseritur ab insigni Philosopho, Mathema-
tico &c. nam præter grauissimam iniuriam, quę fieret tali Viro, si
talis opinio vetaretur &c. dum minus æquum iudicium, & ad aliorũ
voluntatem fieret, irrisioni sapientum Catholicorum, ne dum Hæ-
reticorum, qui scirent loca quæ afferrentur ex Scriptura, vel minùs
esse congrua, vel probabilem aliam admittere interpretationem,
exponerentur huiusmodi Iudices; quorum iudicium in alijs postea
materijs, & controuersijs etiam minori in pretio haberetur; adeoq;
deprehensa veritate, Theologi, qui consilium præbuissent, ne dum
ab officio remouendi forent, verum etiam acerbissima plectendi
pœna, vt notum orbi fieret, non placere *Theologos adulatores, ad alio-
rum nutum loquentes, veritatis parùm sollicitos indagatores &c.* 29. *Licet
Theologorum* vnanimis etiam consensus in ijs, quæ nec ad fidem,
nec ad bonos mores pertinent, non addat vt sic maiorem auctorita-
tem, quam cæteri, ac ratio quam afferunt; cum tamen Theologus
multarum præter Theologiam est peritus scientiarum, auctoritas
talis Theologi non nihil addit ponderis; Pluris tamen æstimandus in
Mathematicis v.g. Mathematicus insignis, quam vir in Theologia
insignis, & non æquè peritus in Mathematicis. 30. *Non sit* facilis in
asserendo, quod aliquid à Deo fieri non possit; & nisi manifesta ap-
parreat repugnantia, potiùs stet pro omnipotentia Dei, à qua cer-
tò scimus aliqua facta, quæ impossibilia cæteroqui iudicaremus.
Certè cum ostendatur in mysterijs Sanctissimæ Trinitatis, Incarna-
tionis, Eucharistiæ &c. nullam esse contradictionem, soluanturq;
suppositis fidei principijs contradictiones, quæ in illis videntur ap-
parere, si similes solutiones alibi possint applicari, cur à possessione
sua Diuina omnipotentia erit deturbanda? *S. Patres*, qui afferuntur
in hujusmodi controuersijs, *An Deus scilicet possit aliqua de absoluta
potentia* efficere, vt plurimum saltem, loquuntur solùm de facto, hoc
est, Deum hæc non fecisse, vel non communicasse talem creaturæ
virtutem &c. id enim solummodo ad eorum institutum spectabat
asserere. 31. *Quamuis eorum*, quæ fecit Deus, ratio faciendi prima-
ria fuerit ipsamet Diuina voluntas; prudenter tamen Theologus
faciet, si aliquam rationem congruitatis etiam in multis superna-
turalibus excogitauerit; sic enim faciliùs Diuinis mysterijs assentie-
tur humanus intellectus. *Sciat autem Congruitatem* duplicem distingui
posse in Theologicis, sicuti & *Indecentiam*: Ex quibus *Prima* sic pro-
bat, *aliquid decere* Deum, ita vt *si oppositum fieret, nullum planè incon-
ueniens secundum humanam, rectamq; rationem appareret*; & huiusmodi
decentia dici potest explicare potiùs congruentiam per modum rei
factæ, quam ipsam probet, vt quod Deus homo factus sit, passus
sit pro

ſit pro nobis , in tali loco, tempore &c. Creauerit mundum, & hoc
potius tempore &c. Nam ſi aliter voluiſſet, ac feciſſet, decens , non
indecens fuiſſet. Supponuntur hìc prius Diuina myſteria, factaq; ac
deinde excogitantur cōgruentiæ; alięq; excogitarētur ſi res ſecus ha-
berent. *Secunda* ſic probat *aliquid decere Deum*, ita vt *oppoſitum* ſecun-
dum humanam, rectamq; rationem indecens, vel inconueniens ap-
pareret: & huiuſmodi rationes in Moralibus Theologicis, & in rebus
dubijs, etiam ad fidem, moreſque pertinentibus, quæ per Scripturam
expreſsæ non ſunt, nec ab Eccleſia definitę, probabile afferunt ar-
gumentum pro multis opinionibus, ac probabilius, ſi efficaciores il-
læ fuerint, ita tamen vt contrariam ſententiam non reddant penitus
improbabilem, niſi plane conſentiāt omnes Doctores pij, ac erudi-
ti in illa: Sæpè autem diſcrepant Doctores in cenſendo, quænam ſen-
tentia habeat efficaciores congruentias ; *certumq; iudicium* ſæpe ferri
non poteſt, maximè cum nouæ ſemper congruentiæ à contrariarum
ſententiarum fautoribus inueniantur . *Cauendum hic* maximè ab af-
fectu; nā hic efficiet, vt minùs efficax efficacior appareat, vel e cōtra.
32. *Eorum veſtigijs* non inſiſtat , qui rationem Probabilem , vel con-
gruentem tantummodò, quam ip ſi vel inuenerunt , vel ab Auctore
aliquo, quem vt Ducem in Theologia ſequuntur, acceperūt, tanquā
Demonſtratiuam tueri volunt : *Imò intelligat*, licet ratio, quam pro
aliqua opinione attulit quis , vel affert, ſoluatur, non propterea reddi
hanc opinionem Improbabilem ; nam omnis ſillogiſmus, qui non
eſt Demonſtratiuus, per ſe ſolubilis eſt. Oſtendendum quidem eſt ad-
uerſario , rationem illam e Theologiæ principijs petitam non pro-
bare, nec probabiliter , nec congruenter . 33. *Catalogum habeat* om-
nium Theologorum, vel ſaltem præcipuorum cum indice anni , &
loci, in quo floruerint, vel docuerint, vel ſcripſerint. Notum habeat,
quinam habiti dictiq; Theologi *Primæ Claſſis*, *Secundæ*, ac *Tertiæ Claſ-
ſis*; Principes Scholarum cum eorum aſſeclis &c. *Et vtiliſſimum* qui-
dem eſſet exploratum habere , *Quandonam opiniones quædam celebres
Theologicæ primò traditæ ; qua ratione poſtea oppugnatæ ; ac deinde iterum
defenſæ &c.* vſq; ad noſtra tempora ſucceſſiuè. 34 *Putet haud* eſſe e
Theologi dignitate oſtendere ſe valdè verſatum in nonnullis , quorū
cognitio ad alios etiam cum laude ſpectare poteſt , vel etiam ſe cen-
ſorem nonnullorum, quæ videri queunt puerilia ; pręcaueatq; , ne
ex aliqua animi paſſione ad hæc impellatur , quæ etiam quandoq;
ſpeciem publici alicuius boni obtendere poterit , ne aliquando ſcili-
cet patiantur Chriſtiani detrimentum aliquod vel in fide , vel bonis
moribus , vel doctrina &c. 35. *Sacræ Scripturæ lectioni ſe tradat* ; &
quænam *certæ* , quænam *Probabiles* , quænam *Improbabiles* illius in-
terpretationes , perſpectiſſimum habeat : Sacrorum enim Codicum

verba ſunt primus e locis Theologiæ proprijs. *Mirandum eßet,* ſi plures, qui inter Theologos habentur, & primarios à vulgo, rariſſimè S. Scripturam perlegerent; multoq; magis mirandum, ſi nec legerent, vel etiam Sacrum Codicem non haberent. Non quidem mirandum tunc foret, ſi huiuſmodi Theologi in abſonas, Diuiniſq; effatis diſſonas opiniones tum ſpeculatiuas, tum practicas abirent. Optimus Theologus optimus S. Scripturæ interpres eſſe debet; & concluſio per ſe Theologica melius, aptiuſq; deducetur ab optimo interprete Sacrarum literarum, quam à Theologo acerrimi ingenij, & in omnibus ſcientijs peritiſſimi, qui tamen parùm, ſiue leuiſſimè verſatus ſit in ſacris literis. Nulla *concluſio afferenda eſt à Vero Theologo, quam non probet, aut non poßit probare ex Verbo Diuino*. Quare perſpectiſſimos habere debet nominatim Sacræ Scripturæ literales ſenſus; nam *ex ſpiritualibus*, multoq; minus ex A*ccomodatitijs*, qui nec primariò, nec ſecundario intenti ſunt à Spiritu Sancto, nequit certa deduci concluſio, iuxta probabiliorem ſaltem ſententiam, niſi illi in ijſdem Sacris Codicibus habeantur. Et *myſtici* quidem ſenſus, & *accommodatitij* valdè familiares ſunt S. Patribus in Homilijs, Sermonibus, alijſque diſcurſibus coram populo maximè habitis; ſuntque valde efficaces *ſenſus Accomodi exemplorum, ac Hiſtoriarum* in Materia Morali ad declarandum, quidnam liceat, quid non liceat, quidnam præſtandum ſit, quid omittendum: ſenſuſque A*ccommodi Verborum, ac Sententiarum* propter energiam, & grauitatem, quam præſeferunt Scripturę verba, ſunt valdè opportuni Sacro Oratori ad ſuadēdum; ſenſus autem *Myſtici*, ſiue *Spirituales* ad informationem Morum, Virtuteſque Chriſtiano dignas animis inſerendas, remouendaq; ex illis Vitia valde conducunt. Ad comprobanda verò fidei Dogmata, & certam eruendam concluſionem ſolùm quandoque probabiliter hi ſenſus, ac preſertim A*ccommodatitij*, vtiles ſunt. *Laudandus* quidem foret, qui S. *Thomæ*, *S. Bonauenturæ*, *Scoti*, *Ægidij*, *Bacconi*, *Gandauenſis*, *Durandi*, & ſi qui ſunt alij Theologorum Duces, Theologicas concluſiones in eorum *Summa*, vel libris in *Magiſtrum Sententiarum* editis repoſitas ad aliquem locum e Scriptura reuocaret, ex quo probabiliter ſaltem quęquę concluſio deduceretur, ſiue ille ſenſus eſſet *Accommodatitius*, ſiue *Spiritualis*, ſiue *Literalis*: Circa quem tamen *peculiariter Theologo attendendum*, ex locis Scripturæ plures literales ſenſus habentibus (niſi aliud conſtet ex vnanimi Patrum ſenſu, Eccleſiæq; definitione) concluſiones deductas multiplices, non excedere probabilitatis fines; ſicuti dum controuerſia eſt inter S. Patres, vel alios etiam Catholicos Scriptores doctos, pioſque, An verba Scripturæ debeant ſumi in *propria ſignificatione*, An verò *Metaphoricè*, & *proportionaliter*, & *per ſimilitudinem*, vel *ſecundum modum noſtrum intel-*

ligendi

ligendi, cognoscendi, apprehendendi, concipiendi &c. vel *secundum opinionem vulgi*, & *communem sentiendi*, ac *loquendi modum*; vel *secundum apparentiam, & quoad nos &c.* & cum nequeat negari, quin à propria significatione multæ scripturæ voces detorquendæ sint, si à veritate alienas haud esse nolimus, Quidni probabiliter saltem de alijs idem afferendũ, dũ nõ obstat vnanimis Patrũ consensus, vel Ecclesiæ definitio? *Verum quidem est, semper* afferendam rationem re ipsa probabilem ad hoc vt quis à propria Verborum S. Scripturæ significatione recedat; quæ sicuti non facilè obuia erit in plerisque, sic facilius inueniri poterit in ijs, *quæ sensibus nostris occurrunt*, & in nonnullis, quæ humanæ, communique cognitioni peruia sunt. *36. Debet Theologus explicans voces* Scripturę, ex quibus constat propositiones, siue pręmissæ, quarum virtute elicit conclusionem Theologicam, earũ significationẽ, si ex illa innotescere potest, ab ipsamet Scriptura desumere; alioquin contra mentem Diuinã & præmissis, & cõclusioni assensum pręstabit, si in alia significatione à quocumq; imposita fuerit, sumat: Imò iniuriam non leuem ipsimet Deo inferet, qui illius voces non iuxta ipsius, sed creaturarum significationem sumet, eò etiam grauiorem, quò Diuinis placitis maximè addictus esse debet Theologus, qui Diuina tractat, & in Diuinis vocibus legitima suę Doctrinæ fundamenta reponit. Si ergo Theologi Scholastici diuersam à Diuina acceptione alicui voci significationem imposuerint, illa quidẽ indicãda est, ac esse talem vocem ęquiuocam procul dubio declarandum; verùm Theologo sapientissimo standum erit tandem Diuinæ significationi. *Hinc Theologo* in qualibet quæstione inuestigandum foret; *An vocum, quæ in illa vsurpantur, significatio e Sacris desumi queat literis; varijs inter se, cum illa non foret aperta, collatis locis*; & non à Philosophis, vel alijs scientificis desumenda, nisi dum in Sacris literis omnino deficeret. *Qui Lexicon ad id conficeret accuratum*, miram vtilitatem Theologorum scholis afferret. *37. Conciliorum volumina* post Sacros Codices euoluat diligentissime; perspectũ autem habeat, *Quænam sint re ipsa Concilia Generalia ab vniuersali Ecclesia verè approbata vt talia*; & an sint talia, nulla dubitatio inter Doctores Catholicos prorsus est; *Quænam ibi tradantur tanquam de fide*, & vt talia proponantur omnibus credenda; *Quinam sit talium definitionum sensus*; *Quænam incidenter*, & ad maiorem explicationem &c. ad quæ conducet quam maximè, vt *Acta Conciliorum Generalium* accuratè perlegat, eorumq; *libros* verset, qui *Concilijs interfuerunt*, dum de aliqua materia, de qua definitio tradita est à Concilij Patribus, agunt: si autem alicuius Concilij Generali Acta non extarent in voluminibus Conciliorum (quæ curare debet, vt sint integrè, ac sincerè edita) ab alijs, qui illa fideliter edidissent, vel scripsissent,

obtinere conabitur; ingens enim pręsidium ad intelligentiam Conciliorum hæc afferunt. Ab initio autem vsq; ad finem sedulò illa versabit; *tum vt* perfectam mentis Patrum, qui interfuerũt Concilijs, sententiamq; dixerũt, assequatur; *tum vt* morum, qui vsitati fuerunt in indicendis, celebrandis, terminandisq; Concilijs Generalibus, compos fiat; quæ notitia non potest non esse valde vtilis pijssimo, doctissimoq; Theologo, maximè si consuetudines successiuè à primis Quatuor Concilijs Generalibus, quæ in tanto pretio habita fuerunt ab Ecclesia vsq; ad subsequentia, ac posteriora Concilia Generalia, obseruet. 38. *Concilia etiam Prouincialia*, siue nõ Generalia, quæ vel approbata fuerunt ab Ecclesia, vel etiam sine hac approbatione celebrata fuerunt in Prouincijs à Viris pietate, ac doctrina præstantibus, ac nominatin in *Gallia, Hispaniaq;* si præsertim Romani Pontificis approbationum habuerint, multoq; magis si illius expresso consensu, vel etiam pręsente illo, habita fuerint, euoluat; *tum quia* ad intelligentiam Conciliorum Generalium cognitio eorum valde vtilis erit; *tum quia sensum vnanimem* talium Antistitum, qui fuerunt saltem sæpissimè Viri sanctissimi, ac Doctissimi, morumq; Ecclesiasticorum peritissimi, est opportunissimum scire, simul cum Ritibus seruatis in ijsdem celebrandis ad posteritatis saltem memoriam, & ad retundendos illos, qui statim nouitatis damnarent eos, qui nonnulla vellent, siue cuperent seruari, dum Concilia essẽt celebranda, siue celebrarentur. 39 *Habeat etiam* perspecta Decreta à Romano Pontifice edita, siue *circa fidem*, siue *circa bonos Mores*: Intelligat; *An sint* edita ab illo, tanquam à *Priuato*, an verò tanquam à *Publico Ecclesiæ Doctore*; *An ad* totam directa Ecclesiam, an verò ad particulares Prouincias, vel Personas, *An verba* ibi apposita, quæ significent voluntatem obligandi fideles omnes ad fidem illis præstandam; *An sint* sufficienter promulgata, & cum ijs conditionibus edita, quas Catholici Doctores vnanimiter exigunt ad hoc, vt fideles illis teneantur pręstare assensum fidei internum; nam si ex vna parte Catholici Doctores, nec propter hoc vnquam damnati, sentirent talem conditionem seruandam esse, & ex alia constaret non esse seruatam, non posset à fidelibus meritò exigi actus fidei supernaturalis circa illa &c. *Horum autem* vt assequatur sensum, non tantùm antecedentes, & consequentes voces attendendæ; verùm etiam perscrutandum, ex qua occasione talis *Pontifex* tale decretum condiderit &c. 40. *Sedulò euoluat S. Patres*, vel saltem celeberrimos: eorum autem Codices curet habere emendatissimos, & sinceros, integrosque, ac successiuè per ordinem eos legat; *Animaduertat verò; Quinam communi* suffragio inter *S. Patres* reponantur, neque enim omnes Sancti, qui scripserunt, hoc titulo decorari solent. *An vnanimiter* consentiant,

tiant,

tiant, & in aliquo ad fidem pertinente, indicentq; illud esse Dogma fidei; an verò discrepent, vel vnanimiter interdum consentiant tantum in ijs quæ non pertinent ad fidem, nec ad eandem pertinere asserant; *An locuti sint* in multis ad fidem non spectantibus iuxta famosas opiniones; *An correxerint* aliquem ex antiquioribus Patribus posteriores in aliquo pertinente ad fidem: *Quas voces adhibeant* in explicando Dogmate aliquo fidei: *Quæ posterior* eorum sententia; *An aliqua* retractauerint; *An ex proprio sensu* loquantur, vel solùm permittant nonnulla, qua si ad institutum tunc parum vtilia, eoq; tempore non discutienda; *An simpliciter*, nec ad trutinam, quam necessarium erat adhibere, si suo tempore exortæ fuissent hæreses quæ postea subsecutæ; *An negent solùm* propositiones ad sensum hæreticorum, quæ tamen secus in bono sensu veræ sunt; *An ex hæresum odio* in alterum extremum eorum verba videantur inclinare &c. Vt verò illorum assequatur pro viribus sensum; eos, si potest, in suo idiomate *perlegat*; alioquin seligat interpretem exactiorem; *notos habeat annos*, in quibus scripserunt, florueruntq; cum locis in quibus vixerunt; *perspectas habeat hæreses* quæ eo tempore in Ecclesia vigebãt; *videat*, quibusnam sectis e Philosophicis addicti fuerint &c. *Nec verba* S. Patrum ad sensum suum priùs præconceptum detorqueat, sed potius verum sensum ex eorum lectione petat; nec facilè credat testimonijs, quæ afferuntur e S. Patribus, sed in fonte ea perlegat; *tum quia* aliquando non integrè, non fideliter afferuntur; *tum quia* interdum aliorum argumentationes pro dictis ipsorummet S. Patrum afferuntur. 41. *Theologus* post antiquiores Græcos Patres *S. Augustini* libros euoluat; hunc enim omnes Theologorũ scholæ tanquam Ducem supremum admittunt, & obiectionibus ex illius auctoritate depromptis omnium Scholarum asseclæ se teneri satisfacere arbitrantur; cum tamen Scotista non teneatur admitere, vel explicare auctoritatem S. Thomæ, vel e contra &c. Quare non nisi in ijs, quę vt Dogmata fidei contra S. Augustinum ab Ecclesia definita forent, vel celeberrimi alijs Patres, vel Theologi vnanimiter discederent ab illius sententia, ab Augustini opinione discedere debet, nec illam vnquam tanquam improbabilem damnare, nisi extet contrarium Ecclesiæ decretum, vel experientia, vel ratio planè euidens. Imò debet conari explicare quemcumq; e S. Patribus, & præcipuè, si hi sint e celebrioribus, qui pro contraria sententia afferatur, eoq; magis, si hæc Dogma fidei contineat; Quod si non potest, saltem reuerenter de illo loquatur, enitaturquę illum excusare, si in aliquo errasset dicto, maximè si hoc non leuis foret ponderis: Cum verò sunt Patres pro vtraq; sententia, si aliquis afferat S. Patres impugnando vnam sententiam, qui hanc propugnat, afferat alios Patres pro alia,

vt

vt quanti sit apud se Patrum auctoritas, declaret. *Hinc*, nisi planè id constet, sententiam vllam falsam, vel erroneam, vel hæreticam, licet materialiter, tribuat vlli e S. Patribus. Et poterit quidem aliquando asserere esse dubiam S. Patris mentem propter discrepantes locos, qui in illius libris legi queunt; aliquando autem vtramq; sententiam tanquam probabilem ab eodem S. Patre assertam propugnare. Inter cæteros Patres pluris ceteris paribus faciat doctrinam *antiquissimorum Patrum*, quam subsequentium, & inter hos proximiorum temporibus Apostolorũ (in ipsomet quidem etiam Concilio Florentino apparet, quanti duorum vetustissimorum Patrum sensus fuerit æstimatus) & illos, qui *peculiares laudes* in aliquo reportauerunt Concilio. 42. *Quænam sint Traditiones Diuinæ*, exploratum habeat; neq; facilè admittat vllas tanquam tales, nisi cognoscat habere conditiones, quæ ad illas reuera requiruntur; quod si dubium sit, vel probabile, quod illæ à Christo Domino non emanarint (Diuinæ potuerunt emanare ab illo immediatè ipsas docente, vel mediatè ita, quod Apostoli ex peculiari instinctu, & iussione Christi, peculiariq; inspiratione Spiritus Sancti eas Ecclesię tradiderint seruandas) haud habeat vt tales, sed potiùs vt *Apostolicas, vel Ecclesiasticas*. Imò quotiescumq; cognouerit aliquos Patres, & maximè, si sint e celebrioribus, & antiquioribus, dissentire, nec recipere, vt dogma fidei, aliquam scripturæ interpretationem, vel consuetudinem Ecclesiæ, licet vniuersalis sit, haud eã, tanquam traditionem Diuinam recipiat; cui cæteroqui non minor fides debetur à Christiano homine, quam ipsimet Verbo Diuino scripto. Inter Traditiones autem verè Diuinas aliæ possunt pertinere ad *Doctrinam*, aliæ ad *Mores*; aliæ ex *Consilio*, aliæ ex *Præcepto* seruandæ; aliæ pro *Certo tempore*, alię pro *omnibus sæculis &c.* Has autem distinguere prudentis, sapientisq; Theologi partes erunt. 43. *Indaget sedulò*, qualis sit vniuersalis Ecclesiæ sensus, consensusq; & *Primò* quidem, an sit vniuersalis, ita vt omnes planè Catholici Doctores, Pastoresq; cõsentiant in tali opinione. *Tum verò*, si vniuersalis deprehenditur; An fideles amplectantur talem opinionem solùm, vt *Probabilem*, vel *Probabiliorem*; An *verò tanquam certam*; An ex *Pietate dumtaxat*; An ex *Metu*, An *Ex ignorantia*, An *ad obsecundandum aliquorum voluntati*, qui multã habent potestatem &c. 44. *Perspectos nominatim habeat Sacros Canones* Theologiæ studiosus, ex quorum ignorantia non pauci Theologi in varios, absonosque inciderunt errores; vnde alicubi mos est, vt Theologica laurea non donentur, qui in Sacrorum Canonum studio aliquorum spatio annorum, vel in eadem, vel in alia Vniuersitate non fuerint cum laude versati. *Certè argumentatio, ac probatio e Sacris Canonibus est ex proprijs Theologiæ locis.* Cum autem Sacrorum Canonum intelli-

telligentiam non possit quis assequi sine *Ciuilium Legum* intelligentia, in harum quoque studio, quatenus ad illam conferunt, operam, collocet; ex his tamen argumentatio, vel probatio *extranea* semper erit. Meminerit tamen Theologus, non solùm in Sacris Canonibus *pleraq; ad Forum externum*, ac *Iudiciales Fori Ecclesiastici Causas* reponi; verùm etiam cum plurima ibi iuxta probabiliorem, vel probabilem sententiam afferantur, ex hisce tantùm probabilem, vel probabiliorem argumentationem à se desumi posse: *Sic etiam* ex *probabiliter existimata* Auctoritate S. Scripturæ, Traditione Diuina, Definitione Concilij, Approbatione Vniuersali Ecclesiæ, consensu vnanimi Patrum, *ne dum* ex Ratione naturali sola, vel Auctoritate cuiusue Philosophi, siue cuiusuis alterius scientifici, siue etiam omnium Philosophorum, ac Scientificorum, *imò* & Scholasticorum, ac Ecclesiasticę Historiæ vt sic, *dumtaxat probabiliter* arguet. 45. *Nullius Theologi Scolastici* cuiusq; scholæ Principis, etiam in Beatorum, vel Sanctorum album relati, cuius etiam doctrina fuerit à Summis Pontificibus laudata, à Conciliorum quoque Patribus in prętio habita summo, effata Theologica intelligat esse talia, vt illis, quatenus à tali Doctore assertis, quis fidem Diuinam præstare debeat; nec esse de hæresi, vel errore suspectum, qui illius Doctrinam (præscindendo ab his, quæ dogmata fidei continent, vel conclusiones euidenter deductas ex aliqua saltem præmissa de fide, in quibus omnes Catholici Theologi cõueniunt) impugnat, illiue refragatur. *Animaduertat* quoque non semper esse laudabile, se certi Doctoris etiam præstantissimi Theologi opinionibus obligare; *tum quia* videri potest talis cultus æmulari illum, qui præstatur Diuinæ auctoritati; *tum quia* sæpè quis poterit tueri sententiam contra suum re vera sensum, adeoque lumine naturali se priuabit homo; *tum quia* non scientiæ, sed fidei habitum multi acquirent; *tum quia* nimia propensio in suum Doctorem excitare solet contra Doctores aliter sentientes minùs æquum animum cum ingenti quandoq; etiam Iustitiæ, nedum Caritatis detrimento; *tum quia* his haud videtur esse propositum inquirere, amplectiq; veritatem, sed tantummodo pro auctoritate sui Doctoris, tanquam pro aris, focisq; decertare &c. *Quod si iustas ob causas* velit, aut teneatur alicuius Theologi doctrinam sequi: Intelligat; *An teneatur sequi* in Theologicis tantum, an verò etiam in Philosophicis; *An amplecti omnia* planè in qualibet materia ab illo Auctore scripta, an verò solummodo in certis tradita; *An illius rationes*, & omnes, teneatur tueri, *An vero conclusiones* dumtaxat; *An illas vt certas*, *vel vt* congruentes tantummodò, vel probabiles &c. *Animaduertat præterea*, non *teneri* sequi illum, non solùm quando dubia esset illius mens circa aliquam opinionem; verum

etiam quando Concilium Generale , vel Pontifex ex cathedra , vt communiter dicitur , aliquid definiret contra illius doctrinam , vel aperta ratio , aut experientia falſitatem aliquarum eius concluſionum , vel alicuius eius Principij demonſtraret . *Imò nec teneri amplecti* interpretationem illius doctrinæ à quocũq; factam, licet probabilior videretur ; ſatis eſt, vt ſequatur probabilẽ: *Multò minus teneri ad* pręſtandũ aſſenſum internum talis vt ſic Doctoris opinionibus &c. 46. *Historiæ Eccleſiaſticæ lectioni* ſe tradat ; nam plura etiam , quæ ad fidem pertinent, exactè abſq; illius cognitione non percipiet, ac multa diſcet ad praxim valde conducentia &c. Cum delectu tamen has legat; nam *aliquæ falſæ*; aliæ *minùs veridicæ* ; aliæ *à non probatis auctoribus afferuntur, & videntur excogitatæ ad auram popularem, ad ſuam auctoritatem extollendam &c.* Nonnullis ſcriptoribus Eccleſiaſticis poſſet eſſe propoſitum, aliquorum iura controuerſa etiam inter Catholicos omni opera tueri, amplificare &c. & quæ illis fauerent quacumque ratione, latè referre; quę aduerſarentur, omni conatu, etiam minus iuſto , reijcere &c. *Illi ſcriptores Eccleſiaſticarum Hiſtoriarum cæteris præferendi* , Qui magis ſinceræ fidei habiti ſunt à ſapientibus , cordatiſque viris ; Et vetuſtiores quidem per ſe anteponendi recentioribus ; nam hi peculiares cauſas habere poſſent , quæ non adeò acriter , vel non tam multæ vrgebant vetuſtiores , à quibus impellerentur, vel ad occultandam veritatem, vel ad illam exaggerandam, vel ad falſa quoq; referenda &c. *Iuuabit autem habere* Catalogum Scriptorum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ , eorumq; mores habere perſpectos ; *ſcire etiam*, quo *anno ſcripſerint*, quo in loco, quibus dominantibus &c. & conferre inter ſe ſcriptores, qui eodem æuo ſcripſerunt, vel qui poſtea ſubſecuti ſunt . 47. *Cum Theologia , quæ modò* traditur in Scholis communiter, maxima ex parte comprehendat Philoſophicas re vera quæſtiones , innitaturq; in compluribus concluſionibus , etiam verſantibus circa Theologica obiecta, principio alicui probabili Philoſophico , neceſſe habet , qui Theologię in Scholis operam dare vult , vel etiam euoluere cupit libros, qui à multis annis imprimi cæperunt inſcripti *Theologici*, ſedulam nauare operam Philoſophiæ, non *Rationali* tantummodò, ſiue Logicæ, quæ cuiq; planè Theologo neceſſaria eſt ; verum etiam *Naturali* ; *Tranſnaturali*, ſiue *Metaphyſicæ. Moralis* autem *Philoſophia* agens de *Voluntario*, ac *libero* ; *Virtutibus* , ac *Vitijs* iam à Theologia quoq; fermè tota tractatur : Multa quidem Philoſophiæ morali traditæ iam ab ethnicis Philoſophis addita ſunt, addiq; adhuc poſſunt ex Sacris literis , ac Patribus , Chriſtianiſque Doctoribus, quorum aliqua fuerunt penitus illis incognita: Quæ ſapiens Theologus perſpecta habere debet. *His Moralis Philoſophiæ Principijs* poſitis, & e Sacris literis , Concilijs, Pontificijs Decretis , ſacriſq; approbatis Canonibus , & S. Patribus confirmatis

(reſciſſis

(reſciſſis, quæ Philoſophi quicumq; hiſce repugnantia protulerunt) Theologiam Moralem addiſcat, cuius cognitio adeo neceſſaria eſt Theologo, vt illa deſtitutus nequeat ſimpliciter appellari Theologus, ſed Theologus ſecundum quid, & Imperfectus: Theologia enim ſimpliciter ex communi etiam diuiſione alia eſt *Scholaſtica*, alia *Moralis*. Certè nobiliſſima Theologiæ parte erit deſtitutus. 48. *In nonnullis Theologicis quæſtionibus* ingenuè fateatur ſe neſcire reddere rationem adæquatam, vel quæ ſatisfaciat, vel quæ non facilè impugnari queat, vel etiam ſolui. S. *Auguſtinus ipſemet*, cui parem in ingenio, variarumq; ſcientiarum peritia hactenus non vidit terrarum orbis vniuerſus, ingenuè fatetur interdum, *ſe aliqua credere, quia in Sacris literis continentur*; quo modo autem illa fiant, vel fieri poſſint, ſe planè ignorare. Veriſſimum eſt, Deum plura poſſe facere, quam creati quicumq; intelectus excogitare poſſint; nec Deus videretur eſſe ille, cuius ſapientia, vel omnipotentia &c. ab intellectibus quibuſq; creatis etiam collectiuè acceptis comprehendi poſſet. *Aliquas etiam quæſtiones* ne nimis examinet, memor, eum qui *nimis emungit, elicere ſanguinem*, ac præterea *Scrutatorem Maieſtatis opprimi à gloria*. Auctoritatem Diuinam eſſe id vltimum, in quod reſoluenda ſunt pronunciata verè Theologica, & in quam vltimò deniq; reſoluuntur etiam Reſponſiones, quæ afferuntur contra præcipua Fidei noſtræ myſteria oppugnantes, *ſollicite attendat*. Illa eſt medium proprium, ac per ſe, quo niti debet Theologus ad aſſentiendum ſuis Principijs, & concluſionibus, illaſq; probare; innoteſcit autem in *Scriptura*, vel *Traditione Diuina*, habeturq; ex legitimis Generalibus Concilijs, conſenſu vnanimi Patrum &c. Si quę adduntur rationes, etiam Demonſtratiuæ, circa aliquid, quod re uera etiam eſt de fide, non proferuntur à Theologo, vt Theologo, ſed vt Philoſopho potiùs, niſi illę ſint petitæ ex eadem Auctoritate Diuina. *Ratio, vt ſic, eſt medium per accidens*, ſiue *extraneum Theologiæ*. Scientię quidem naturales *Rationi, non Auctoritati nituntur*. Si illi inniteretur Theologia, in eodem ordine ſederet cum Naturalibus ſcientijs. Diuina Auctoritas cuiq; Humanæ præualet rationi. *Nemo exactius Deo* naturas rerum quarumcumq; norit. 49. *Animaduertat, non eſſe Dogmata fidei tradita in generali reſtringenda ad intellectum* ſpecialem, quaſi non poſſint illa eſſe vera in generali, niſi ſpecialis intellectus ſit verus v. g. cum *Trinitas perſonarum* ſit fidei dogma traditum in generali; ſpecialis intellectus ſit, *Conſtitutiua perſonarum ſunt*, vel *Relationes*, vel *Abſoluta*; haud eſt neganda *Perſonarum Trinitas*, eo quod incertum ſit *An conſtitutiua perſonarum ſint Relatiuæ, an verò Abſolutæ Rationes*: ſunt opiniones vtrimq; probabiles; neq; ex eo quod ſint probabiles huiuſmodi opiniones, ſit, vt probabilem ſolum teneatur quis *Trinitati perſonarum*

præstare assensum. *Substantiam Mysterij Trinitatis* (si ita loqui fas est) reuelauit Deus, nec sub opinione voluit esse; *modum autem*, quo personæ constituuntur, noluit reuelare, sed sub opinione reliquit. Deus tantummodo id norit. Est verum quidem vnam ex his opinionibus tantummodo esse veram; neque enim ratio personarum constitutiua potest esse simul relatiua, & absoluta; adeoq; ex taliter diuersa opinantibus aliqui necessariò falluntur: Quinam autem sint hi, humano intellectui imperuium est. Forsan illi falluntur, qui probabiliores, & illi qui euidentes fermè rationes pro sua opinione habere putant. *Ad hæc*: cum Conclusio Theologica ex duabus pręmissis de fide, vel ex vna de fide, alteraq; pręmissa naturali possit euidenter, vel probabiliter deduci, *animaduertat Theologiæ studiosus*, eam quæ probabiliter deducitur, non esse per se, ac propriè conclusionem Theologicam; & quotiescumq; periti Doctores Catholici inter se dissentiunt in illa deducenda, vel affirmant aliqui, e celeberioribus præsertim, illam solum probabiliter deduci, etiamsi plerique sentirent euidenter deduci, adhuc illam conclusionem nullo modo pertinere ad fidem, ad quam tunc incipiet spectare, vbi Ecclesia statuerit, euidenter talem conclusionem deduci ex talibus præmissis; tunc enim extra controuersiam erit, quod illa euidenter deducatur; modo autem id controuertitur, & forsan illi, qui putant multas suas huiusmodi conclusiones euidentes esse, paralogizant. *Concedit quidem Ecclesia*, vt de huiusmodi conclusionibus disseratur inter scholas, Doctores, scriptoresque, vt *tali præcedente disquisitione possit aliquando, cum opus erit, statuere, talem conclusionem euidenter deduci, illamq; fidelibus* proponere credendam. *Non est autem* facilè ad huiusmodi definitiones, & maximè in quibusdam materijs deueniendum: *tum quia* posset non esse adhuc satis discussa controuersia; *tum quia* sępe possent non adesse requisita omnia ad huiusmodi definitiones & ad obligandos fideles, vt captiuent intellectum in obsequium illarum; *tum quia cupiditas earum*, vel ad illas impulsus oriri posset ex priuatis passionibus, licet sub specie pietatis; *tum quia*, quam parca fuerint antiquiora, & celeberrima Concilia in huiusmodi definitionibus, ex historijs patet: Quare mirandum esset, si multæ modò definitiones procurarentur, maximè si absq; illis magis Ecclesiæ pax vigeret: si tamen illæ legitimę forent, licet multæ, illis standum erit. 50. *Attente euoluat sæpissimè*, ab illo qui perfectus debet esse Theologus, Sex habendas nominatim notitias, in quarũ plerisq; excelluerunt celebriores Theologi, ac nominatim, *S. Augustinus*, *S. Thomas*, *S. Bonauentura*, ac *Scotus*. Inter quas PRIMA est, *Scire ea, quæ in Sacra Scriptura traduntur, & prout in ea traduntur*. Sic Philosophus dicitur ille, qui scit rerum veritates, quæ continentur in Aristotelis, aliorumq;

Philo-

Philoſophorum libris, reiectis illis, in quibus illi à veritate fuerint alieni. *Proprium autem*, ac *literalem ſenſum* S. Scripturæ aſſequi conetur ſemper: licet enim ſint interdum in illa locutiones figuratæ; in *Hiſtoria tamen*, in *Præceptis*, ac *in Fidei dogmatibus tradendis* propriæ voces ſunt, ac propriè exponendæ, niſi quid planè repugnans ipſimet fidei, ac euidenti planè rationi appareat; *ſecus enim nihil certe haberet Chriſtiana* fides, in quo certitudinem ſuorum fundaret Dogmatum; ac aduerſarij, nominatimq; Hęretici, facilè omnia, quæ aſſererentur Dogmata Catholica, talia non eſſe aſſererent, nec ex Scriptura euinci poſſent: *Imò ipſas etiam methaphoras* in proprio ſenſu Theologus ſumat, ac poſtea explicet ratione ſimilitudinis: *idemq; in omnibus plane ſeruet Tropis*, ita vt ex omnibus proprium, ac literalem ſenſum eruat. *Eam verò ſacrarum literarum* cognitionem aſſequatur Theologus, vt pudeat ipſum in Theologicis *ſine Verbo Diuino loqui*, non minùs ac *erubeſcit* Iuris Vtriuſq; & maximè *Ciuilis* Doctor *ſine lege loqui*. Pronunciata *Canonici Scriptoris* præferat ſemper doctrinæ quorumcumque: nec ſi certò, vel probabiliter verè ſua opinio innitatur Scriptoribus Canonicis, timeat de *nouitate damnari* legitimè. *tum quia* illi antiquiores omnibus Scolaſticis; *tum quia* illi ſunt Scholaſticorum magiſtri, ac erroris expertes; cæteri omnes eorum diſcipuli, erroriſque capaces: Minus verò æſtimet Scholaſticorum auctoritatem aduerſantium, ſi pro ſe etiam habeat S. Patres, & ex his celebriores, ac antiquiores. SECVNDA eſt, *Defendere, quæ in Sacra Scriptura traduntur contra illa impugnantes, ſiue hi ſint Gentiles, ſiue Hæretici.* Contra *Gentiles* Sacras non admittentes literas Oſtendendum, eorum argumentationes non eſse efficaces, eo quod ſint petitæ e locis non euidenter concludentibus, ſiue etiam ſophiſticis, vel etiam retorqueri poſſint contra alia ipſorummet effata &c. Ad quod maximè conducit notas habere Philoſophorum ethnicorum Doctrinas, Gentilium Hiſtorias &c. Contra *Hęreticos* admittentes Scripturas, quas Catholici admittunt, S. Patrum auctoritatem &c. Oſtendendum, eas, quibus Catholica Dogmata oppugnant, aut *non eße ad rem*; aut *non ſincerè afferri*, vel *talem Scripturæ interpretationem non eße veram ex alijs Scripturæ locis*, aut *quia repugnat conſenſui Patrum illam explicantium*, aut *quia in legitimis Concilijs aliter intellecta &c.* Similiter Patrum auctoritates *non afferri ad rem*, vel *eſſe corruptas*, vel *non integre proferri*, vel *non eße talis Patris*, *ſed potius aduerſariorum*, *quorum dicta refert*, vel *non ex locis in quibus ex profeſſo*, *ſed incidenter agit de tali re*, aut S. *Patres tales ſententias* in *poſterioribus retractaſſe libris*, aut *alios S. Patres, & celebriores* illis obſtare &c. TERTIA eſt. *Declarare Catholicis ea, quæ in Sacra traduntur Scripsura, ſecundum cuiuſq; capacitatem; in id collimantes*, vt fidem in eorum Cordibus *nutriant*, ac *roborent*,

afferentes *congruentias* quaſdam, *ſimilitudines* & quando queunt, *rationes Demonſtratiuas* (aliqua enim quæ à fide proponuntur, dicuntur etiam Demonſtrari poſſe) vel etiam *Probabiles* ; hæ enim valent ad conſolandum perfectos in fide, ad fouendum infirmos in fide; periculumq; eſſet, ne ſi fideles rationes ad fidei probabilitatem deficere cognoſcerent, & ad oppoſitum abundarent, *perfecti vacillarent, infirmi* iam corruerent; præterquam etiam illæ valent ad confundendos fidei aduerſarios. *Ad hæc: motiua noſtræ fidei*, erroreſq; Cęterarum ſectarum diligenter Catholicis proponant, *Virtutum*, *Vitiorumq;* naturas, ac media ijſdem ad hæc fugienda, ad illas verò amplectendas indicent &c. QVARTA eſt *docere Gentiles Chriſtianam*, *ac Hæreticos Catholicam Veritatem* : & *Gentiles* quidem, oſtendendo, *Quam conſona ſint Rationi plurima Chriſtianæ Religionis dogmata*, *& quam diſſona ſint illi plurima ipſorummet effata*, *Exponendo motiua extrinſeca*, *quæ habent Chriſtiani pro aſſentiendo his, quæ lumẽ naturale excedunt*; neque enim vlla ſecta tot, & tam grauia habet &c *Hæreticos* verò, oſtendendo *credi- e Concilijs, Patribus &c.* eos diſſentire illis, *quæ ſemper, & vbique credita ſunt*; Catholicorum verò ſententias eſſe conformes *his, quæ ſemper, & vbique credita ſunt*, vt liquet ex communi traditione Patrum &c. QVINTA eſt *Cognoſcere, quęnam ſint fundamenta, Incrementa, Additamenta*, ſiue *Ornamenta fidei*, hoc eſt, *illa quæ neceſſariò plane ab omnibus credenda ſunt, & illa ſine quibus ſalua fides eſſe poteſt*, etiamſi Chriſtiani inter ſe diſſentiant. *Meminerit Theologus : tum Chriſtum Dominum* pauciſſima fidei dediſſe præcepta, & præter Apoſtolicum ſymbolum à prioribus Concilijs, quibus aſtiterunt Sanctiſſimi, Doctiſſimiq; Viri, pauciſſima etiam fuiſſe definita ad fidem ſpectantia : *tum Chriſtum Pacem*, & *Caritatem* inter cæteras Virtutes Chriſtianis præcipuè commendaſſe; Quare nunquam cuiquam ſuadeat, vt aliquam definitionem de fide procuret, vel ad illam deueniatur, ſi non ſolùm non plane conſtet de Veritate collecta ex Verbo Diuino, aut ſcripto aut tradito; verum etiam ſi non euidens talis declarationis neceſſitas appareat; *Neq; enim ab vllo Chriſtianarum* animarum Paſtore, cui illas Chriſtus tanquam *Oues*, imò & *Agnos*, *Ouiculaſque*, & vt *Suas* commẽdauit, iuſſitq; illas a quocũq; Paſtore, qui *Mercenarius* nõ ſit, paſci *Mente*, paſci *ore*, paſci *opere*, animi *oratione* verbi *exhortatione*, exempli *exhibitione*, ſiue paſci *verbo*, paſci *exemplo*, paſci *ſanctarum fructum orationum*; videntur vlli, & maximè ſi hi ſint multi, à Chriſti ouili interris ſegregandi, qui *Chriſti caractere inſigniti*, nec *non prompti mortem etiam obire pro pręcipuis Chriſtianę fidei myſterijs propoſitis*, *ſiue in Scriptura ſiue in Traditione Conſtanti*, *Antiqua*, *& Generali*, & à legitimis *Concilijs &c.* in quibuſdam diſſentirent, quæ ſolùm probabiliter, vel etiam probabilius eſsent de fide, aut ex illis deducerentur, appare-

rentq;

rentq; ſolum euidentia nonnullis, ea maximè de cauſa, quod in fauorem, commodumq; proprium forent: *Ac pręcipuè aduc*; ſi neceſſitas haud vrgeret talium declarationum; imò ijs poſitis *multę perturbationes futurum eſſet, vt orirentur in Chriſtiana Republica cum maximo Catholicę etiam Religionis, ac Pietatis, animarumq; Chriſti ſanguine redemptarum detrimento*; nec adeſsent tot motiua, quæ huiuſmodi Dogmata redderent adeò euidẽter credibilia, ſicuti alia &c. SEXTA eſt *ex Dictis Sacræ Scripturę, Articuliſq; fidei, tanquam ex Principijs deducere concluſiones Explicitè, ac Formaliter quę, in illis dumtaxat Implicitè*, ac *Virtualiter includebantur*: & harum quidem deductio omnis, dum non eſt approbata, ſiue propoſita ab Eccleſia, tanquã ad fidem ſpectans, terminis tantummodo probabilitatis, vel maioris ad ſummum probabilitatis circumſcribitur: Et plurima quidem ſolùm probabiliter ex huiuſmodi Principijs deduci queunt; Si autem quædam deducta ex alijs Scripturæ locis in eadem Scriptura habeantur, hæc nõ ſpectant ad Theologiæ Habitũ prout *Illatiuum*(cuius nomine intelligitur modò præcipuè à Scolaſticis Habitus Theologiæ) ſed potius ad fidẽ, ſiue ad Habitum Theologię, prout eſt *Declaratiuus*, ſiue *Adhęſiuus* illis, quæ in Sacris habentur literis. *Ex quibus* videre licet: *Tum quam ampli* ſint Theologiæ fines: *Tum quam meritò* pauciſſimi inter veros, perfectoſq; numerari queant Theologos: *Tum Veriſſimum eſſe*, illa, quæ tractantur à plerîque ſaltem modò in Scholis, non eſſe ſatis ad reddendum vllum in aliqua etiam perfectæ Theologiæ parte perfectum: *Tum ad Chriſtianę Religionis decus, ac vtilitatem* quoque ſpectare, vt opera præcipuè & in Academijs, ac in Scholis ponatur in docenda, diſcendaq; vera Theologia, *adeoq; & reſecentur multa* leuiſſimè, vel nullatenus opportuna ad Finem, propter quem Theologia eſt inſtituta; & *ad Theologicas Cathedras*, indeq; ad *Ampliſſimas* Eccleſiaſticas Dignitates euehantur illi, qui verſati ſunt præ cæteris in SACRA SCRIPTVRA, CONCILIIS, SANCTISQVE PATRIBVS &c.



317

Reuerendissimo Patri Magistro

CIPRIANO FILIPPINI

Veneto e Sacro Prædicatorum Ordine;
In Vniuersitate Patauina
Theologo valde Illustri;
Qui non minùs Sapientia, quam Modestia
Præcellit:
Reuerendissimoq; Patri Magistro

MARINO CERCHIARI

Veneto ex eodem Predicatorum Ordine;
Viro ob insignem Vitæ Probitatem,
Ob Magistri, Concionatoris, ac Prouincialis
Summa cum omnium approbatione
Administrata Munera
Satis conspicuo;
Animaduersiones Quinquaginta
PRO ILLO, QVI IN THOMISTICÆ, AC SCOTISTICÆ
DOCTRINÆ
STVDIVM INCVMBIT
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
E Comitibus Placentinis
Vt Beneuoli in eos Animi
Argumentum
D. D. D.

Caput Tertium.

F

Pr

1 Q

ſine pecul

meritò du

2. *Vterqu*

miſtam, v

Ingenuus T

idemq; aſſe

Scotum e

qui non le

ſit cognoſ

qui vident

eſſent con

S.Thomæ ſ

non requi

proſequat

tiſta circa

cuiuſq; e

affecto on

Rationun

aſſequetu

bus affici

dus Prædi

obijtq; a

B.Vmbertu

no 1254

ſeptimus O

decim ſpa

gubernau

inuicem dil

inter quæ

adhuc eo

in doctrin

men mult

quis illos

addicere

auertere c

prudenter

nè quis obl

ne clancul

1 QVicumq; *Angelici, vel Subtilis Doctoris* Effatorum studiosus est, hosce Doctores ambos peculiari priuata veneratione prosequatur, *Deumq;* ac *B Virginem* colat quam maximè, memor ambos fuisse viros sanctissimos, nec sine peculiari Dei ope illam adeptos fuisse scientiam, propter quam meritò duarum celeberrimarũ Scholarum Principes sunt designati. 2. *Vterque sibi suadeat*, non posse quemquam euadere egregium Thomistam, vel Scotistam, qui in vtroque Auctore valde versatus nõ sit. *Ingenuus Thomista profitebitur certè, se multum ex lectione Scoti proficere; idemq; asseret ingenuus Scotista de S. Thomæ lectione.* 3. *Ne quis* existimet Scotum esse adeò obscurum, vt ab homine non hebetis ingenij, & qui non leuem operam in eo euoluendo ponat, haud illius sensus possit cognosci; ingeniosi enim Thomistæ, ne dum Scotiste, illum assequi videntur & aliqui illũ assecuti sunt; secus enim haud tam celebres essent controuersiæ inter hasce Scholas. *Ne quis* etiam suadeat, *S. Thomæ* stilum esse adeò facilem, vt sæpissimè ad illius intelligentiam non requiratur repetita, attentaq; meditatio. 4. *Nemo Thomista odio* prosequatur Scoti doctrinam, illiue sit infensus; quod idem de Scotista circa *S Thomæ* doctrinam asseritur: Nec amor, & studium cuiusq; erga suum Principem odium alterius excitet. Thomistæ sic affecto omnia Scoti sordebunt, sicuti etiam Scotistæ, quæ S. Thomæ. Rationum, obiectionumq; Vtriusq; Doctoris nunquam satis vim assequetur, qui nimio amore, vel odio vnum ex ambobus Doctoribus afficitur. 5. *Legat vterque epistolam*, quam non *B Iordanes secundus Prædicatorũ Ordinis Magister Generalis*, qui fuit electus anno 1222. obijtq; anno 1236. die 12 Februar. multis clarus miraculis, sed *B. Vmbertus*, qui fuit *Quintus illius Ordinis Magister Generalis* electus anno 1254; cessitq; magistratui sponte anno 1263. ac *S. Bonauentura septimus Ordinis Minorũ Minister Generalis* electus anno 1256. & octodecim spatio annorum sanctissimè, ac prudentissimè Ordinem illum gubernauit, vnanimi consensu ad suos scripserunt ordines *de mutua ad inuicem dilectione, tollendisque religiosæ pacis inter eos ordines perturbatiuis;* inter quæ licet non numerent *Opinionum discrepantiam* (neque enim adhuc eo tempore ab hisce Ordinibus *S. Thomas*, & *Scotus* Principes in doctrina Theologica, quam amplecterentur, electi fuerant) attamen multa proportionaliter applicari possunt doctrinæ; vt, *Ne aliquis* illos, qui alicuius ex hisce Doctoribus Scholæ addicti sunt, vel addicere semet cupiunt, ad suum Doctorem *conuertere*, & ab alio *auertere* conetur; *ne quis sic* Doctorem suum, vel eius Doctrinam *imprudenter extollat*, quod *in alterius depressionem laudes tales fieri videatur; ne quis obloquatur* de alio Doctore, *non solùm in publico coram multis, sed ne clanculo coram extraneis, nec inter fratres proprios in secreto. Quis enim*

nescit, quantum per huiusmodi depressiones, oblocutiones, criminationes lædatur charitas, imò procul pellatur ab omni genere amicorum? Legitur *etiam in Constitutionibus Fratrum* Ordinis Prædicatorum *distinct.* 2.c. 13. initio *textus* 5. *Fratres Minores, sicut & Nostri, charitatiuè, & hilariter recipiantur, & secundum facultatem domus piè, & honestè procurentur.* In Declarationibus autem L. H. habetur *ibidem. Declaramus*, quod Priores, & Fratres nostri omnes *diligentissimè curare debent, vt amorem maximum erga* Fratres Minores *semper, & vbique habeant, & corde conseruent, ore eos laudent*, opere *benignissimè recipiant, humanissimèq; tractent, & de pace cum eis habenda, quantum possunt, solliciti sint. Qui autem contrarium ausi fuerint, grauiter puniantur, & caueant* Fratres, *vt neque inter se, neq; cũ alys quantumcumq; familiaribus de ipsis minùs benè loquantur. Si qui verò amicitiæ, & familiaritatis speciem præseferentes, mala de* prædictis fratribus *retulerint*, fratres nostri *non sint faciles ad credendum, quin potiùs* eos, *quantum possunt, excusare conentur. Quod si fortè* ipsi Fratres Minores *de* Nobis *malè loquendo*, nos *quandoque prouocauerint, tamen nullo modo publicè cum* eis *contendamus, sicut fuit ordinatum apud Parisios* 1236. *& ibidem* 1256. Quare *non tantum* Fratribus Prædicatoribus, ac Minoribus cauendum est, ne vna cum habitu induant animum minùs beneuolum inter se, & vbi cæperint studio vacare, ex dissensionibus in intellectu hauriant dissensiones in voluntate; *verùm* etiam illis opera omnis adhibenda, vt peculiari amore & obseruantia se inuicem prosequantur, circa ad Doctrinam quoque spectantia: secus enim Caritas inter eos Ordines Christiana, nedum Religiosa, vigebit, nec posset esse Deo grata eorum Doctrina, qui illa abuterentur contra Caritatem peculiariter etiam ipsis commendatam, & quæ maximè floruit inter S. *Dominicum*, ac *Franciscum*, omnesq; illos, qui in ambobus Ordinibus sanctitate simul, & sapiẽtia excelluerunt. 6. *Intelligat vterque*, vtramq; Scholam habuisse viros pietate, ac doctrina valde insignes, sicuti in eadem excelluerunt S. *Thomas*, & *Scotus*; horumq; pietatem, non verò aliorum parum piorum mores amplecti nitatur. *Tunc quisque erit perfectus Thomista, & Scotista*, cum ijsdem virtutibus, quibus illi præditi fuerunt, animum suum exornauerit. Doctrina, siue Thomistica, siue Scotistica, nisi Spiritum habeat socium, maiora incommoda, quam commoda afferet *Prædicatorum, Minorumq; Ordini*; & *Ecclesiæ Sanctæ* perexiguo, aut nulli adiumẽto esse potest. 7. *Animaduertat, vtramq; Scolam* ab Ecclesia permitti, imò & foueri, priuilegia vtriq; ampla elargiendo, ad honores etiã supremos Ecclesiasticos in alterutra insignes doctrina euehendo &c. Vt amicabili concertatione inter se vtriusq; Scholæ asseclis digladiantibus clarior appareat notitia nonnullarum latentium fidei Veritatum, quæ certò tempore definiri possint ab Eccle-

sia;

sia; & mutuis modestis concertationibus alacriores illi euadant ad Hæreticorum Dogmatum impugnationem. Quare si experientia demonstraret, ex huiusmodi Scholarum permissione Ecclesiam fine suo frustrari, ac oriri scandala frequentia, tum inter ipsos Ordines, tum cum alijs & dissensionem huiusmodi in intellectu esse causam, siue occasionẽ discrepantium voluntatum inter ambos Ordines, qui adeò proficui Ecclesiæ fuerunt, ac nominatim, antequam Ordines ambo statuissent hosce Duces in Theologia sibi creare, posset sine dubio ambas prohibere Scholas; imò teneri posset, dum magis illas obesse, quam prodesse fidelium pietati, illorumq; Ordinum trãquillitati certo cognosceret. 8. *Modestiam miram* S. Thomę, & Scoti in refutandis aliorum sententijs, & maximè si sint alicuius, vel aliquorum e S. Patribus, & in excusandis illis, si in aliqua errauerint re, imitari quam maximè nitatur vterque in refutando contrario Doctore, ac in eo excusando, si in aliquem lapsus est errorem. Error potuit esse materialis, cum non adhuc exaret vlla definitio Ecclesiæ, vel appareret consensus certus Ecclesiæ vniuersalis &c. 9. *Peculiariter obseruet*, S. Thomam, & Scotum non fuisse faciles in damnandis aliorum sententijs, quasi essent contra fidem, vel Sacram Scripturam; atq; nisi expressè de hoc constaret, à simili abstinuisse nota. Distinxerunt illi inter illa, quæ necessariò credenda erant à quolibet fideli ab ijs, quæ inter Catholicos controuerti poterant. 10. *Caueat* quam maximè ab illis vocibus, tanquam temerarijs, scandalosis, ac detractorijs verè, *Quisquis ab Angelici, vel Subtilis Doctoris sententia discesserit, suspectus est de hæresi*. Erunt per consequens suspecti de hæresi Pontifices, qui vtriusq; Doctoris Scholam permittunt, laudãt, fouent &c. 11. *Ne vllus putet*, suum Doctorem esse Scriptorem Canonicum, vel sapientiam à Deo talem illius intellectui communicatam, vt falsitati non sit exposita. Haud tale priuilegium vlli etiam e S. Patribus videtur fuisse concessum. Humana est vtriusq; Doctoris sapientia; & licet peculiare aliquod beneficium à Deo in ea acquirenda obtinuissent, non tamen propter hoc infallibilis est; nam si diuersa sentit vterque, quo modo contradictoria, vt vera cælitus approbari queunt? Bona vterq; intentione (quod pertinet ad voluntatem) vterq; etiam falsa scribere potuit; vel etiam vt plurimum vera in conclusionibus vere Theologicis. 12. *Ne quis* nimis suum Doctorem efferat laudibus; nec quæ concionatorio, vel populari, siue Rhetorico, & amplificatorio quodam more dicta sunt à nonnullis, tanquam omninò certa, ac Diuinitus inspirata putet ita vt illis indubitata fides præstanda sit. Id præterquã veritati, alijsq; iniuriũ est, noxium est eiusdem Doctoris auctoritati; nam alij harum pertæsi laudum, ac exaggerationum, omne studium collocant in quæ-

rendis,

rendis, ac publicandis illis, quæ talis Doctoris auctoritatem minuere queunt. *Habet S. Thomas, habet Scotus suas priscas, verasq; laudes. Aliquorum commentis, & exaggerationibus* non indiget. 13 *Perpendat*, haud fuisse propositum Scoto impugnare S. *Thomam*, sed potius *Henricum Gandauensem*, qui eo tempore erat celeberrimus Doctor, *solemnisq;* peculiariter dicebatur, vt propterea à nonnullis *Scotus Henrici Antagonista* fuerit appellatus. Ter solùm videtur *Scotus* mentionem explicitam fecisse *S. Thomæ*. Cum autem non sortitus fuisset *Gandauensis* asseclas (quos meritò habere potuit, ac potest) sicuti S. Thomas, & Scotus, ab horum asseclis cæpit primò ad ingenij exercitationem controuersiarum inter ambas Scholas agitatio. 14. *Animaduertat*, à nonnullis *Illustribus Thomistis* in libris etiam editis re ipsa declaratum, quanti facerent *Scotum*; & non nisi iuuenes quosdam, ac in Theologia enimuerò tyrones, minusq; ingenio valentes, tum Thomistas, tum Scotistas floccifacere alterius Doctrinam. Quo prudentior simul, ac sapientior quisque, solet aduersarium Doctorem maiori in pretio habere. 15. *Cum admittantur* ab Ecclesia vtriusq; Doctoris placita propria (nisi sit quid definitum ab Ecclesia contra vtrumq;) censura dignus posset censeri, qui alterius Doctoris dictis aliquam censuræ notam inurere vellet. 16. *Non ex eo quod* alicuius ex his Doctoribus opinio minùs placeret Ecclesiæ, vel etiam de illa disputatio, vel locutio etiam priuata vetaretur ratione scandali, similisue causæ; non ex eo quis sibi persuadeat illam esse *Erroneam*, vel *Temerariam*, vel *Improbabilem* quoque, nec posse illi interiorem assensũ pręstari; imò sciat posse teneri ad hunc assensũ interiùs pręstandum, si rationem, vel auctoritatem, ad id cogentem putaret se habere. Vniuersalis autem Ecclesiæ sensus, nisi sit de re, quam sentiat certò pertinere ad dogma fidei, & nisi sit planè omnium Catholicorum Doctorum, probabilitatem solùm maiorem indicat. *Quare peccaret*, tum *contra Caritatem*, tum *contra Iustitiam*, tum etiam *contra Fidem*, qui talem opinionem vt sic proponeret fidelibus tanquam de fide credendam, illiusq; sequaces, tanquam minus Catholicos, notaret. 17. *Cum necessariò* ambæ Scholæ conuenire debeant in Principijs Primis Theologiæ, quæ sunt præmissæ de fide habitæ ex Sacra Scriptura, Diuinisq; Traditionibus &c. Sciat Thomista, & Scotista controuersias inter vtramq; Scholam solum esse posse circa illa, quæ non sunt proposita, tamquam de fide credenda, nec vllus obligatur ad illis fidem supernaturalem præstandam. 18. *Cum discrepant* inter se Scholæ modò, an aliquæ conclusiones necessariò, ac euidenter deducantur ex duabus præmissis de fide, multòq; magis ex vna præmissa de fide, & altera lumine naturali cognita, conclusiones illas sine errore in fide, vel nota vlla erroris,

imò

imò cum laude poterit Thomiſta, & Scotiſta tueri, donec definitio Eccleſiæ accedat, qua ſtatuatur euidenter, ac neceſsario ſequi tales concluſiones, & proponantur fidelibus, vt credendę. Quoties etiam homines cęteroqui ſapientes exiſtimati arbitrantur aliquam concluſionem euidenter inferri ex talibus præmiſſis, & tamen vix probabiliter, vel ſophiſticè etiam concludit? 19. *Cum pleręquæ concluſiones Theologicæ*, tum Thomiſticæ, tum Scotiſticæ deducantur ex pręmiſſis, quæ ſolùm probabiliter, vel probabilius ſunt de fide; vel licet ex vna præmiſsa certò de fide, ex altera tamen probabiliter ſolum de fide; vel etiam ex altera naturali probabili; aut etiam ex duabus præmiſſis probabilibus naturalibus; *intelligat Thomiſta, & Scotiſta*, has eſſe propugnandas ſolum tanquã probabiles cõcluſiones, adeoq; poſſe eſſe locum alteri opinioni; nec ex ſolutione argumentationum, quam afferret Scotiſta, probantium concluſionem Thomiſticam, hanc per ſe reddi improbabilem; neque enim probationes, quas affert Thomiſta, ab eo exiſtimantur, ſi benè ſapit, euidentes, ſed probabiles, vel probabiliores tantummndo. *Ex quo vlterius* intelliget; concluſiones, quæ proponuntur Thomiſticæ, & Scotiſticæ vt ſic, proponi ſolùm (ſi proponens verè doctus ſit) vt probabiliter, vel probabilius propugnandas; adeoq; non poſse oppugnari, tanquam euidenter certas, & vt tales propoſitas. *Et laudabilis quidem foret ille* Thomiſta, & Scotiſta, qui concluſiones Philoſophicas, & quæ nituntur tantummodo Principijs Philoſophicis à ſuo aſsertas Doctore, *ſeorſim reponeret ab illis, quæ ex fidei Principijs, ſiue certò, ſiue probabiliter colliguntur*; & hæ poſtea *propugnarentur vt Philoſophicæ*, & non vt Theologicæ, nec tali nomine in Theſibus etiam publicis decorarentur: Videtur *enim fieri iniuria ipſimet Theologiæ*, in qua modò habent ambæ ſcholæ principem locum, quod *Theologiæ nomen accommodetur Philoſophiæ*; & ex auctoritate Ariſtotelis, vel ratione ab eo, vel alio Philoſopho allata ex profeſso, ac primario, imò vnicè ſolùm oppugnentur, vel propugnentur concluſiones, quæ appellantur Theologicæ. 20. *Nullus Thomiſta*, vel *Scotiſta* poteſt tueri tanquam opinionem etiam probabilem, contra quam extat aliquod legitimum Eccleſiæ Decretum, quo decernatur illam eſse cõtra fidem. Nullus exiſtimet fieri iniuriam ſuo Doctori, dum aliqua Eccleſia definiret contra illius aſsertiones; *tum quia* ille Doctor non eſt Scriptor Canonicus; *tum quia* etiam contra aliquos e S. Patribus, & etiam celebriores, quorum certè maior fuit ſemper in Eccleſia auctoritas, quam vllorum Theologorum, Eccleſia cenſetur aliqua iam definiiſse; maximè cum error, qui in illo deprehenderetur, error ſolùm materialis foret. *Si aliqui etiam ex hiſce* Doctoribus argumenta Philoſophi, vel Philoſophorum contra aliquod fidei Dogma inſoluta re-

liquiſ-

squisset; nullus Thomista, vel Scotista insoluta relinquat illa prælegens eorum doctrinam, aut Commentarios in illorum scripta edens; extat enim de hoc *Decretum Concilij Lateranensis postremi sess. 8.* valde iustum, cui Regulares maximè tenentur semet obsequentes præbere. 21. *Vituperandus esset* ille Thomista, qui operam poneret omnem, vt Pontifex aliquam opinionem Scoticam damnaret, tanquam hęreticam, vel erroneam, dum re vera dubitari posset, vel etiam probabile foret, quod huiusmodi controuersiam non posset Pontifex solus, vel etiam cum Concilio Generali definire, ex eo quod illa non poset constare ex Scriptura, vel ex traditione Diuina, nec ex Patribus eas declarantibus &c. Licet enim nunquam permissurus credatur Deus, vt proponatur Ecclesiæ tanquam de fide credendum, quod re vera haud est tale; vel Ecclesia id recipiat tanquam de fide; hi tamen conatus animum male affectum Thomistarum erga doctrinam Scoti declararent; *præterquam* illa suasio videri posset peccaminosa, cum suaderet Pontifici præstandum aliquid in materia graui, quod ab ipso pręstari non posse nonnulli celebres, & Catholici Doctores sentirent, nec adhuc legitimè definitum, foret an Pontifex, hanc haberet potestatem; simulq; obnoxia esset crimini adulationis, cum vellent extendere auctoritatem Pontificis vltra id quod re vera poset, tanquam Vicarius Christi: Qui certè nunquam propositurus est Ecclesiæ, quidquam tanquam de fide credendum, nisi sibi planè constet ex omnium planè Catholicorum Doctorum consensu, se habere talem auctoritatem; dum enim esset controuersia inter Catholicos Doctores, an illam haberet & in quibusdam circumstantijs nominatim (nisi saltem illam definiret tunc controuersiam &c.) non tenerentur fideles tali definitioni, vt sic propositæ, fidei assensum præstare, si per impossibile Pontifex aliquam definitionē ex Cathedra se proponere assereret. *Si à zelo verè Diuino Scotista*, vel *Thomista* impelleretur ad procurandas Ecclesiæ definitiones in quibusdam materijs; cur non potius ambo conspirarent, omnesque potentiæ, ac sapientiæ neruos intenderent, vt definirentur multa ad *sigillum Sacramentale Confessionis, ad Iurisdictionem nonnullorum, ad Ecclesiasticam Immunitatem, ad animarum Pugatorio detentarū leuamen, ad Indulgentias, ad Redditus Ecclesiasticos &c.* spectantia? non minora enim scandala, non minores perturbationes in Christiana Republica ex probabilibus opinionibus, quæ in hisce, similibusque materijs circumferuntur, videntur multis oriri, quam oriantur ex alijs materijs, quas cuperet Thomista, vel Scotista ab Ecclesia definiri. Illæ possunt pertinere ad intellectum tantummodo *Speculantem*; aliæ ad *Practicū* &c. 22 *Mentem sui Doctoris* (quæ magis attendenda, quam voces) sequetur ille Thomista, vel Scotista, qui tuebitur, defini-

definitionem ab Eccleſia propoſitam contra ſententiam ſui Doctoris, licet ipſemet ſcripto, aut voce illam non retractauerit: ſi enim *S. Thomas, & Scotus*, vt pote pijſſimi homines, & qui ſemper parati fuerunt ſubijcere intellectus ſuos definitioni Eccleſiæ, ſi ſuo tempore talis definitio facta fuiſſet, retractaſſent opinionem ſuam illi contrariam, definitionemq; Eccleſiæ propugnaſſent potiùs; eorum conformarent ſe menti, qui idem præſtarent, ſi in poſterum Eccleſia aliqua ſtatuerit contra eorum ſenſus. Quoaduſq; tamen Eccleſia aliquid non ſtatuat circa controuerſias nonnullas inter ambas ſcholas; ſublatis ſcandalis *laudabile poteſt eſſe*, vt vtraq; ſuas ſequatur opiniones, licet Eccleſia videretur magis inclinare in aliquam ſententiam Thomiſticam, quam Scoticam, vel e contra; hinc enim magis aperitur aditus Eccleſiæ ad ipſam definitionem; propter, ſcilicet, diuturniorem illius ſententiæ diſcuſſionem. 23. *Perpendat*, cum poſſit peccari, nec leuiter aliquando, ab illo, qui nimis firmiter in ijs, quæ non ſunt neceſſariò credenda, adhæret vni parti: Peccare poſſe tum Thomiſtam, tum Scotiſtam nimis proprijs ſuæ Scholæ principijs & concluſionibus adhærentem; *tum contra Prudentiam*, cum tales doctrinæ hanc firmitatem non exigant; *tum contra Caritatem, Pacem, & Humilitatem*; dum ex hac nimia adhęſione fieret, vt Thomiſta ſperneret Scotiſtam, & hinc iurgia, contentioneſq; voluntatum: quæ peccata grauiora forent, ſi accederet ſcandalum etiam externorum, ac ſæcularium. 24. *Si Temerarius* non eſt dicendus ille Theologus, qui cum probabili re vera aliqua ratione communi planè Theologorum ſenſui circa aliquam quęſtionem ſemet opponeret; multò minùs appellandæ ſunt temerariæ opiniones S. Thomæ, vel Scoti; quas præter ipſos tot celeberrimi vtriuſq; Ordinis Doctores à quatuor circiter hinc ſęculis, & cum laude defenderunt, eaſq; fulcire nouis etiam probationibus, nec leuibus, conati ſunt. 25. *Nec facit* contra mentem S. Thomæ, vel Scoti, qui amplectitur opinionem, quæ experientia, vel euidenti ratione demonſtratur; id enim præſtitiſſent hi ingenui Doctores, ſi ſibi talis experientia, vel ratio occurriſset. 26. *Habeat perſpectum* vterque, *Quinam* re vera ſint libri à S. Thoma, & Scoto conſcripti; nam non omnes, qui illorum nomine decorati ſunt, ab illis fuere conditi. *Aliqui* vulgati ſunt nominatim eorum nomine, quos eorum Diſcipuli conſcripſerunt. 27. *Norit vterque*, Quandonam libri ab vtroque Doctore conſcripti, & Quinam primo loco, Quinam poſtremò &c. id enim conducit quam maximè ad illorum ſententiam veram, & quam vltimo amplexi ſunt, ſciendam. Iuuabit etiam ſcire, *Ad quem finem* illi conſcripti; potuerunt enim aliqui cõſcribi ad captum aliquorum, à quibus illi tractandi forent, in quibus aliqua reponerentur etiam ſibi minùs placentia, licet

G quia

quia faciliora, prudentia dictarit ea ibi inserenda; siue etiam ad seruandam eorum memoriam, quę in aliorum Doctorum libris legerãt, aut ab aljis Doctoribus tunc viuentibus audierant, aut acceperant: & tunc potius sententię Scoti, vel S. Thomę essent aliunde indagandæ, licet multe postremo loco scriptæ forent. Inter Theologica à S. Thoma (licet aliqui refragentur) scripta dicitur *Summa* vltimo loco, *Quodlibeta* verò à Scoto Parisijs Coloniam ituro, vt ibi hæreticos impugnaret. 28. *Curet vterque* habere libros S. Thomæ, & Scoti quam maximè correctos; mille enim, & amplius errores (quorum multi contrarium S. Thomæ sensum reddebant) aliquot ab hinc annis in ipsius S. Thomæ Summam irrepserãt. Vnius vel litterę additio, demptio, transpositio, variatio sensus germanam Vtriusq; Doctoris cognitionem adimere potest. 29 *Perlegat* eorum magistros, vt *Alexandrum Alensem*, *Albertum Magnum*, qui ambo fuerunt *Magistri S. Thomæ*, atque *Gulielmum Guarronẽ*, siue *Varronem*, siue *de Varra*, siue *de Oona*, si habere potuerit, qui fuit *Magister Scoti*; ab his enim videbit multa accepisse suos Doctores, quorum sensus hinc facilius etiam assequetur: Cum Scotus etiam discutiat placita *Varronis*, *Præpositiui*, *S. Bonauenturæ*, *Gotfrædi*, *Heruæi*, *Ægidij*, & ante cæteros *Gandauensis*; horum libri legendi, vt redargutiones Scoti facilius noscere possit Scotista. *Cum ante S. Thomam* quoq; ex eodem Prædicatorum Ordine *Magister Rolandus* Cremonẽsis summus Philosophus, & qui primus Parisijs ex Fratribus in Theologia Regens *Summam* gloriosam compilauerit; & *Magister* quoque *Moneta* in toto orbe clarissimus Summam Theologiæ contra Hæreticos compilauerit (qui ambo viuente S. *Dominico* inter fratres adscripti sunt) & sub *B. Iordane* peculiariter quædam scripserit *Ioannes de S. Ægidio* vir eximiæ literaturæ, magister in Theologia; & *Vincentius Beluacensis* sub *B. Vmberto* scripserit quatuor magna specula, hoc est *Naturale*, *Doctrinale*, *Morale*, & *Historiale* S. Ludouico Francorum Rege ei libros ministrante; vtile erit Thomistæ nominatim hos Auctores perlegere, vt videat, in quibus *Doctor Angelicus* illis dissentiat, in quibus cõsentiat &c. *Peculiariter* verò vterquè notet, an qui opera Theologica ante S. *Thomam*, *&* *Scotum* scripserunt, se magis versatos quam illi, ostenderint in *locis* Theologiæ *proprijs*, ac nominatim in S. Scriptura. 30. *Cum S. Thomas*, *&* *Scotus* habuerint discipulos ingenio præstantes, quorum aliqui etiam asseclas habuerunt, Scolasq; instituerunt discrepantes in multis à sententia suorum Præceptorum, hi euoluendi; nemo enim sensus illorum melius percipere potuerunt, cum audierint ipsos viua voce suam doctrinam explicantes. 31. *Omnes* planè libros à S. Thoma, & Scoto verè conscriptos tractet vterque; *tum quia* in omnibus eorum ingeniorum vis elucet, imò in aliquibus

quibus

quibus multo magis, quam in his, qui quandoq; magis tractari solent, vt videri potest nominatim in *libris contra Gentiles*, *in Quæstionibus Disputatis*, alijsq; opusculis S. *Thomæ*; *in Scoti scripto Oxoniensi*, *in quodlibetis &c.* tum quia cum dubia est mens sui Doctoris aliquo in loco, ex alijs explicare poterit, imò sæpe debebit: nec semel eos euoluat, ac diligenter, sed sæpè, ac attentè semper; nam semper etiam aliqua deprehendet antea sibi incognita, vel saltem clariorem iam cognitorum notitiam assequetur. 32. *Celeberiores saltem Thomistas*, & *Scotistas*, qui sui Doctoris sententias propugnarunt, & alterius oppugnarunt, perlegat, & ex ordine, vt Thomistam, qui primò impugnauit Scotum, ac deinde Scotistam, qui responsionem attulit obiectionibus Thomisticis contra Scotum, & sic successiuè; ideoq; Indicem Scriptorum Thomistarum, & Scotistarum habeat cum anno, quo vixerunt, & loco, in quo scripserunt &c. Mirabilis hinc enimuero existet fructus doctrinæ præter meliorem notitiam effatorum sui Doctoris. *Animaduertat* verò sollicitè, quænam Scotista acceperit, à S. Thoma, vel Thomista, & e contra. 33. *Sensum sui Doctoris* quisque putet se meliùs assequi posse per se à naturalibus Thomistis, & Scotistis, quam à quibuslibet alijs & inter hos ab antiquioribus; nam illi videntur quasi per traditionem accepisse sensum sui Doctoris: non spernat tamen sensum aliquem allatum à recentioribus etiam oppositum sensibus interpretum communiter sui Doctoris; potest enim quis melius assequi sensum Thomæ, vel Scoti, quam aliqui ex ipsismet Thomistis, ac Scotistis: Examinandus ille quidem sedulò erit, & si aptior re vera deprehendatur, ille enimuerò admittendus potius, quam cæteri: Nec tanquam nouus erit damnandus, qui censeatur vel probabiliter fuisse S. Thomæ, aut Scoti, cum hi fuerint suis interpretibus antiquiores. 34. *Si aliqui* Thomistæ, vel Scotistæ (quod faciliùs præsumi potest de recentioribus, quam antiquioribus) dissentirent in acceptione terminorum, vel modis loquendi à S. Thoma, vel Scoto; sectatores eorum magis conforment se suis Doctoribus, & maximè si antiquiores etiam ex illorum assertis pro se afferre possint: Euenire autem potest, vt aliqui confinxerint S. Thomam, & Scotum aliqua asserentes, vel taliter locutos &c. vt haberent occasionem ingenium suum exercendi, vel alios impugnandi, vel de vocibus, si non de rebus, contendendi &c. non verò ad Doctrinam S. Thomæ, vel Scoti tuendam. 35. *Cum probabiles* sunt multi S. Thomæ, vel Scoti sententiæ sensus, & maximè dum discrepant inter se eiusdem Scholæ sectatores de sensu sui Principis; potest quis alterutrum amplecti sensum, imò nec videtur per se teneri probabiliorem amplecti: posset etiam quis problematicè varios, ac discrepantes sensus eiusdem Doctoris tueri. 36. *Exploranda mens Scoti*,

& *S. Thomæ* ex locis, in quibus ex professo agunt de tali re; nec laborandum de locis, in quibus videntur aliter sentire; possunt enim in his loqui ex communi aliorum sententia, vel iuxta alios; neq; tunc, etiam si contrarium sentiant, contra communem, vel aliorum sensum loqui volunt, dum diuersè sentiendi causas per otium haud tunc afferre licet; ac in ijs locis eorum voces se habent, ac si dicerēt, *Transeat*. 37. *Contradictiones* in harum Scolarum Principum doctrina non facilè admittendæ, ac nominatim nonnullæ, quæ facilè eorum ingenio poterant esse obuiæ; ac præterea contradictiones aliquæ potuerunt ex amanuensium, vel typographorum imperitia, vel ex correctorum, aliorumue ignorantia, ne dicatur, malitia, in libros horum celeberrimorum Doctorum irrepere. *Si deprehendatur* re vera, aliquem ex his Doctoribus scripsisse vno in loco oppositum illi, quod scripsit in alio; non est cauillationum opera adhibenda ad id negandum, vel eludendum, etiamsi in eadem *Summa*, in ijsdem libris *In Magistrum Sententiarum* tale quid animaduerteretur: Præterquàm enim id erit minus ingenui Theologi argumentum; semet peritorū irrisioni exponet. Excusandus potiùs Doctor: *Tum quia bonus aliquando dormitat Homerus*: *Tum quia etiam S. Thomas, & Scotus* se ipsis in dies, vt par erat, facti doctiores priorem sententiam retractauerunt; in quo potius laudibus efferendi sunt: Tum quia libri non potuerunt ab ijsdem recognosci, nec potuerunt etiam perfici ab illis è terris ad cælum migrantibus: *Tum quia*, cum in diuersis libris, in diuersoq; tempore non in eamdem iuerint sententiam, haud contradictorij videri possent illorum sensus. 38. *Cauendum quam* maximè, ne aliquid addatur, vel dematur, vel trasponatur, vel immutetur in libris horū Doctorum; si enim semel id factū fuisset, fieretue, quę fides haberi posset in posterum auctoritatibus ex hisce duobus Doctoribus deductis? Quisque rationabiliter suspicari posset, talem auctoritatem, quæ affertur, haud esse S. Thomæ, vel Scoti &c. 39. *Cum nec S. Thomas* vltimam manum imposuerit Summæ, quam nec morte præuentus recognoscere potuit, eamq; à se recognitam publicare; nec Scoto à se scripta recognoscere licuerit, qui e viuis excessit annum agens trigesimum quartum: quis scit, an imitati S. Augustinum, qui omnium Theologorum fuit Princeps, & quem ambo vt Ducem sequebātur, aliqua ex scriptis à se vel in Summa, vel in Commentarijs in libros Sententiarum retractauissent, maximè cum vterque mira humilitate præditus fuerit! & forsan ista fuissent, quæ nonnulli accerrimè propugnant. 40. *Cum rationes*, quas vterque Doctor affert sint vt plurimum saltem probabiles, vel coniecturales etiam, non tanquam certas, & euidentes Thomista, vel Scotista eas tueri debet; ac pręterea cum multæ collectiuè acceptæ potuerint ta-

lem sententiam suadere S. Thomę, vel Scoto, etiam si ostendatur
quamlibet distributiuè acceptam nō satis suadere talem opinionem,
non tamen hinc fit, vt omnes simul eamdē habere nequeant. 41. *Cum
multi* e celebrioribus, ac valde pijs etiam Thomistis aliquando in-
contrarias S. Thomæ doctrinæ abierint sententias, nec de hoc vitu-
perati fuerint etiam a suis; videat Thomista, & Scotista, an in om-
nibus planè controuersijs, contra quas etiam nullum extat Ecclesiæ
Decretum, vel quibus Ecclesiæ sensus minus fauet, teneatur ad-
hærere opinionibus S. Thomæ, vel Scoti, an verò solūmodo vt plu-
rimum. 42. *Attendat* vterque; *An teneatur* sequi opiniones Philo-
phicas S. Thomæ, & Scoti, an solùm Theologicas; neque enim om-
nes, quæ etiam in Summa S. Thomæ, vel in libros sententiarum
Scoti Commentarijs leguntur sunt veræ, vel etiam reductiuè, nisi
remotissimè, Theologicæ; *An teneatur tueri rationes* eorum, & alia,
quæ etiam ex propria sententia afferunt, an solummodò conclusio-
nes; *An quæ incidenter etiam*, an solum quæ ex professo tradunt; *An
dum S. Thomas, vel Scotus* asserunt vtramq; opinionem esse probabi-
lem, eamq; veluti Problematicè defendunt, teneatur idem præsta-
re, an verò vnam tantùm seligere debeat, quam tueatur; *An tenea-
tur solùm* ad id in publicis actibus, an verò etiam in priuatis; *An hæc
obligatio* se porrigat tantūmodò ad forum externum, & ad Iuniores
tantummodò Auditores, vel Magistros publicè docentes, vel Theo-
logiam tradentes studiosis sui Ordinis &c. Ex praxi piorum, ac do-
ctissimorū virorum ex tali Ordine multa circa hæc poterūt ab vno-
quoq; Thomista, ac Scotista solui. 43. *Teneat vterque Principia* pro-
pria suæ Scolæ, eaq; stabilire curet, & ex his conclusiones deducat,
quas vltimò quoque in illa resoluat; quæ tamen haud existimet esse
omnino euidentia, ac patere ex terminis, facilèq; negabuntur ab
altera Schola; cuius doctrinam si oppugnare velit, oportet vt eius
principia oppugnet; consequenter vterque procedat semper, licet
id non semper præstare S. Thomas, & Scotus viderentur. 44. *Licet
aliqui aßeruerint*, cū vniuersa Theologia ad honorem Christi, ac Ma-
tris Virginis destinetur, eas semper opiniones in rebus arbitrarijs pre-
ferendas à vero Thomista, & Scotista quæ cum maiori pietate, &
honore Virginis, & Filij consentirent, etiamsi apertè D. Thomas,
vel Scotus in opposita sententia conquiesceret. *Sciendum tamen*, non
omne quod pium videtur, verum esse; ac præterea cum S. Thomas,
& Scotus summè affecti fuerint erga Christum, ac Deiparam, si
quid aliquid, quod nonnullis videatur minus pium, minuíq; honori-
ficum Christo, ac B. Virgini, docuerunt; id præstitisse, quia tan-
quam Theologi veritatem, non verò pietatis vmbram, tanquam
ducem, in suis effatis sequi voluerunt; vel saltem existimarunt in tali
opi-

opinione, quæ quibusdam minus pia videbatur, magis veritatem apparere, Amor veritati, affectus rationi obsequi debet, non ratio affectui. *Honor enim regis adeoque etiam Reginæ iudicium diligit.* Possunt quidem multa probabiliter affirmari à Theologis in honorem maiorem Christi, Virginisque, quæ non habentur in Scripura, vel Patribus &c. idq; cum laude: *Verum* quod tales sententiæ habendæ sint tanquam de fide, nullus verus Theologus asserere potest, grauiterq; erraret id interius sentiens, multoq; magis id coram alijs affirmans. *Scrutandæ sunt Scripturæ, perscrutandi earum sensus*, qui dum sunt accómodatij, etiam approbati ab Ecclesia, non euincunt aliquid de fide, sed ad summum aliquod probabile argumentum afferre queunt: *Inuestigandæ Traditiones Diuinæ*: S. *Patrum sensus perquirendus &c.* nonne fuerunt hi etiam addictissimi tum *Christi Domini*, tum *Deiparæ* laudibus? & tamen multa, quæ admittere possunt tum Thomistæ, tum Scotistæ, illi non admiserunt; vel certè, non tanquam indubitatæ fidei, illa asseruerunt. *Vtinam* solùm ex zelo laudabili honoris Christi, ac Virginis aliquæ opiniones inducantur in Scholas, ac illæ propugnentur. Meminerit Thomista, & Scotista certum esse, *Christo*, ac *Virgini* maximè mutuam *Caritatem* esse gratam, nec forsan, illis arridere opiniones, quæ probabiliter, vel probabilius etiam viderentur fauere ipsorum *honori*, dum hinc dispendium fieret Caritatis; quamdum in hisce duobus illustrissimis Ordinibus vigebit, beneficia semper ingentia sperare poterunt à *Christo*, ac *B. V.* similia illis, quæ iam obtinuerunt, licet in opinionibus nonnullis spectantibus ad ipsorum honorem discreparint. 45. *Licet re vera* aliquando in vocibus discrepent S. Thomas, & Scotus, ac multi re vera Thomistæ, & Scotistæ; & hac de causa vtilissimum foret, vt ambarum Scholarum præsertim *Lexicon* peculiare conficeretur; imò aliqui conciliare conati fuerint inter se Angelicum, Subtilemq; Doctorem: videndum tamen, an re vera talis conciliatio semper fieri possit. *Aliqui* certè eorum asseclæ, si attentè eorum dicta perpendantur, solum de vocibus digladiantur. *Debet* verò sapiens Thomista, & Scotista noscere *punctum difficultatis*, quæ est inter Angelicum, & Subtilem Doctorem, ac inter opiniones Vtriusq; Scholæ, & non *vagari* per alia, quæ persæpè ad rem non faciunt, detinentq; auditores cum multo tædio, & sine vllo fructu. Fingere possunt aliqui S. Thomam, vel Scotum in hac esse sententia, illamq; etiam consultò oppugnare, vt ingeniolum suum ostentent in fabulis quibusdam oppugnandis. 46. *Cum auctoritas Patrum tanti* habita fuerit ab vtroque Doctore, ac obiectionibus quæ fiebant, vel fieri poterant ex Patribus contra ipsorum effata, ipsimet apertè respondeant, & in ijs valde se versatos ostendant; haud partes veri Thomistæ, ac Scotistæ implebit ille, *Qui de* auctoritate Patrum sit parum

parum sollicitus; adeoque, vel quasi contemnat, si quis contra ipsorum sententias auctoritatem alicuius e S. Patribus, ac maximè celebrioris afferat; *vel illos non euoluat*, sed tantummodo sui Doctoris, & aliquorum ex illius asseclis libros; omneq; studium, vel fermè omne ponat ipse, aut velit etiam poni ab alijs in quibusdam subtilitatibus, quæ sæpissimæ sunt cauillationes potiùs, excogitandis, siue in defensione suarũ opinionũ, vel in oppugnatione aliarum. *S. Augustini* libri præsertim Scotistæ, ac Thomistæ deberent esse valde familiares, cum in illis etiam S. Thomas, & Scotus fuerint valde versati.

47 *Caueat vterque*, ne ex propensione in aliquam opinionem, quam primò acceperit, vel sibi suaserit, S. Thomam, vel Scotum ad eam vel inuitum pertrahere velit, & ad id hinc inde varia loca colligat, & non ex locis proprijs. Si id licitum foret, nulla fermè opinio Sotica est, quę non possit probari ex aliquibus locis S. Thomæ, & e contra.

48. *Cum complures saltem conclusiones* modò Theologicę propriæ ambarum Scholarum innitantur quibusdam Principijs Philosophicis a S. Thoma, & Scoto, siue suppositis, siue probatis; necesse est, vt Scotista, ac Thomista in vtriusque Doctoris Philosophia operam ponat, eamq; colligat ex amborum libris. *In illis, qui iam sunt editi, Philosophiæ cursibus iuxta S. Thomam & Scotum*, Videndum sollicitè; *An omnes planè sententiæ sint ad mentem vtriusq; Doctoris verè, an verò cõtra, vel præter mentem amborum*; Quem abusum faciliùs quis suspicari posset, si illi confecti fuissent à viris diuersi Ordinis, & qui vel nulli Scholæ addicti forent, vel parum propensi in aliquam ex hisce Scholis. *Potest etiam quis ex eodem Ordine*, vel ad ostentationem quamdam ingenij, vel ad tuendas ex suis priuatis nonnullas opiniones, conari pertrahere Angelicum, ac Subtilem Doctorem in sensus ipsorum menti re vera dissonos, licet parum versatis in hisce Auctoribus apparere possint consoni. 49. *Non satis eße* existimet Scotista, ac Thomista, si solummodo libros euoluant *Angelici*, vel *Subtilis* Doctoris. Perlegendi quoq; sunt alij Theologi; neque enim tantummodo Prædicatorum, ac Minorum Fratres, ac Magistri fuere Theologi; neq; in eorum Scholis tantùm, vel sub eorum habitu Theologia semet manifestat. Alię Scholæ Theologorum sunt, quę suas quoq; habent laudes. Extiterunt, existuntq; Theologi celeberrimi, tum aliorum Ordinum, tum sęculares. Horum quoq; euoluenda placita: ex illis decerpenda, quę securam, solidamq; doctrinam contineant; si impugnent effata S. Thomę, vel Scoti, impugnationibus, quantum fieri possit, adęquata responsio afferatur; si quid proferant, quod illa corroborent, tanquam auxiliares copię benignè sunt excipiendę; si mordeant alterutrum Doctorem, vel vtriusq; doctrinam, modestus Thomista, & Scotista dissimulet, vel saltem par pari non referat.

Recor-

Recordetur vterque; ſicuti *S. Thomas*, & *Scotus* multa addiderunt Theologię, quæ à pijſſimis ac doctiſſimis Viris ipſis tradita fuerat, & ita vt nouas ipſi inſtituerint Scholas; ſic etiam alios ſubſequentes, ac etiam noſtro viuentes æuo multa addidiſse, ac addere poſse Theologiæ, & digniſſima, quę à veris, ingenuiſq; Thomiſtis, ac Scotiſtis percipiantur. Multò magis abſtineant ab iniurioſis, vel contemptibilibus aliorum Doctorũ, & maximè celebrium, verbis. *Cum Nominalium Scola* nominatim *Thomiſtcæ, ac Scotiſticæ Scolæ* aduerſata fuiſſe, & aduerſari videatur, *Ocami, ac Nominalium* (quos quiſque peritus, ac ſincerus cenſebit, fuiſse Philoſophos, ac Theologos ingenio præſtantiſſimos, & ex eorum principijs nonnulla faciliùs ſolui in Theologicis quoque, quam ex aliorum placitis) doctrinam, tam *Thomiſta*, *quam Scotiſta* exactè nouerit, nec ex præiudicata quorumdam inſipiẽtum, ac inuidorum opinione, ſiue voce, exiſtimet ſolummodò eos in Vocibus ludere; pręterquam id etiam aliqui ſentiunt, ſcribunt, imò & edunt de ipſiſmet Thomiſtis, ac Scotiſtis. *Fuit quondam illa Scola celebris*; cui peculiariter Scotiſtę fuerunt infenſi, eo forſan peculiariter nomine, quod *Ocamus*; qui ſi non *Auctor*, ſaltē *Primarius illius Scholæ Propagator*, & *Amplificator* fuit; *Scoti diſcipulus* extiterit, Scotiſticęq; doctrinę Principia quædam conuellere conatus fuerit, ideoq; acerbę voces contra Nominales iactę, licet ſcriptę, ac editę à prudenti Viro nihili ſunt facjendę vt ſic. *Semper tamen* illa ſchola habuit aliquem illuſtriſſimum ingenio ſectatorem. Hiſce temporibus quidem mirum in modum *Nominalium doctrina* eſt propagata; ac nominatim quoad *Diſtinctionem* pręclari Philoſophi, ac Theologi in Philoſophicis, ac Theologicis eorum Principia amplectuntur, quę multis videntur nec facilè oppugnari, & facilè propugnari. Hęc Schola quidem eò pluris facienda ab omnibus Doctis, quo eam ſecuti ſunt Viri illuſtriſſimi nullius mancipati placitis, & adhuc quoque pluris, cum illi adhęſerint nonnulli, qui peculiarem iam in Theologicis Ducem habebãt. 50. *Tunc ſe exiſtimet verum Thomiſtam, & Scotiſtam eſſe*, ſi paratus ſemper captiuare intellectum in obſequium fidei, ſiue quotieſcumq; Eccleſia definiret contra quæcumq; placita, ſiue S. Thomę, ſiue Scoti; *certa* iam fidei Dogmata habens explorata, contra Hęreticos, ac Gentiles ea tueri nouerit; *aptus fuerit* ad ſuadendam Chriſtianam fidem Gentilibus, & Hęreticis Catholicam Religionem; *pro viribus illuſtrare conetur* inter Chriſtianos Catholica effata, & maximè quędam obſcuriora; *ea quæ dixerit S. Thomas*, vel Scotus apprehendat quidem, ſed adhibito proprio etiam iudicio ea ſentiat, quæ ſentit vel S. Thomas, vel Scotus, ijs conuictus rationibus, vel illis ſuaſus probationibus, quibus conuictus, vel potius ſuaſus fuit vterq; ad tales ſententias, rationum tamen legitimo pon-

mo pon-

mo pondere ab ipsis admisso, exaggerato non contra ius verbis. *Principia*, siue *Axiomata* horum Doctorum explorata sic animo retineat, vt si quid noui moliri, si quid reconditi proferre velit in medium, omnia ex eorum pronunciatis deriuet, vel deriuare videatur: eos à sententijs quibusdam immeritò illis tributis vindicet, & in aptiorem interpretur sensum: Atque tum *Scolasticæ*, tum *Moralis* Theologiæ, in qua etiam vterque excellit, Principia exactè norit; multaq; etiam ad alias spectantia scientias, quarum ipsi peritos se satis ostendunt habeat, perspecta: *Doctrinam* denique Thomisticam, ac Scotisticam sine vllius iniuria, modestiisque semper, dum de alijs Catholicis Doctoribus sermo est, adhibitis vocibus, ita corroborare, & amplificare nitatur: *Vt tamen intelligat se haud scientiam Theologicam aßecutum*; si conclusionibus suis, vel Principijs suæ Scholæ assentiatur ex auctoritate sui Doctoris tantùm, siue in eamdem suos assensus tandem resoluat.

PLVRIMA ex his, quæ in hoc Tertio Capite dicta sunt, accommodari queunt illis, qui sequerentur. VEL S. *Bonauenturam*, qui *Seraphicus* Doctor dictus fuit, non tantùm ex eo quòd e Seraphico Ordine foret, verùm etiam, quod eius Doctrina fuerit Seraphica, *Ad cuius* propagationem Sixtus V. Romę in Conuentu S. Apostolorum Collegium peculiare instituit Ord. Fratrum Minorum Conuentualiũ, in quo solum legi à Professoribus eiusdem S. Doctoris libros voluit, illiusq; Theologica doctrina tantùm imbui illos Scholasticos, qui in eo alerentur; de quo legantur Bullæ eiusdem Pontificis editæ 14. Martij 1587. & 1588. 1. Ianuarij vnà cum Bulla Confirmatoria Constitutionum illius Collegij 13. Aprilis 1590. Quare mirandum est, cum viginti semper (multis ab hinc annis alij etiam additi) ibi fuerint ex redditibus Ecclesiasticis sustẽtati ad hunc finem tali Collegio tributis; Seraphici Doctoris Theologia tam paucorum ex Ord. Min. Conuent. animis insedisse, propugnatoresque habere: *Sicuti Mirandum* quoq; est, quod *B. Alberti Magni* e Prædicatorum Ordine Doctrina asseclas non habuerit; cum tamen non solùm illam peculiari Diuina ope adeptus fuerit, vt omnes illius vitę Auctores testantur, eamq; in Theologicis quoque versantem plurimorum spatio annorum docuerit primò in Conuentu Hildensemensi Prouinciæ Saxoniæ, postea in Vapingo, deinde Ratisponæ, tùm Parisijs, ac deniq; Colonię diuturniori tempore, quam à libi; verùm etiam *illius Doctrinæ libris illuminandam fore Ecclesiam* B. Virgo eidem Beato apertè dixisse feratur; idemq; *Beatus*, vbi superas conscendit sedes, Fratri *Corrado de Dusborgh* suo Socio, ac Ministro in Ecclesia Fratrum Colonię apparens, in infula supra fontem gemmam speciosissimam habens, quę solares radios emittens totam illuminabat

Ecclesiam, fassus fuisse dicatur, *Claritatem*, quę ex gemma suę frontis oriebatur, significasse inexplicabilem gloriam in *Claritate scientia*, quam rradidit illi Dominus, qua totam Ecclesiam suam dignatus esset illustrare suo ministerio, ac labore. VEL *Alexandrum Alensem* Virum summę Pietatis, ac Doctrinę, qui *Fons Vitæ*, ac *Doctor Irrefragabilis* Dictus fuit, ac *Innocentij IV.* iussu Summam conscripsit Theologicam, quę ab *Alexandro IV.* peculiari Diplomate, & septuaginta Ecclesiasticorum Procerum syngraphis comprobata fuit. VEL *Ricardum Mediauillanum* Philosophum, ac Theologum summum. VEL *Franciscum Mayronum* Scoti Discipulum, qui *Doctor Illuminatus* fuit appellatus: Quos *Quatuor* pręter Scotum Minores Conuentuales sequi posse habent eorum Constitutiones, dictæ *Alexandrinæ*, ab *Alexandro VI.* confirmatę anno 1501. die 6. Aprilis.

PLVRIMA quoque ex his opportuna esse queunt; *Tum* præstantissimis Ordinibus *Heremitarum* S. Augustini, & *Carmelitarum*; solent enim isti *Ioanni Baccono* cognomento Doctori *Resoluto*, illi *Ægidio Cardinali Columnæ* cognomento Doctori *Fundamentario* illustrissimis Theologis adhęrere, *Tum* celebri Ordini *Seruorum* B. V. qui vt Ducem eligerent *Henricum Gandauensem*, istius celeberrimi Doctoris Cognomento *Solemnis* effata contra Scotum, ac *Natalem Hærueum* (hic fuit Ordin. Prædic. Generalis Magister 14. electus anno 1318) qui peculiariter Henricum impugnarunt, cęterosque Thomisticæ, & Scotisticę Scholæ sectatores, qui subsecuti sunt, propugnantes; *Tum* illis, qui *Durandi* Theologi verè suspiciendi ob ingenij acumen, & facilem, breuemq; dicendi rationem pronunciata tuentur; *Tum* illis, qui *Ocami*, siue *Nominalium* sectæ, in ijs, in quibus veræ fidei non aduersarentur, asseclæ forent.

Singularum huiusmodi SCHOLARVM STVDIOSVS *Primò* Principia sui Doctoris, siue Ducis teneat, exactèq; obseruet, in quibus differant ab alijs Scholis; propter enim diuersitatem Principiorum diuersitas Sckolarum inducta est. *Secundò* examinet, in quibus verè quoad rem ipsam, non quoad voces, discrepent Scholę. *Tertio* se perfectiorem Scotistam v. g. arbitretur quis, si Principia & conclusiones Thomisticas tueri nouerit, eoq; perfectiorem, si idem circa aliarum Scholarum Principia, & Conclusiones præstare poterit. *Quarto* Haud tanquam certum, ac indubitatum habeat, suæ Schole Principia, & Conclusiones esse probabiliores, faciliorem esse Doctrinam &c. alij enim negant; sincerumq; iudicium ferri non potest, nisi ab illis, qui nulli Scholæ addicti, ac in nullam peculiariter propensi sunt. Thomistica quidem, & Scotistica scola communi sapientiorum voce palmam cæteris pręripere dicuntur. *Quinto*; ne in plerisque adhæreat vni scholæ, in alijs alteri &c. nisi post

post diligens examen: nam facilè labetur in inconsequentias. *Sexto* Secernat quæstiones de nomine inter Scholas; & Philosophicas a Theologicis; & Theologicas verè, ac propriè, ac per se ab ijs, quę sunt reductiuè. *Septimo* Cognoscat, in quibusnam materijs, vel quęstionibus, vel libris excellat suus Doctor: nam quicũq; etiamsi plurimas, vel etiam omnes Theologicas quæstiones agitauisset, in quibusdam tamen peculiarem industriam, operamq; potuit reponere, eiusq; ingenium potuit esse etiam habilius ad has exactiùs tractandas quam alias. Sic Scotus dicitur excellere in *Quodlibetis*; & in *Quarto* Sententiarum; & in hoc etiam, dum agit de Sacramento Altaris: S. Thomas interpretans Aristotelem in libris *Perihermenias*; in Quæstionibus Disputatis; dum agit de Angelis in Summa &c. *Octauo* Philosophię studeat iuxta sui Doctoris Principia: non vt par est, proficiet ille, qui Philosophię vacet sub disciplina Scotistarum, ac postea Theologię operam det, quę à Thomistis tradatur. Prudentissimè faceret queq; Schola, si suos peculiares Cursus Philosophicos conficeret. *Nono* Perpendat, aliud esse loqui de Theologia vt sic, *aliud* de Theologia S. Thomę, Scoti, S. Bonauenturę, Ægidij &c. Nam illa circa certa Principia, certasq; conclusiones versatur, ac versari debet, si propriè, ac antonomasticè sumatur; hęc autem circa Probabilia Principia, adeoque probabiles conclusiones, quę sępenumero saltem e Philosophia, nominatim Aristotelica, sunt accepta, versatur; ita vt si quę Philosophorum sunt propria, aut ex eorum principijs deducuntur, à Theologia S. Thomę, Scoti &c. auferantur, modicum volumen eorum Theologia conficeret. Quo tempore pręcipui Scholarum Theologicarum Duces, & *Magistrum Sententiarum* interpretabantur, & in Academia Parisiensi (ex qua illi prodierunt) docebant; Aristotelis Philosophia ab Arabibus accepta, cum alia non adesset, ibi maximè florebat. Hi autem Theologorum Duces, cum fuerint etiam pręstantissimi Philosophi, ac Peripateci; *tum* multa Theologię proprię addiderunt e Philosophia Peripatetica; *tum* etiam ope suorum sectatorum (hos prę cęteris habuerunt S. Thomas, ac Scotus) mirificè Peripateticam Philosophiam apud Christianos, Catholicosque propagarunt; ne dum loquendi modos, sed etiam significationem plurium vocũ, dum Sacra quoquè verba interpretarentur, ex Aristotelis libris desumentes, & ad Theologica plura transferentes: Quare Peripatetica Philosophia Ecclesiasticis Viris, ac nominatim *Regularibus* multum debet; immeritoque Sæculares Viri, tanquam sibi proprium tantummodo, sibi vindicarent Philosophiam, ac præsertim Aristotelicam, docendi munus; licet verissimum sit ab Ecclesiasticis, ac præcipue Regularibus, studium in vera Theologia, tum *Scholastica*, tum *Morali* præci-

puum eſse reponendum. **Decimo** Ne æſtimet pluris, vel tueatur opiniones, concluſiones, probationes &c. ſui Doctoris vltra ſenſum ipſius, exiſtimando illas, quæ ſunt Probabiles, vel Congruentes, tanquam Demonſtratiuas; *memor*, nullas ferme reperiri apud ſuos Doctoreę, quæ habeant conditiones ab Ariſtotele requiſitas ad Demonſtrationem, & nominatim illam, quæ dicitur *ex Proprijs, & quatenus ipſum*: Has autem perſpectiſſimas cum habuiſſe quemcumque ex his Doctoribus ſit procul dubio habendum, qualem vim ſuæ Probationes &c. haberent, perſpectiſſimum etiam habuit. *Similis* habendus ſenſus de Impugnationibus, quas vnus ex his Doctor facit alterius &c. *Vndecimo* Ne tanquam abſurda, vel inconuenientia &c. putet illa, quę aduerſarius Doctor, vel eius ſectatores putant eſſe talia; imò potiùs putet plura ex his neceſſariò ſequi, ac demonſtrari, Principijs talibus poſitis. Impugnanda ſunt Principia à ſectatore diuerſæ Scholæ, quæ ſunt alterius propria, ſi ex impugnatione meritum ſibi honorem vindicare velit; non quidam veluti Viarum flexus querendi. **Duodecimo**; Omnes omnium Scholarum aſseclæ vnanimi plane voce, atque conſenſu conuenire tenentur ad euellenda prauorum Dogmatum ſemina, qnæ nonnulli Ariſtotelicam profitentes Philoſophiam iacerent; *vel* oſtendentes illa haud hauriri e fontibus illius Philoſophiæ, ſaltemq; eſse dubiam Ariſtotelis mentem; *vel*, ſi id nequeunt, Ariſtotelis auctoritatem enernantes, illius erroribus in alijs, quæ magis obuia erant, demonſtratis, aliorumq; Philoſophorum, qui ab hiſce erroribus contra fidem alieni fuerunt, ſapientia indicata: eorumque Effatis etiam coram audictoribus explicatis: *Et ſi* quando experientia pateret, Ariſtotelicam Philoſophiam maiora Pietati, ac Religioni Chriſtianæ incommoda, quam commoda afferre, omnis adhibenda foret ab illis opera, nominatimque a Thomiſtis, & Scotiſtis, vt illa e Scholis, & Academijs relegaretur, vel certè non niſi Reſecatis quibuſdam Ariſtotelicæ Philoſophiæ Principijs, vel Effatis, quorũ ope zizaniæ ſeminator antiquus humani generis hoſtis pernicioſiſſimos errores in agro Domini ſuperſeminare, & augere auderet, Peripatetica Philoſophia in Scholis, & Academijs traderetur.

Reuerendissimo Patri Don

ANTONINO DIANA

Panormitano Clerico Regulari
Coram Sanctissimo D. N.
INNOCENTIO DECIMO
Episcoporum Examinatori;
S. Officij Regni Siciliæ Consultori;
In euoluendis Scriptoribus,
Qui de Moralibus Materijs egerunt,
Accuratissimo;
Et Toti Christiano orbi notissimo:

Admodumque Reuerendo Patri Don

ZACHARIÆ PASQVALIGO

Veronensi, Clerico quoque Regulari;
Qui summa cum laude
Metaphysicis, ac Scholasticis Subtilitatibus
Moralis Theologiæ Peritiam singularem
Consociauit;

Animaduersiones Quinquaginta
PRO ILLO, QVI IN MORALIS THEOLOGIÆ
STVDIVM INCVMBIT
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
E Comitibus Placentinis
In eos Obseruantiæ Testes
D. D. D.

Caput Quartum.

339

1 CVm hac Tbologiæ Pars ad dirigendos Mores Christiano homine dignos, & ad Forum Conscientię, siue Internum iuxta leges *Diuinas*, *ac Naturales* moderandum instituta videatur; à Theologo, qui in hoc incumbit studium, Deus est rogandus quam enixè, ac sæpe, vt Practicarum huiusmodi veritatum superiori lumine suum participem reddat intellectum, nec permittat in rebus tanti ponderis labi. *Inter Sanctos* autem adsciscat sibi patronos *S. Gregorium Magnum*, *S. Raymundum*, *S. Antoninum*, *S. Thomam Aquinatem &c.* 2. *Intelligat*, huiusmodi studium esse *Præstantissimum*, ac *Nobilissimum*, cũ circa Humanas Actiones versetur, prout dirigibiles ad vitam æternam per virtutum amplexum, vitiorumq; fugam; Nullumq; esse *Vtilius* Christianis hominibus prout ciuilem siue inter se, siue cum alijs vitam agunt; Nullumq; ferme *Iucundius* experientia teste; Nam animus mirificè recreatur, cum cognoscit, quid *Honestum*, quid *Inhonestum sit*; quid *licitum*, quid *illicitum sibi vel alijs*; quid in *tot casibus in dies occurrentibus præstandum sit à Viro probo &c.* Affert quoq; secum *existimationem multam*: Nam ad Moralem Theologum celebrem confugiunt nedum Plebeij, & Ciues, verum etiam Nobilissimi quique, ac Magnates: nedum Ecclesiastici, verum etiam Laici cuiusq; generis; nedum Sæculares, verum etiam Religiosi quique ex omnibus etiam Christiani orbis Prouincijs; atq; iuxta illustrium huiusmodi Theologorum sensum grauissimæ deciduntur controuersiæ, grauissima Ecclesiasticæ, ac Sęcularis Reipublicæ negotia pertractantur; Ab illis denique Christianus orbis in foro Interno, ac sæpissimè Externo regitur. 3. *Suadeat* sibi (quod verissimum est) non solùm plus iudicij, siue prudentiæ, verùm etiam plus ingenij Moralis studiũ exigere, quã Scholasticæ vt sic, siue prout examinat quędam Diuina, aliaq; his affinia ex proprijs locis; *tum quia* per reflexiones versatur circa intellectus, ac voluntatis operationes, quæ sunt nobis ignotissimæ, cum non habeamus earum species à sensibus; *tum quia* in eadem actione plura sunt distinguenda, attendendæ multiplices circumstantiæ, intrinsecę, extrinsecę &c. Adeoq; meritò existimet; imprudenter, ac imperitè illos sentire, qui Theologos Morales, quasi homines parui, aut mediocris ingenij despiciunt, & vt aliquorum, qui etiam in Scholastica excellunt, laudi detrahant, cum nullum ex quadam animi elatione sibi parem in Scholastica putent, aut cuperent esse, eos absolutè Theologiæ Moralis tantummodo peritos appellant. Et teste quidem experientia patet, facilius reperiri modo Theologos, qui in Scholastica (sermo est de illa, quæ in Scholis traditur hisce temporibus) quam qui verè in Morali excellant. Pauci e tot, qui in Theologiæ studium incumbunt, in Morali Theologia operam impendunt; Vel *quia* imperiti, parumq;

parumq; prudentes Moralis studium esse facilius arbitrantur, satisq; putent esse sibi euoluere Summam siue *Siluestri*, siue *Nauarri*, siue *Toleti &c.* Vel *quia* re ipsa periculum fecerunt, illud esse difficilius, ac laboriosius etiam; Vel *quia* haud Morali Theologiæ in Vniuersitatibus multis, & quandoque etiam in pluribus Regularium Domibus Cathedræ non sunt statutæ, sicuti Scholasticæ Professoribus; nec ijsdem premijs, ac honoribus publicis decorantur insignes in Theologia Morali, quibus Scholastici Theologi, alijq; Scientifici decorantur. Propter hæc tamen haud ab illius se abstineat studio; nam si in illa excelluerit, pluris etiam fiet à quocumq; hominum genere, quam plerique Scholastici. Paucissimi Recentiorum Scholasticorum, plurimi Moralium Theologorum opera indigent. 4.*Animaduertat*, nõ eo ipso, quod aliquis modo dicatur excellere in Scholastica, quæ modo traditur in Scholis, librisque vulgatur; inferendum esse, in Theologia etiam Morali excellere: *tum* quia manifestè aduersatur experientia: *tum* quia diuersum est vtriusq; studium, diuersa subsidia, & adminicula requirens: *tum* quia aliquorum ingenium, geniumque haud vtriq; scientiæ aptum est: & hinc fieri, vt non ex eo quod aliquis publicè etiam cum laude legerit, aut legat Scholasticam, censendus sit aptus ad soluendas grauissimas quæstiones ad Moralem Theologiam propriè spectantes; imò eueniat quandoque, vt hi suis speculationibus, ac quibusdam subtilitatibus assueti minùs idonei sint ad practicas conclusiones veras eliciendas, cum ad has peculiaria quædam attendenda sint, quorum cognitione illi sunt destituti, & subtilitates quædam officiant potius practicarum conclusionum veritatis indagationi; aliudque sit iudicium hominum, qui in rebus agibilibus versantur, aliorumq; conscientias pertractant, ab eo, quod efformatur ab illis, qui sibi solis vacant in cubiculo detenti, & quorum intellectus in quibusdam subtilitatibus excogitandis, aut animo voluendis dumtaxat detinetur. *Quare* quamuis acutum, vegetumque ingenium requiratur ad exactam Theologiæ moralis cognitionem, cauendum tamen est à quibusdam Metaphysicis subtilitatibus, quę potiùs practicarum conclusionum veritatis inuentioni obsunt, quam prosunt. Hìc quam maximè illud verum, *Qui nimis emungit, elicit sanguinem*: sicuti alia est *euidentia* Moralis à *Physica*, & *Mathematica*, siue *Metaphysica*, vt omnes fatentur; sic alia quoque est *Subtilitas*. Cum de Humanis Actionibus agitur, Humano more de illis agendum est. 5.*Intelligat*, haud esse Theologum Moralem illum, qui scit quæcumq; etiam docet *Paludanus*, *Siluester*, *Caietanus*, *Nauarrus*, *Toletus &c.* & assentitur illis, quia docuerunt ita illi, vel aliqui ex illis: Hoc enimuerò est habere fidem Humanam, cum ducatur humana auctoritate ad ita asserendum, siue sentiendum. Si scientificus esse

esse velit, necesse est, vt (exceptis his, quæ ad Moralem Theologiam spectantia habentur e Verbo Diuino siue scripto, siue tradito) Ratione ad tales impellatur assensus. *6. Habeat perspecta* Theologus Moralis *Sacræ Scripturæ* loca ad mores pertinentia, quæ sunt plurima in illis quoque libris, qui *Historici* dicuntur; eosque sæpius reuoluat Canonicos libros, qui ad Instituendos Mores peculiariter conscripti sunt; si autem literalis eorum sensus non pateat, vnanimem Patrum consensum in eorum sequatur interpretatione. *7. Exploratas etiam* habeat Traditiones *Diuinas, Apostolicas*, atq; *Ecclesiasticas*, earumque discrepantiam sollicitè animaduertat. Ex communi Patrũ traditione cum deprehenderit Diuinas, quæ ad Mores spectant, consideret earum circumstantias omnes; nam aliquæ potuerunt esse tantum de nonnullis ex consilio; aliquæ potuerunt, possuntque obligare tantùm pro tali loco, pro tali tempore, ac certum personarum genus &c. Non sit autem facilis in admittendis huiusmodi Diuinis Traditionibus, licet pleriq; Theologi eas admitterent, nisi probent, habeantque re vera cõditiones requisitas ad id & peculiariter, quod *talis traditio habita semper fuerit ab Ecclesia*, tanquam pertinens ad fidem. *In multis*, & *grauiter* errabit, si fidem habeat quorumdã etiam Celebrium Scholasticorum Vocibus, & scriptis, imò & libris, qui ad tuendas Opiniones, vel suas, vel aliorum quoque, quibus ipsi valde beneuoli sunt, & aliquando quidem propter priuatas causas, vel licet illis re ipsa haud beneuoli sint, cum tamen horum opinio aduersetur illis, quorum doctrinæ ipsi infensi sunt; Traditiones Diuinas indagare, & expiscari conantur, & vbi quędam Traditioni opportuna inuenerint, statim incipiunt euulgare, esse Traditionem Diuinam pro tali opinione, cum tamen in multis deficiat. *Inter Traditiones* autem, quas certò nouerit ex legitima definitione, & assertione Ecclesiæ esse Diuinas, ac omni obligare tempore, diligenter distinguat illas, *Quæ Præceptum Imponunt*, & *Quæ Consilium præbent*: Nam in Dubio, siue *Negatiuo*, siue *Positiuo* pro his standum est: Et Euangelij quidem *iugum suaue est, onusque* illius *leue*; Christus ipse Voce paucissima præcepta, plurima verò consilia tradidit. *8. Decreta Conciliorum Generalium attinentia ad Mores* explorata sint Theologo Morali, *tum quæ* proponuntur tanquam de fide, *tum quæ* ad Reformationem, vel aliam ob causam in illis condita sunt: ex his enim, licet non de fide, multa concludet saluberrima; eorum cognitione destituto plurimas congruenter quæstiones haud soluere certò licuerit. *Ex Concilijs* quoque *Prouincialibus*, ac præsertim illis, quæ in maiori prętio habita sunt, & habentur, multa eruet vtilia ad Mores, multarumque solutionem quęstionum. *Suadeat sibi quoque*, non aptam se allaturũ responsionem compluribus interrogatis, quæ sibi

ſient in tali Prouincia, vel Ciuitate pro Caſibus ibi occurrentibus, niſi *Conciliorum Prouincialium*, imò & *Diœceſanorum*, quę ibi habita ſunt ſimul cũ *Decretorum*, quæ *condita ſunt*, *legitima praxi* notitiã habeat. 9. *Decreta Pontificia ſpectantia ad Mores* euoluat; ſed inueſtiget, *An illa edita ex Cathedra*, ſiue con ijs conditionibus, quas Catholici Doctores omnes exigunt ad hoc, vt Pontifici Romano fideles quicumque teneantur fidem præſtare. Si autem aliqui Doctores Catholici celebres aſſerant requiri ad id certam conditionem, eamque pateat haud eſse ſeruatam; tunc non neceſſariò fides infallibilis illi præſtanda eſt, imò nec præſtari poteſt, cum non ſufficienter proponatur obiectum illud, vt Diuinum. *Aduertat* verò; Pontifices *aliquando* loqui potuiſſe in talibus Decretis, vt priuatos Doctores; *aliquando* iuxta probabilem, vel probabiliorem ſententiam; *aliquando* potuiſſe decipi, ac impetrari huiuſmodi Decreta per ſubreptionem, vel obreptionem: *aliquando* potuiſſe ex odio, vel etiam amore in aliquos non rite diſcuſsa cauſa prodire: *aliquando* potuiſſe edi de rebus, quarum definitio ad ipſorum munus haud ſpectabat. Nunquam tamen Theologus Moralis, licet in aliquo erratum a Pontificibus certò reperiret, in illos hęreticorum more acerbis, mordacibuſque verbis inuehat, ſed potius cum poteſt, legitimam afferat excuſationem &c. 10. *Sacrorum Canonum lectioni* ſe tradat, ſine quorum cognitione plurima ignorabit ſpectãtia ad *Forum* tum *Internum*, tum *Externum*, nec aptam quęſtionibus plurimis, maximiq; ponderis reſponſionem præbere poterit. *Obſeruet* autem; non omnia in Sacris Canonibus recenſita eſse æqualis auctoritatis, nec omnes Canones *vbique*, & in *omni tempore*, & *omnes perſonas* obligare: Ad eorum autem intelligentiam celebriores perlegat interpretes, ita tamen, vt ſecundum Theologicas veritates plurima eorum pronunciata examinet, & hæc ad earum normam dirigat. Si perſpectos habere potuerit Canones, quibus ante *Gratiani Decretum*, & *Decretales* iuſſu *Gregorij IX.* editas, Eccleſia vniuerſalis vtebatur, notitiam rerum magni ponderis, ac magnæ vtilitatis aſsequetur. 11. *Iuris etiam Ciuilis* peritiam habeat, non ſolùm quia ſecus Sacrorum Canonum congruam non aſsequetur notitiam, verum etiam quia ex Iuris Ciuilis Doctoribus celebriores, & antiquiores maximè tradunt multa, quæ ad Forum etiam animæ ſpectant, ſolentq; multi ex illis eſse valde eruditi, & multa ad praxim valde opportuna inſerunt. Plurium ſolutionem quæſtionum, vel maxima ſaltem ex parte habere non poterit Theologus Moralis, niſi ex Iure Ciuili, nobilibuſque illius interpretibus. Certè cum aliqua Moralis T. Principia dicantur eſſe Naturalia, quorum cognitio quidem non minus pertinet ad Iuris Ciuilis Interpretes, quam ad Theologum Moralem, imò magis

quoque

quoque(dummodo illa e supernaturali quoque lumine nō habeantur)
si *Theologus Moralis reduplicatiuè vt talis sumatur* , de illis actum est
exactissimè ab illis; Qui præterea quæstiones nonnullas ad Moralem
scientiam pertinentes ita solidè , & accuratè examinarunt sæpè , ac
examinant , vt illorum exemplo semet conformare possint , imò &
quandoque debeant complures , qui sibi Theologi Moralis nomen
vindicant . 12. *Bullas omnes Pontificias* penes se habeat, *tum* iam edi-
tas , *tum* quæ in dies singulos emanant ; & ad id certum hominem
Romæ habeat, qui statim illas ad se transmittat ; ex his enim plurima
soluet , maximè cum subsequentes sæpè declarent alias anteceden-
tes , vel illis aliquid addant, vel demant, vel etiam illis derogent,&
quandoq; illas abrogent . *Animaduertat* autem;inter Bullas Pontifi-
cias,quarum lectio illis commendatur , non tantùm numerari illas ,
quæ in *Bullario* sub *Vrb*. 8. Romæ impresso leguntur , vel etiam im-
primendo iterum legerentur; verum etiam illas, quæ sunt, vel forent
extra huiusmodi Bullarium , dummodo authenticæ sint (neque
enim facilè quascumq; & à quocumq; oblatas admittet , nam fingi
etiam aliquæ possunt , aliquæ possunt esse reuocatę , & aliquæ pos-
sunt nō esse sufficienter publicatæ)quarum complures reperiuntur in
Archiuijs Ciuitatum,ac *Principum*,& apud *Religiosos nominatim Ordines*,
ex quibus iam nō pauci ediderunt peculiares libros Bullarum ad suos
peculiares Ordines spectantium , in quibus est legere , ac discere
multa scitu digna. *Quamnam autem* habeant illæ vim obligandi , &
quos &c. si legitimæ sint , exploret. 13. *Viuæ Vocis Oraculorum*, *Re-
sponsionum*,ac *Declarationum*,quę à Romanis Pontificibus emanarunt,
licet priuatæ forent , notitiam habeat ; Quamuis enim nulli ex his
certa fides supernaturalis præstanda sit ; illa tamen notitia ad mul-
ta, & maximè pro *Foro externo* , & interdum etiam pro *Interno* vtilis
erit : Oportet autem , vt de huiusmodi *Oraculis* , *Responsionibus* , ac
Declarationibus constet ; & cum Doctores aliqui celebres,& maximè
in libris , asserunt de illis haud constare , ex illis vt sic argumentum
efficax , vel probabile etiam erui non poterit : si vellent Pontifices ,
vt illis staretur , vel esset certum illa à Pontificibus emanasse; non
permitterent,vt *cōtrariæ opiniones illis vulgarētur*,nec sinerent publica-
ri, *haud de illis constare* . Meminerit autem : *Tum licitum esse*,recede-
re ab interpretatione,quam Romanus Pontifex suæ etiam legi con-
tra ipsius legis verba , vel etiam præter ipsus legis verba daret , &
posse amplecti illam , quæ iudicaretur magis congrua ab aliquo sa-
piente data,etiam si foret dissona illi , quam Pontifex vt priuatus
Doctor præberet : *Tum* reuocari quandoque *Viuæ Vocis oracula &c.*
Quæ etiam cum ob *subreptionem*, vel *obreptionem*, vel *metum &c.* im-
petrata fuisse constaret ; quamnam vim tunc habeant (quod idem

de ipſiſmet *Bullis*) Theologus Moralis examinet. Non *excogitet* autem, multoq; minùs in medium proferat, ſiue voce, ſiue ſcriptis, multoq; minùs libris *ineptas cauillationes* ad excuſanda quædam Pontificum Decreta, vel pronunciata. Nam hęc minùs ſinceram Theologi mentem indicant, confirmantque Pontificiæ Poteſtati aduerſantium ſenſus de multis illi adblandientibus. 14. *Vtile erit Theologo Morali*, & quandoq; neceſſarium ad multorum ſolutionem, habere perſpecta illa, quæ in *Cathechiſmo Pij V.* iuſſu, in *Cæremoniali Pontificio, & Epiſcopali Clementis VIII.* iuſſu; in *Rituali Romano* Pauli V. iuſſu edito, ac in *Rubricis*, tum *Mißalis*, tum *Officij Diuini* habentur, ſimul cum detractionibus, & additionibus, quæ quandoque in huiuſmodi libris contigiſsent; licet enim non omnia ibi repoſita certa ſint, imò multa ſolùm iuxta probabiliorem, vel probabilem ſententiam allata, atq; ſtatuta (nec deſint e ſapientibus Catholicis, qui aliqua minus vera in hiſce libris animaduertant) negari tamen non poteſt, quin plurima contineant, e quibus fructum, nec mediocrem, reportabit *Theologus*, tum *Scholaſticus*, tum *Moralis*: Qui enim verò tali deſtitutus lectione in multis muneri ſuo, maximè interrogatus, nō ſatisfaciet. Eamdem ob causā *Liturgias S. Iacobi, S. Matthæi*, aliorumq; Apoſtolorū, quæ apud nonnullas nationes ſunt in vſu, *Eccleſiæ* Mediolanenſis, ac nominatim *Græcorum*, *Ritusque Eccleſiæ Græcæ* veros, ac legitimos, in *adminiſtratione maximè Sacramentorum*, notos habeat: *Vitet* verò, ne hoſce Græcos ritus damnet vnquam, niſi conſtet eos à Concilio aliquo Generali, vel Pontifice ex cathedra docente damnatos: imò potius illos ſuſpiciat; vt pote à Sanctiſſimis Viris, qui *in Eccleſia Græca floruerunt*, & poſt *Apoſtolos fuerunt primi*, qui *Chriſti Eccleſiam fundarunt*, ac in doctrina etiam primi floruerūt, & ab eorum ſucceſſoribus, alijſq; pijſſimis Viris conſtanter vſurpatos: ſi poteſt, eos cum ritibus Latinæ Eccleſiæ concordet, & in eſſentialibus haſce Eccleſias non diſsentire oſtendat; attendendo, in quibus conueniant ritus Latini, Græci, alijque, illaq; pro eſsentialibus aſſerendo in ſacram. adminiſtratione v.g. Si non poteſt in multis id efficere, vtriq; Eccleſiæ ſuos ſenſus probabiles relinquat. *Sicuti Græcorum* (idem de alijs non conuenientibus cum Latinis) *Catholicorum* eſt in aliquibus excogitare reſponſiones cōgruas nonnullis argumentationibus, quas ſapientes Latini contra eorum Ritus proferunt; ſic *Latinorum Catholicorum* munus eſt eaſdem excogitare contra nonnullas argumentationes, quæ ſunt grauiſſimi ponderis, deſumptas ex Liturgijs, ac Ritibus Eccleſiæ Græcæ. *Cauendum* tam *Latino*, quam *Græco Theologo*, ne priuatus in ſuam Eccleſiam amor mentem perturbet ne aduerſantium rationum vim aſsequatur, vel illas flocci faciat, verbiſq; acerbis vterque cōtra aliam Eccleſiam inuehat &c. *Meminerit Latinus Theologus*, a ſapientibus Romanis Pōtificibus Græ-

cam

cam Eccleſiam multo ſemper in honore habitam fuiſse. Multoque minus damnet ritus, in adminiſtratione Sacramentorum maximè, à quocunque Apoſtolo inductos. 15. ***Sedulo exploret***, quinam ſit ſenſus Eccleſiæ vniuerſalis circa quoſdam Mores, praximq; illius approbatam in quibuſdam ritibus &c. & An vt *Certos*, vel *Probabiles* tantum, vel *Probabiliores* quoſdam amplectatur Ritus; An ex ***Deuotione*** tantùm, An verò ***etiam ex obligatione***; quam *ſcienter* quoque contraxerint fideles &c. ***Animaduertat tamen***, cum in multis *Quæritur conſenſus Eccleſiæ Vniuerſalis*, illum non poſse ab vniuerſa planè Chriſtianorum, vel Catholicorum ſingillatim omnium ſententia deſumi; ***tum quia*** id impoſſibile moraliter ſaltem omnino eſt; ***tum quia*** fides Minorum perſæpè fidei Maiorum innititur. Idiotæ enim, ac imperiti ideò præſtant fidem multis opinionibus, quia vident à peritioribus, ac ſapientibus illas proponi, vel audiunt eoſdem illis aſsentiri; qua de Cauſa etiam illi circa præcipua fidei noſtræ Dogmata ſæpè actum fidei ſupernaturalem haud eliciunt, cum in ***Diuinam Auctoritatem*** haud vltimò ſuum Aſsenſum reſoluant; de quo à ſuis Paſtoribus, ac Parochis accuratè eſsent monendi. Quare e ſola ſapientum omnium ſententia Catholicorum, ac præſertim Eccleſiæ Paſtorum, in plurimis ſaltem conſenſus huiuſmodi petendus. ***Caueat verò, ne*** praxim, vel ſenſum alicuius Eccleſię e primarijs quoque, vel etiam Prouinciæ, reponat in praxium, vel ſenſuum vniuerſaliũ numero, & ex illa aliquid vniuerſale inferat; in quo aliqui Theologi Morales parum cauti decipi queunt. Nec vllos peculiares ritus, & praxes, in Catholicis Ciuitatibus, ac Prouincijs, vel Religioſis Ordinibus vigentes damnet, dum ſeruantur à viris Deum timentibus, doctis, ac prudentibus. 16. S. ***Patrum lectioni ſit deditus***, non ſolùm vt rectam aſsequatur interpretationem Sacrarum literarum, & maximè verſantium circa Mores, verum etiam vt ab ijs diſcat, quando e Scriptura vel Traditione non habetur, *Quænam Actio ſit digna præmio, ac laude; Quænam vituperatione, ac pœna: Quænam actio ſit ex Præcepto; Quænam ex Conſilio; Quænam Perfectior: Quænam Chriſtianum deceat &c.* Sunt enimuerò S. Patres Optimi Morum Magiſtri, aptioreſque per ſe, quam Ethnici quicumq; Philoſophi; ***tum quia*** Chriſti, & Sacrarum literarum ſcientia ſunt informati, ***tum quia*** eorum mores fuerunt Doctrinæ conformes. Perpendat quidem, *An illi aliqua tradant ad Mores ſpectantia, dum Sacras interpretãtur literas*, eaq; *pertinere ad fidem ſaltem implicitè aſſerant; An verò ex alia occaſione: An ex Profeſſo agant de Virtutibus, ac Vitijs, Actionibuſque à Chriſtiano homine exercendis fugiendiſue; An verò Incidenter: An loca quæ afferunt ad id, ſint iuxta Literalem*, vel *Spiritualem*, vel *Accomodatitium ſenſum: An agant de his in Homilijs, & Concionibus ad populum; An verò alibi*

etiam

etiam, dum exactior doctrina erat tradenda: *An conueniant inter se*; *An verò discrepent*; *&* *An celebriores &c.* 17. *Ex probabili interpretatione Sacræ Scripturæ, Traditione Diuina, Definitione Concilij Generalis*, vel *Pontificia, & Auctoritate S. Patrum* probabile tantummodò argumentum se ad aliquid asserendum afferre posse intelligat; & licet huiusmodi argumenta vnaquæque per se probabilia multiplicet, nunquam illorum virtute conclusionem reddere poterit de fide certam. *Hinc sapiens*, ac *prudens Theologus Moralis* nunquam certum quid spectans ad Mores proponat, quod probabiliter tãtùm deducitur e Scripura &c. 18. *Decreta Eminentissimorũ Principum*, qui prępositi sunt S. *Inquisitioni Romanæ, Tridentini Concilij Interpretationi, Sacris Ritibus, Indici*; *Negocijsque Episcoporum*, ac *Regularium*, *alijsque Sacris Congregationibus*, quę iam prodierunt, prodeuntque in dies, nota habeat; attendendo tamen, *An* sint Authentica; *An* reuocata; *An* sufficienter promulgata; *An* vniuersalia; *An* habeant conditiones ad obligationem requisitas &c. Ac licet huiusmodi Decreta haud vim legis haberent, multa tamen sciat tradere vtilia ad praxim, forumq; externum maximè: Qua de causa etiam valde Morali Theologo opportunum est, habere penes se *Decisiones* celebrium Inquisitionum, Vniuersitatum, Senatuum, Rotarum, ac nominatim Romanę, Communitatumq; Doctorum, perspectumque habere *stylum* Curiarum præcipuarum, ac pręcipuè Romanæ. 19. *Ne interius sentiat*, multoque minùs coram alijs affirmet, Moralem Theologiam inniti Aristotelis Doctrinæ, ac Principijs de Moribus. Præstantiores nobilioresque habet bases. Nonne antequam Aristotelis scientia Moralis in Catholicas inueheretur Academias, Moralis Theologia apud Christianos vigebat? Nonne Philosophiam Moralem ante Aristotelem, & præter Aristotelem alij tradiderunt? Ex his nonne Theologi etiam multa, eaq; pręclarissima desumere potuerunt, ac possunt? Affertur quidem iam in multis Aristoteles, quia Catholicæ Academiæ etiã in Moralibus naturali lumine cognitis, in quibus propter ordinem nominatim tractandis multam, ac meritò, laudem habet, eum vt Ducem sequuntur. *Quare* huius Theologiæ studiosus, cum audit, aut legit a quocumq; Morali Theologo afferri ad aliquam conclusionem Moralem auctoritatem siue Aristotelis, siue cuiusue alterius Philosophi, intelligat illam non esse conclusionem per se Theologicam, sicuti neque cum pręcisè affertur Ratio naturalis. Inter extraneos etiam Theologię Moralis locos reponitur Ratio naturalis vt sic, multoque magis Philosophorum etiam collectiuè acceptorum Auctoritas. Hinc fit, vt non pauci celebrium etiam Theologorum libri, qui inscribuntur Theologici, examinantque Morales Controuersias, potiùs Philosophici forent dicendi. 20. *Tenetur Moralis Theologus*

logus non minùs, quam *Scholasticus*, sua Principia colligere, suasque cõclusiones probare e Sacra Scriptura, Diuinis Traditionibus, alijsq; locis Theologię proprijs; & dum hę euidenter deducuntur, pertinent ad Habitum Theologię Moralis *Proprium*, ac *simpliciter*; si probabiliter, ad Habitum Theologię *Secundum quid*, & *Opinatiuum*. Auctoritas Philosophi, Ratioque naturalis, si non concurrit cum pręmissa de fide ad conclusionem inferendam, additur à Theologo Morali, quatenus Theologo, ad illustrandam magis pręmissam, aut conclusionem de fide; vel ad illam assertionem euincendam contra Ethnicum. Certè si Auctoritas ethnici Philosophi, ac Ratio naturalis idem doceant, quod fides; fidei nostrę Dogmata ad Mores pertinentia facilius ethnicis suadebuntur, & etiam Christianorum, Catholicorumq; intellectus facilius Verbo Diuino adhærebunt, ac in fide firmiores erunt. *Mirandum* tamen est, quod Theologi Morales sint adeo parci in stabiliendis illis, quæ docent, ex locis Theologiæ proprijs, ac nominatim e Scriptura; prolixi tamen sint in confirmandis, quę docent, ex Aristotelis Philosophia, Rationibusq; Philosophicis, quæ solummodò probabiliter vt plurimum concludunt, & ex legibus Ciuilibus (sapientius illi faciunt, qui afferunt *Sacros Canones*) An non animaduertunt se tunc agere Philosophi, non verò Theologi Moralis partes? Defectus iste (quem grauissimum esse nemo non peritus, si sincerè loqui velit, asseret) oritur ex eo quod Theologi Sacros *haud euoluant Codices*, e graueolentibus sæpe Philosophorum cisternis, quam e purissimis Diuinæ Sapientiæ fontibus Scientiæ Moralis effata, quæ plurima in Sacris habentur literis, potiùs haurientes. *Optandum* enimuero foret, vt quis ea quę habentur ex fide, vel deducuntur etiam probabiliter ex ijs quæ de fide, spectantia ad Mores seponeret ab illis, quæ lumine naturali tantummodo habentur; Illis autem adderentur postea si quæ forent, tum rationes naturales, tum auctoritates siue Aristotelis, siue Platonis, siue cuiusuis alterius celebris Philosophi, vel etiam textus alicuius legis; qui enim Ciuilium legum libros conscripserunt, in Morali Philosophia quam maximè excelluerunt. 21. *Sit versatus in Historijs*, tum *Ecclesiasticus*, tum *Prophanis*; ex ijs enim notitiam assequetur actionum, quæ laudatæ, ac vituperatæ sunt: exemplorum, quę vim persepè habent doctrinæ; & prauorum quidem ad eas fugiendas actiones, proborum verò ad eas amplectendas. *Non tamen* existimet, se tuta conscientia sequi posse, vel alijs imitanda proponere exempla quęcumque etiam Sanctissimorum Virorum: *Tum quia* non omnes eorum actiones fuerunt laudabiles, imò aliquę recensitę in Historis etiam Sacris fuerunt peccaminosę, & quandoque non leuiter; *præterquam* si fuerunt laudabiles, alię forsan exerceri potuerunt

ab

ab illis laudabiliores : *Tum quia* aliqua prętiterunt e peculiari Diuina Inſpiratione, ſiue Diuino Impulſu : *Tum quia* fuerunt aliquando laudabiles, circumſtantijs quibuſdam poſitis, quæ ſæpiſſime aliàs, ſiue alijs deſunt : *Tum quia* non ſemper authenticè conſtat, ac legitimè, an tales, quæ recenſentur, actiones à tali Viro exercitæ ; ſcriptores enim aliquos fuiſse nimis credulos, aliquos etiam falſarios conſtat. *Similiter* ex eo quod *aliqui Sancti Viri* non *certis ſe conformauerint moribus, ac ſenſibus*, haud hos per ſe reprobet ; *Tum quia* eſt argumentum negatiuum, quod leuiſſimè probat : *Tum quia* aliqui Sanctitate etiam inſignes Viri potuerunt eſſe ſcrupulis obnoxij ; aliqui etiam minùs prudentes ; *Tum quia* voluerunt perfectiores ſenſus, ac mores perſequi, relictis minùs perfectis, licet per ſe probis, ac laudabilibus; *Tum quia* non potuit ſemper certò cognoſci, an illos quandoque fuerint ſectati ; neque enim in publico ſemper, & coram certis perſonis, quæ ipſorum mores ſedulò obſeruarent, ad tranſmittendam maximè poſteris eorum memoriam, actiones plurimas exercuerunt. *Multò minùs ſtatuat*, tanquam Regulam *Probabilem*, multòq; minùs *Certam* Actionum laudabilium Actiones, quas exercent nonnulli, qui *Viri ſpirituales* aliquando dicuntur à vulgo maximè, eo quod prę manibus frequenter habeant officium B.V. Coronam, ac Roſarium, illudq; ſępiùs recitent, adſint pluribus ſacris, frequentent Sacramenta Confeſſionis, & Communionis, quaſdam ſodalitates, quædam oratoria &c. *tamen ſunt* durę Ceruicis, pertinaceſq; in proprijs ſenſibus ; rixoſi ; ſuſpicioſi ; alijs dominandi cupidiſſimi; tenaciſſimi, auarique (& quandoque cariori pretio vendunt, quam alij, res eiuſdem qualitatis) in contractibus fraudulenti ; parum erga alios miſericordes ; immites ; ſuperbi adeo, vt aliorum, licet peritiorum in materijs moralibus, iudicio ſtare nolint, ſed ſemet ſuo regere conſilio, quod veluti e cęlo delapſum arbitrantur ; in motibus, habituq; corporis ab humilitate adeò alieni, vt velint ſib cęteros omnes de via cedere, aperire ſibi caput &c. grauiſſimè indignantur, ſi vel leuiter eorum detrahatur honori, quæruntque vindictam licet ſub ſpecie Diuini Zeli, ac Iuſtitię Punitiuę ; omnia ſibi deberi arbitrantur ; aliorum mores, ac ſenſus deſpiciunt ; facilè aliorum famę, ac multipliciter detrahunt ; alijq; huiuſmodi vitijs, & grauiſſimis ſcatent, licet à Carnalibus quandoque abſtineant. *Illi re uera ſunt Viri ſpirituales*, in quibus viget maximè Caritas in Deum, ac Proximum, ac nominatim, in quibus elucent *Sexedecim Caritatis Qualitates* recenſitę 1. *Corinth.* 13. ab Apoſtolo ; quo nemo melius Sanctitatis Notas habere potuit perſpectas ; & ad has quidem, tanquam ad *Lydium lapidem*, explorandę ſunt Actiones eorum, qui in *Spiritualium* numero recenſentur ; quibus ſi reperiantur non conformes, & multò ma-

gis

gis si difformes, Sanctitas cuiusque ficta, & apparens erit, in nullo habenda pretio, imò potiùs ab omnibus vituperanda, licet in alijs operibus pijs semet exerceret, cæteroqui per se laudabilibus. *Ab Historijs* etiam, *Annalibus*, similibusq; libris aliorum gesta continentibus edisceet multos peculiares ritus, siue consuetudines, antiquiores maximè &c. quæ cognitio ad multorum solutionem, ac probationem Morali Theologo sæpè opportuna erit. 22. ***Non afficiatur*** erga Theologum Moralem vllum ita vt existimet quæcumq; planè ab eo dicta infallibilis esse auctoritatis, vel talem, cui non possit quis tuta refragrari conscientia; imò putet probabiliores contra illum sustineri meritò posse opiniones aliquas, illius forsan nonnullas improbabiles esse, alium scriptorem esse aptiorem &c. ***Laudabile*** quidem est initio vnius, vel alterius Moralis Theologi ***Summam*** perlegere: At vbi quis profecerit non leuiter in Moralis Theologiæ studio, his tantum detineri, ac nolle aliorum opiniones, etiam Probabiles tantum, habere notas, ***Vituperabile*** foret: ***Tum quia*** hinc facilè fieret, vt multi tanto in pretio haberent quosdam scriptores, & aliquando etiam solummodo Rescriptores ex alijs, vt reliquos, licet Sapientiores, floccifacerent, horum opiniones damnarent, tanquam Improbabiles, Scandalosas, Impias &c. Sicuti Viri nobiles interdum, qui extra Patriam suam haud sunt profecti, tam altè de sua nobilitate, ac Patria sentiunt, vt cæteras Vrbes, licet augustiores, cæterorum nobilitatem, quamuis præstantiorem, despiciant; cum e contra alij, qui alias inuiserunt Ciuitates, soleant esse magis humani, reliquarum Vrbium laudes referant, nobiles ex alijs Vrbibus ad se officij Causa aduentantes, honorificè excipiant &c. ***Tum quia*** nequibit quis vnquam, vt par foret, sententias quoque certi Auctoris tueri plurimas, nisi argumenta illas oppugnantia norit, quæ aliquando ab eo non reponuntur Auctore, vel saltem validùs in aliorum libris exponuntur: ***Tum quia*** in Moralibus maximè Materijs variatur, ac sæpe variari debet sensus de opinionum Probabilitate, ac Improbabilitate: ***Tum quia*** vtile est ad pacandam quoque suam, vel aliorum quoque conscientiam varias Probabiles opiniones habere notas; modo autem erit opportunum, & quandoque necessarium huic opinioni Probabili semet conformare, modò alteri: ***Tum quia*** hinc ab eo, qui vera Caritate flagrat, facilè excusari possunt multæ à Viris Doctis, Pijsque actiones exercitæ, quæ peccaminosæ communiter, & a vulgo, & à parum peritis censentur: ***Tum quia*** negari non potest, quin multiplex huiusmodi cognitio sit intellectui iucunda; indeque magis perficiatur; atq; si velit, examinatis rationibus, ferre de opinionibus iudicium, necessaria. 23. ***Definitiones rerũ Moralium*** exactè teneat; quarum verba cum satis non sunt clara, illarum inter-

pretationem petat à Theologis, maximè antiquioribus, & à praxi antiqua, & præcipuè, si hęc innitatur alicui loco Scripturæ, vel oraculis Patrum &c. Nihil poterit aptè concludere, nisi harum vim teneat. Ex varia autem eiusdem definitionis Vocum acceptione, varias existere opiniones necesse est. Si antiqua vocum acceptio aliquam diminutionem, vel ampliationem habeat, non erit amplius idem obiectum, de quo locuti sunt antiquiores. Nihil planè definitionibus addendum, vel demendum. ***Nec adhæreat*** quibuslibet recentioribus, qui talium nouitatum in definitionibus, vel earum explicatione studiosi forent, si maximè ad priuatos fines. 24. *Quæ Morales* Philosophi tractant, pręsertim quoad ***Voluntarium***, ac ***Liberum***, quoad ***Virtutes***, ac ***Vitia***, vnà cum illis, quæ Theologia etiam circa eadem tradit, simulque illa, quæ addidit etiam de ***Ignorantia***, ***Inaduertentia***, ***Metu &c.*** animo comprehendat. ***Tunc verè veram*** Theologiam Moralem tenebit, si habeat perspecta, Principia, ***tum Vniuersalia*** totius Theologię Moralis, tum ***Particularia*** cuiusq; materiæ Moralis v. g. ***Simoniæ, Vsuræ, ludi &c.*** & ex his deducat conclusiones. 25. ***Operam præcipuè*** collocet in habenda cognitione *Primo* Quidnam requiratur ad peccatum mortale, & nominatim, ***Quænam*** cognitio prærequiratur: quæ illius occasio proxima, ac vitanda. ***Secundo*** Quomodo Mortale à Veniali distinguatur; & qua ratione peccata mortalia tum specie, tum numero multiplicentur; animaduertendo, antequam traderentur tot à recentioribus Theologis de distinctione peccatorum, solitos fuisse Catholicos accedere ad Confessionis Sacramentum; nec antiquiores summas, quæ tamen à doctissimis, ac pijssimis Viris fuerunt conscriptæ, fuisse adeò in hac materia morosas, sicuti sunt nonnullæ recentiores, in quibus nonnulla tradita, præterquam antiquiorum sęculorum praxi videntur repugnare, reddere possunt ***Confessionem odiosam***; Quod adeò vitandum est prudenti Theologo, vt opiniones cunctæ, probabiles tamen, quæ hoc præceptum (quo nullum positiuum Diuinum per se grauius Christiano) suauius reddunt, ab illo sint amplectendæ, ac reijciendę illę, quæ probabiliter retardare queunt homines à tali præcepto executioni mandando. *Tertio* Quænam sint conditiones ad ***Legum*** Iustitiam requisitæ, quarum vel vna deficiente haud iusta lex erit; & ***Quandonam*** illarum, cæteroqui iustarum, obligatio cesset; distinguendo exactè leges ***Ecclesiasticas***, quæ à Pręlatis Ecclesiasticis, vt talibus fieri queunt, à ***Ciuilibus***, quarum cõdendarum potestas est penes Principes, vel Magistratus sæculares. ***Quarto*** Quænam sint Consuetudinis legitimæ Vires; Attendendo, Tum ***aliam*** esse praxim Ecclesiæ Vniuersalis, ***aliam*** Ecclesiæ Particularis; ***aliam*** in foro Interno, aliam in Externo; ***aliam*** certum personarum genus tantummodo

obliga-

obligare, aliam omnes in tali Prouincia, vel Ciuitate degentes; aliam esse receptam hic, & non alibi; aliam pro certo tempore obligare, aliam pro omni; *aliam* ortam ex metu, dolo, vel ignorantia iuris, ideoque nō liberè cōtractam haud obligare, aliã scienter, ideoq; obligare &c. *Tum* A quibus, Quo tempore, & Propter quæ tales consuetudines inductę in Ecclesiam, vel Ecclesias, ac Ciuitates, Commutatesq; particulares; & an fuerint cōtra, vel pręter praxim antiquiorũ sæculorum, & cur ab hac recessum &c. *Tum* haud facilè damnandas consuetudines approbatas maximè à Viris pijs, doctisque, licet forent contra leges aliquas positiuas; quæ prohiberent quoque consuetudinem inducendam; cum existere potuerint nouæ causæ illam inducendi; ac leges aliquæ succedentibus tēporibus minùs iustę potuerint esse, licet primò latæ fuissent iustissimæ. *Tum* Multas consuetudines esse tantum ex deuotione, pietate &c. ac in dubio standũ pro cōsuetudine nō obligante. Vniuersaliter attendat, An cōsuetudo inducta à scientibus se non esse obligatos, à potentibus legem inducere, habentibusque voluntatem se obligandi. *Quinto* Quibusnam violetur *Præceptum obseruantiæ Festorum dierum*, diligenter *distinguendo* opera seruilia, nec homine libero digna, ab alijs; ac *nunquam adhærendo* opinionibus, vel sensibus eorum, qui existimant Festos dies esse multiplicandos, passimq; multiplicitatem illorum vel inducunt, vel cupiunt, non compatientes (cum sibi sint pares tam dies festi, quam non festi, eò quod suis viuant redditibus) pauperibus, qui e manuum suarum fructu quotidianum sibi, suisque victum, ac vestitum comparant, & ex intermisso publico labore grauissima patiuntur damna: & experientia quidem patet, *Tum* ex nimia quorumdam festorum multiplicitate, eos qui ab Ecclesia vniuersali à tot iam sæculis approbati sunt, non multo in prætio haberi, imò in minori præ his; *Tum* vt plurimum artifices solitos esse maxima diei partem, vel in ludis, vel in potibus, vel in inhonestis actionibus cum eorum Sanctorum iniuria, quorum di es festos agere dicunt, & filiorum, vxoris, ac Familiæ totius querela insumere. *Sexto*: Quandonam liceat *Priuato iuste alium occidere*; quasdam opiniones *penitus reijciendo*, quæ nimis facilem reddunt priuatis ademptionem aliorum vitæ, quæ post animam est præcipuum bonum ex humanis; ac *monendo illos*, qui alijs præsunt, & ad hoc ex iustitia tenentur, vt sollicitiores sint in priuatis huiusmodi occisionibus tollendis, maximè si ex consilio, & quibusdam armorum generibus fiant, ex quibus quamplurimi tum corporis, tum animæ discrimen adeant apertissimè; *illis suadendo*, vt pęnas acerbissimas huiusmodi occisoribus infligant, *in quos exercere pietatem*, potest impietas esse; *ijsdemq; suggerendo etiam*, eos teneri ex caritate saltem, quam erga subditos, tanquam filios,

ipsi Populorum Patres exhibere debent, discordiarum semina primò iacta inter primarios maximè Viros, potentiores, ac nobiliores familias eradicare &c. *Septimo.* Quot sint species **Fornicationis**, ac præsertim, *Quæ contra naturam*, earum fœditate rite percepta, alijsq; cũ opus fuerit indicata. *Octauo*, Quæ pertinent ad ***Iniustam læsionem in Bonis Fortunæ, Famæ, Honorisque, ac horum Restitutionem***; attendendo præsertim multiplicem esse detractionis speciem, ac multos, qui alijs non sunt contaminati vitijs, hoc tamen vitio esse inquinatissimos, ac nominatim quosdam, qui se inter viros spirituales **numerant**, vel à parum prudentibus externas tantummodo actiones quasdam eorum obseruantibus inter tales habentur. ***Existimant*** aliqui se omne fermè ius in aliorum famam habere, imò & se *sacrificium* ***Deo*** præstare arbitrantur, si nonnullos vel pietate, vel doctrina, alijsue dotibus conspicuos, vel quibus norunt suas hypocrisis artes esse perspicuas, timentue hasce manifestari, de aliquo crimine insimulent &c. ***Nono.*** Quę Attinent ad ***Contractus***: animaduertendo; ***Tum*** complurium notitiam diligens requirere examen; nec facilè damnandos, qui passim in celebrioribus fiunt Ciuitatibus, maximè non consultis illis, qui huiusmodi contractus exercent, nec perpensis cõditionibus, quas illarum periti exigunt; ***Tum*** multas leges circa illos latas, vel nõ vbiq; obligare, vel niti præsumptionibus &c. *Decimo.* Quos obliget *Ieiunij* lex; & *Quando* aliqui, licet ea per se teneantur, rationabiliter interdum possint eximi; ***omnibus suadendo***, vt si nequeunt illam seruare integrè, vel in delectu ciborum, vel in vnica comestione &c. in quantitate, tamen, vel qualitate semper aliquam Ecclesiæ venerationem exhibeant. ***Vndecimo.*** Quæ ad ***Tributa*** attinent: monendo *subditos* ex lege Naturali, ac Diuina teneri ad eorum solutionem, dum illa sunt iusta, ac *Magnates*, ne indulgendi causa suius minus æquis cupiditatibus, licet sub specie etiam publici boni, quod *quandoque* vel *remotissimum* est, vel *apparens* tantummodò esse potest, nimis subditos, quos filiorum loco habere debent, non instar seruorum Turcico more, tributis grauent, in memoriam reuocatis compluribus populorum rebellionibus ortis ex nimio tributorum onere; quod eò intolerabilius foret, si non *Geometrica proportione* pro cuiusq; facultate imponeretur, *illoue eximerentur*, qui magis forent grauandi; & tributa non essent vsui ***futura necessitatibus*** Principis, sed ad ***replendas Ministrorum illius*** crumenas &c. *Duodecimo.* Quę ad ***Votorũ*** obligationem spectant, & *Quandonam* illorum obligatio cesset: non nisi dum planè constat, illorum obligationem, maximè in Foro Interiori, ***asserendo***: nec *facilè impellendo alios* ad eorum vinculo semet obstringendos; memor ***Ecclesiam*** ad tacitum Castitatis vnius votum in Subdiaconatus Ordinatione annum vigesimum primum exigere necessariò, ac

facilè

facilè multos ex *ignorantia*, vel *metu*, vel *dolo*, vel similibus de causis potuisse vota emittere, *Circumstantias* potuisse notabiliter variari &c. Nunquam verò sibi indecorum putet Theologus Moralis, etiam celebris, de quibusdam difficultatibus *interrogatus* de *Mane*, vt dicitur, *respondere de serò*, tempusque congruum ad deliberandum congruum velle sibi præfiniri, & maximè dum agitur de rebus magni ponderis, & præsertim ad Iustitiam, publicamq; tranquillitatem; multarumq; animarum salutem spectantibus. *Quò doctior habetur*, eò etiam magis honori suo, ac famæ consulere debet: *Nec dum quædam ignorat*, vel *non satis explorata* habet (perrari sunt enim, qui exactè teneant omnes materias morales, quæ ad Theologum Moralem attinent) iudicium suum in illis interponere velit, ac præsertim dum aliqui illius iudicio tantùm stare velint. 26. *Quamuis* apertè *Henricus Quodlib.* 15. q. 15. *asserat, disputationem de Potestate sua nullum Prælatorum* (quod de quibuscumq; alijs etiam superioribus intelligendum videtur), *refugere debere, sed eam potiùs appetere; & hoc præcipuè, quia si quis eorum ipsam refugit, illud in quo eam refugit, suspectum de veritate tenet; sicut* Mahomet *legem suam suspectam de veritate habuit*, & *falsitatem* eius *per disputationem de illa deprehendi metuit, propter quod pœnali edicto legis de illa disputare prohibuit; non sic Christus legem suam suspectam habuit, quando eam liberæ disputationi omnium credentium, & non credentium illi exposuit*; de spectantibus tamen ad Iurisdictionem rarissimè, & tunc vrgenti plane necessitate, iudicium suum interponat. Quid alij, & maximè e celebrioribus, magisq; sinceris Theologis, ac Vtriusq; Iuris Interpretibus in medium rationabiliter protulerint, exponat ad summum. Periculis multis obnoxiæ sunt talium quæstionum ventilationes: inuidiam, odiumq; vnius partis, cui minùs aliquis fauere videtur, excitare solent: difficillimæ etiam sunt ob prætextus multiplicium bonorum publicorum excogitatos à Doctoribus multis, qui alterutri parti fauentes pro vnaquaq; scripserunt, librosq; vulgarunt: nec vllus ferme fructus ex earum discussione reportatur; nam non desunt semper, qui argumentis etiam recentibus, nec leuibus, respõsiones etiam congruas præbeant; & licet non forent adeo efficaces, sicuti argumentationes, probabiles tamen censeri queunt à Viris in materijs moralibus versatis, quorum iudicio Viri illarum ignari semet conformare poterunt. Verissimum illud est, *Huiusmodi quæstionum solutio armis, belloque decernitur plerumque. Qui maiori præditus est potentia, sibi ius vindicat sæpe*: Cuperent quidem aliqui, vt in aliquo publico pijssimorum, doctissimorum, ac prudentissimorum Virorum ex omnibus Christiani orbis partibus coactorum consessu propositis rationibus ab illis, qui de Iurisdictionibus nonnullis contendunt, illisque sedulò examinatis, decerneretur aliquando, quid sentiendum foret, ab illis

qui legitimam ad id habent poteſtatem ; Grauiſſimæ enim animorum rixæ, & capitales non rarò, inter Chriſtianos oriuntur ex diſſenſionibus iſtis circa Iuriſdictionem cum ſcandalo Ethinicorum, qui minùs rectam (licet immeritò) legem Chriſtianam putant, eò quod plures contentiones, pluraq; bella inter Chriſtianos vigere aſserant, ac interdum inter illos, qui magis ſtudioſi Pacis eſſe deberent, quam vigeant inter ethnicos eiuſdem ſectæ aſſeclas. *Velit Deus*, vt nunquam diſſenſiones inter Chriſtianos foueantur ex priuata quorundam cauſa; quæ eò magis foret vituperabilis, ſi ad conſeruandam Iuriſdictionem ſuam, minùs legitimè quandoque acquiſitam, inter alios Diſſenſionum materiam aliqui, licet poſsent, non tollerent, vel etiam ſubminiſtrarent; poſſunt enim ſagaces homines videre, dum aliqui inter ſe contendunt, fore vt illi non animum appellant ad ipſorum Iuriſdictionem minuendam &c. *Auertat idem Deus*, ne huiuſmodi homines poſſint vnquam affirmare, ab aliquo Theologorum ſe ad id impulſos, vel ex illorum conſilio ſe id præſtitiſse. *Tot grauia ſæpe oriri queunt incommoda* ex diſſenſionibus inter Chriſtianos (præter ſpectantia ad Pietatem, ac Religionem ipſam, quę ſępè detrimentum ingens patitur) *vt prudens, ac ſapiens Theologus hortari, ac monere debeat*, vt aliquod potius ſuæ Iuriſdictionis detrimentum nonnulli æquo animo ferant, quam ſe, ſuoſq; in ingentia Fortunarum, Honoris, ac Vitæ diſcrimina adducant; Pręterquam fieri poteſt, vt dum quis tueri vel amplificare velit iuriſdictionem ſuam artibus minus æquis, iuſto Dei iudicio illa minuatur; vel dum vnum genus iuriſdictionis amplificatur, aliud & maioris ponderis imminuatur. *Cogitet* Theologus de hiſce materijs conſultus *ea, quæ pacis ſunt*; ac non niſi extrema vrgente neceſſitate ad conſilia belli inter Chriſtianos inclinet; omnes adhibendas artes ſuadeat, antequam quid armis decernatur, maximè cùm ſint incertiſſimi bellorum exitus, tum quoad Victoriam reportandam, tum quoad finem ipſis imponendum, ac pœnitere ſoleat multos illa inchoaſse. *Meminerit Theologus*; quod *Deus noſter eſt Deus Pacis, ac Dilectionis*; & Chriſtus voluit *Princeps Pacis* appellari, *Pacemq;* abiens ad Patrem, Eccleſiæ ſuæ tanquam hæreditatem, *dedit, ac reliquit*. E Dei, Chriſtiq; doctrina ſunt Theologo depromenda, quæ præbet conſilia, non ex Politicorum quorumdam officina. Hortetur potiùs quoſdam, qui ſuam Iuriſdictionem amplificare cuperent miniſtè, vt e Barbarorum manibus eripiant, vindicentq; ſibi tot Regna, totq; Prouincias, ac Principatus, quos Chriſtianis vſurparunt, ac eò nominatim tempore, quo Chriſtiani inter ſe bella gerebant de vindicanda ſibi inuicem aliqua iuriſdictione etiam non multi ponderis. *Perpendat enimuerò Theologus Moralis*, dum ſubterfugere nequit, quo minùs ſenſum ſuum proferat circa nonnulla ad Iuriſdictionem ſpectantia,

ctantia, ad quæ per se, & ex Institutione *Naturali*, vel *Diuina* extendantur Iurisdictiones quę sunt in Christiana Republica, limites suos, vt vigeat in illa Pax, ex Sacra Scriptura, Traditione, Patrumq; auctoritate illis præscribens; Caueatq; ne ita vni faueat, vt alteri præiudicium inferat, suisq; opinionibus efficiat, vt quæ est per *accidens* alteri Iurisdictioni cõnexa, euadat quasi per se; & in hac tuenda, vel amplificanda nonnulli sint ferè toti, de alia parum solliciti; & ne *lex Euangelica* in dies magis onerosa euadat illis, qui eam amplexi iam sunt, retardenturq; multi ab amplectenda Christiana, & Catholica Religione, eò quod hinc Iurisdictionis, quæ ad illos ex lege naturali spectaret, diminutionem quam maximam pati deberent, & hoc, non *quia Christus sic voluisset*, sed quia sic nonnulli Theologi minùs verè pij, ac sinceri vellent; quorum sententia propter extrinsecas causas apud aliquos futurum esset, vt præualeret. 27. *Haud tempus* insumat grauioribus merito dicandum in leuissimis quibusdam, vt in discendo v. g. *Quot sint filiæ Superbiæ, Acediæ &c.* ac in similibus, quæ potiùs puerilem memoriam petunt, ac nullius ferme ponderis sunt. Nec de huiusmodi rebus interroget, si Examinator sit constitutus, illos qui accedunt examinandi de *aptitudine ad excipiendas Confessiones*: sed de ijs, quæ pertinent ad Sacramentum Confessionis, & quæ ad praxim faciunt, vitatis illis quæ ad solam speculationem spectant, & potius ad Cathedras, quam ad Confessionalia spectant: *similiter* ab ijs, qui accedunt ad examen pro ordinatione, petat quæ ad *Ordines suos attinent*, non verò quæ à Confessarijs essent petenda &c. & licet meminisse debeat, *plura posse Asinum interrogare*, quam *sapientem respondere*, non sit facilis tamen in ferendo suffragio pro admissione ad *Ordines*, & maximè *Sacros*, vel ad Confessarij munus; nam multitudo Clericorum, & Confessariorum minùs aptorum est valde Communi fidelium animarum bono noxia: *Quare ne sit particeps* criminis grauissimi, quod patrarent illi, qui non idoneos, habentesq; potiùs qualitates oppositas illis, quas Sacri Canones, ac Conciliorum, Pontificumque leges requirunt in ijs, qui creandi sunt Clerici, Sacerdotes, & Confessarij, in eorum tamen numero, non publici, sed priuati tantum alicuius boni, ac nominatim ad suæ iurisdictionis fines porrigendos, habita ratione, reponerent. 28. *Suis opinionibus* foueat obedientiam subditorum in ijs, ad quæ tenentur: Superiorum autem Potestatem non porrigat vltra id, quod illis licet ex lege illis imposita à Iure, siue Naturali, siue Diuino, siue Gentium, siue etiam Positiuo legitimo &c. Nec vnquam adhæreat illis opinionibus, *Quæ docerent, fidem datam etiam subdito* nõ de re intrinsecè mala, *violari posse; dominandi causa licitum esse ferme*, quod liberet &c. *Vel quæ sinceritatem, ac fidelitatem tollerent*, videturq; earum praxis maximè illos,

qui

qui alijs præsunt, dedecere, vt sunt nonnullæ de *Amphibologia*, & *Æquiuocatione* sententiæ &c. Tum subditis, tum superioribus; tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus, omnibus deniq; non acceptator personarum ius suum tribuat. 29. *Cum fieret*, vt nonnulli *prurientes auribus* (vt inquit Apostolus Paulus 2. Timoth. 4.) *coaceruarent sibi magistros ad desideria sua, non vt discerent, quid facere deberent, sed vt eorum studio, & calliditate inuenirentur rationes, quibus liceret, quod illis liberet*; haud Theologus Moralis inter huiusmodi magistros numerari velit, qui Adulationis Vitio quam maximè premerentur; adeoq; ea omne studium ponerent, vt nonnullorum Voluntas, qualiscumq; ea foret, esset Regula, qua eorum operationes, & actiones dirigerentur. *Veh Ecclesiasticæ Hierarchiæ*; *Veh Christianæ reipublicæ*, si complures in Christiano orbe viuerent huiusmodi Theologi Morales, qui *iuxta quorundam desideria loquerentur*, ac *scriberent*, apparentes etiam rationes excogitarent, afferrentque; & hi forent, qui aliorum conscientias dirigerent, & iuxta illorum cõsilia res grauissimæ decernerentur. Ex *hoc quidem fonte*, tanquam ex equo Troiano, *irrumperent in Christianam Rempublicam tot abusus*, adeoq; graues morbi, vt ad desperationem fere salutis laboraret. 30. *Tum in sentiendo*; tum in loquendo, *ac scribendo* sit ab omni liber passione; liberè Quid *malum*, Quid *bonum*, Quæ *Actio laudabilis*, Quæ *vituperabilis &c.* proferat. Caueat tamen, ne ex minùs beneuolo, vel infenso animo aliquorum nomina peculiariter recenseat; cum satis sit Vitia, siue Vitiosas actiones notare, siue discutere, *An tales Actiones sint licitæ, an illicitæ, An Conformes Christianæ Religioni, Pietati, Iustitiæ &c.* nulla prorsus personarum, & maximè Ecclesiasticarum, mentione facta explicitè. Intelligat autem, argumentum ferme euidens esse sæpissimè saltem animi, de cuius salute actum sit, nolle, vt quædam, & maximè si sint publica, & ad publicum beneficium pertineant, examinentur à Theologis moralibus: quos nouerint sincerè locuturos: Hi certè timent, ne sua facta minùs ab illis probentur. *Prudens tamen semper sit Theologus Moralis*: Nam si certum sibi sit, nullum reportandum esse fructum, si quędam examinet, & multò magis si grauiora hinc extitura incõmoda existimet, vel sibi suisue graue aliquod malũ imineat, abstinere poterit, imò aliquando debebit ab huiusmodi discussione, ac suæ sententiæ prolatione; Quæ interdum quidem debitæ correctionis vices habet; aliqui enim non nisi à Doctoribus, vel Scriptoribus corrigi queunt: A quo si hi abstinerent (debita tamen semper adhibita cautione) explicari nequeunt incommoda, quæ hinc in Christianam Rempublicam vniuersam deriuarẽt. 31. *Scripta, librosque in causa propria*, vel aliorum iuxta eorum imperium, vel nutum scriptos ita euoluat, vt iudicium tamen non ferat vltimum, donec

donec responsiones aduersantium videat. Ex huiusmodi quidem libris multa discuntur præclarissima, nam amor maximę proprius, & propensio in alios mirè interdum acuit ingenium, redditq; etiam aliquãdo homines indefessos in perscrutandis ex antiquiorum, & recentiorum libris aliquibus, quę videntur sibi, vel suis fauere: Multa tamen possunt ibi reperiri, quę vel non faciunt ad rem, vel quasi detorquentur, vel non integrè, ac sincerè, & quandoq; etiam falsè referuntur. Quare plurima, quæ leguntur in hisce libris, Theologus Moralis in Auctoribus, qui ab illis indicantur, recognoscat: Rationes verò quas afferunt, ad rectissimam veritatis, iustitiæ, & ęquitatis trutinam ponderet. 27. *Caueat, ne cum est à Consilijs alicui supremo Principi*, vel *Magnati potestatem ferendi leges habenti*, suadeat illi multiplicitatem legum. Non sunt leges, ac pręcepta multiplicanda, quę imperij onus nimis graue efficiant, & quę in causa sint, cum tot leges, ac pręcepta difficilè admmodum sciri possint, & multò minus omnes sine nullius transgressione seruari, contemnantur, passimq; violentur: Neq; solum attendendum, an singulę leges, quę denuò conduntur, seruatu non sint difficiles, sed etiam an omnes simul, quę ab istis conduntur, & quę à suis antecessoribus sunt conditæ, seruari nõ admodum difficilè possint, ac iugum legum nõ admodum difficile sibi subditis imponant. *Moneat* eos, *Tum vt sint contenti legibus illis*, quę sunt penitus necessarię; nam ipsa multitudo statim fit impossibilis; vnde vt plurimum saltem efficiuntur veluti arenearum telæ, quibus muscę arcentur, non leones: Et legũ quidem immodica turba hoc solum pręstat, vt boni & mites, qui legibus non indigent, circumsepti viuant; peruicaces autem & indomiti leges plures habeant, quas pessumdent ad suas explendas libidines: *Tum vt in ferendis legibus pro Communitate aliqua aduertant*, cum in illa soleant esse longè plures, qui virtutum habitibus non sunt imbuti, sed cum prauis corruptisq; affectibus colluctantur, quique adeo potentes non sunt pręclara virtutum opera assequi (nam studiosi habitus sunt, quibus facilitatem nanciscimur studiosè agendi) haud Communitati sub pœna siue Eccesiastica, siue Ciuili prohibenda esse, à quibus tota Communitas pro humana fragilitate abstinere non potest, sed ea prorsus, à quibus plurimi cauere possunt (vna ex conditionibus Legi condendæ est, quod subditis attenta eorum dispositione sit futura possibilis, & vtilis) *adeoque* non esse legibus, quæ omnibus debent esse communes, decernenda nonnulla, quæ solis integris Viris, ac qui multum in virtute progressum fecerunt, possibilia sunt, sed illa prorsus, quæ etiam imperfectiores adire, ferreq; possint, vt illis faciliobus imbuti ad alia, quæ ardua sunt, valeant sua sponte conscendere; alioquin fiet, vt imperfecti in desperationem incidentes primùm

violent talia præcepta, cõtemnant postea, ac denique ex contemptu in peiora labantur: *Tum vt qualitates Communitatum spectent*: neque enim eędem leges ferendæ sunt Pueris, quæ Viris; Sęcularibus, quæ Religiosis; Religiosis in exiguo numero, & Caritate feruentibus, quæ illis ijsdem numero amplificatis, & à primæuo sui Instituti spiritu iam deficentibus &c. *Tum maximè*; ne pro priuato commodo instituantur, videlicet, vt vel transgressorum mulctis (sic loquitur *Sotus lib. 1. de Iust. q. 5.*) vel dispensationum frequentia legislatoris ærarium ditesceret, aut aulicorum res augerentur: Quem modum ait *Sotus* esse omnium pessimum, ac pestilentissimum: Cui affinis esset iste, si nimirum quis legem aliquam ferret, vt occasionem haberet aliquos, quos difficilè seruaturos illam arbitraretur, priuandi bonis suis, vel aliqua pœna afficiendi, vel illos torquendi &c. *Omnes ingenij vires intendat Theologus Moralis in hoc*, vt Magnates huiusmodi semper pręcipuam collocent industriam, vt *Decalogi præcepta*, quæ sunt Iuxta lumen naturale etiam, *exactè obseruentur*; nam hinc tranquillitas in Rempublicam Christianam deriuare potest: *ac se iniustè acturos prorsus arbitrentur*, si grauiorem pœnam imponerent illis, qui aliquas positiuas Leges, quę sępe pręsumptiones humanæ sunt, nec habent re vera conditiones ad iustitiam legum requisitas, violarent, quam qui ab obseruantia Diuinorum Pręceptorum recederent, plurisque facerent leges à se, quam à Deo, *per quem* tamen *Reges regnant*, conditas. *Peculiariter* verò hortetur Theologus Moralis *Ecclesiasticos Præsules*, vt à multiplicandis legibus abstineant: *Tum quia* illi debent magis, quam cęteri, vestigijs insistere Christi, qui paucissimam leges, sed plurima consilia in Euangelica lege tulit: *Tum quia* ipsi, qui Christi vices gerunt in terris, abstinere debent, ne Christi *iugum suaue, onusque* leue, reddant insuaue, & graue: Debent enimuero *Christi*, non *Eliæ* spiritum ęmulari: Memores esse debent Caritatis, quam erga omnes, ac nominatim peccatores, exhibuerunt Apostoli *Petrus*, & *Paulus*, cuius plurima, ac eximia prębuerunt argumenta; meritoq; reprehenderentur, qui iustitię summę rigoris exercendi contra aliquos, quibus ex priuatis causis minùs essent proprij, desiderio flagrantes sibi ad imitandos tantum proponerent Apostolorum Principes, si quando deprehendatur, eos durius quid dixisse, vel egisse contra nonnullum; & peculiariter sibi proponerent S. *Petrum* Mortem *Ananiæ*, ac *Saphiræ* inferentem, non animaduertentes id ex peculiari Diuino instinctu, ac peculiari miraculorum virtute illi à Deo communicata euenisse. *Christus* enimuero *Diuinum* tantummodo exhibuit *Zelum* in eijciendo bis è Templo *Vendentes, & ementes oues, & Boues, & Columbas*; Quorum nomine cum intelligant S. Patres *simoniacos*, vt contra hos leges à pijssimis, ac prudentissimis Pontificibus

latæ

latæ seruentur, exercendus maximè Pastorum zelus: *Tum quia* Christiani debent esse remotissimi à conditione Iudæorum, quibus multiplices datæ leges, cauendumq; ne deterior quandoque fieret conditio Christianorum, quam Iudæorum: *Tum quia*, cum Ecclesiastici Præsules sint instar Matris respectu Christianorum (sæpe autem in Sacris Canonibus *Ecclesia*, & peculiariter *Romana Sedes* appellatur *Mater*) haud par est, vt multis filios suos obligent præceptis; *Tum quia* ex nimia multiplicitate fieri potest, vt plures non seruentur etiam ex contemptu (quod vergit etiam in dedecus ferentium leges) vel seruentur tantũ illæ, quæ sunt minoris ponderis; *Tum quia* sit, vt Theologi nimio multitudinis legum onere premi subditos videntes, in dies excogitent rationes, quarum virtute excusari à legum multarum obseruantia subditi possint; & inter cætera legatur apud recentiores, ac celebres nonnullos recentiores, *vt valida sit lex, liberè, & non coactè suscipiendam*, ac *destruere Caritatem* (quæ in Ecclesiasticis Prælatis maximè præ alijs vigere debet) *qui inuitos cogit &c. Tum quia* meminisse debent Ecclesiastici Pręsules, Christianos esse sibi subditos voluntarios, non naturales, sicuti multi populi Principibus sęcularibus subditi sunt: *Tum quia* decet, vt ipsi præbeant exemplum cæteris, qui pręsunt, moderationis habendæ in subditorum regimine.

33. *Sentiat*, vt par est, præ cæteris de benignitate Ecclesiasticarum legum, Ideoq; cum probabile, vel dubium est; *An aliquæ* extent; *An aliquæ* Consilium, An verò Pręceptum contineant; *An aliquæ* obligent ad Pœnam tantum, an verò etiam ad Culpam; *An aliquæ* obligent in foro externo Tantum, an verò etiam in Interno; *An* in certo tempore tantum, an in omni; *An* certum personarum Genus Dumtaxat; *An* in certis tantummodo circumstantijs, loci &c. *An* Epicheiã admittãt, benignaq; interpretatio sine recursu ad Superiorẽ fieri possit; *An* obligent ad culpam mortalem, an venialem; *An sint Comminatoriæ* tantum. *An* verò de facto obligent ad pœnam; *An* sint de pœna eo ipso subeunda, an solummodo post Iudicis Ecclesiastici condemnationem &c. semper pro mitiori parte stet Theologus in ijs, quæ ad forum Internum spectant. Similiter, cum ad obligationem Ecclesiasticarum legum quasdam conditiones primarum partium Theologi requirant, quas alij etiam celebres Theologi non exigunt, & horum sententiam, vtpote probabiliter, vel probabiliùs fauorabilem amplectantur Pręsules sæpe, ac sequatur plerumq; Ecclesiasticę Curiæ stylus; in foro tamen Interiori Theologus benigniori adhæreat, maximè cum de benigniori mente Pręsulum Ecclesiasticorum, quibus nullis Principes humaniores esse debẽt, sit rationabiliter pręsumendum eo in foro, licet in Exteriori, & propter extrinsecas causas quandoque (& prudenter) illarũ verba nimium quemdam rigo-

rem præferrent. 34. *Ne ex eo quod* aliquid vnquam factum fuerit, putet Theologus illud esse illicitum, & non permittendum, vel concedendum, vel consulendum &c. *Tum quia* interdum id constare non potest; *Tum quia* ex factis multis laudabilibus, & approbatis postea, licet fuerit primò controuersia, an essent laudabilia, aliquod primum aliquando fuit; *Tum quia* possunt existere tot circumstantiæ, quæ compellant modo ad istud factum approbandum quoque, & hæ aliàs non extiterint: *Tum quia* sic multa, quæ in Ecclesiam quoq; inducta sunt, ac inducuntur in dies, vituperanda forent &c. *Experientia* patere potest, cum quis ex animi passione aliqua aliquid statuit non concedere, aut permittere &c. speciem nouitatis, prauiq; exempli ex hac nouitate inducendi obtendere; horum autem nullam habere rationem, cum ea, quæ sibi placent, aut in suum vergunt commodum, ad praxim vult primò reuocare: *Quare* Theologus Moralis in hisce consultus Casibus omnes circunstantias sedulò attendat, ac æqua lance de omnibus iudicet, non respiciens in facies hominum, sed id quod coram Deo iustum, æquumq; videtur, in medium proferens. *Animaduertat* verò inter cætera; non rarò leuissimam esse rationem, quæ de *Prauo exemplo* affertur: *Tum quia* hoc sæpè in alijs, quæ arrident, non attenditur; *Nec attendendum* foret, dum *scandalum Pharisaicum* foret: *Tum quia* eędem planè circumstantiæ, quę in hoc primo casu apparent, omnes simul forsan nunquam in posterum, vel rarissimè in posterum occurrent; ideoque erit locus facilè negandi alijs talem dispensationem, tale priuilegium &c. *Tum quia* nulla res est tam bona, qua quis improbus male vti non possit: *Tum quia* persępè fingi potest, vel exaggerari ratio ista mali exempli: *Tum quia* potest esse exempli magis praui, si quid fiat non concessa v.g. dispensatione, non concesso tali priuilegio &c. *Tum quia* maxima incommoda importari queunt, si id non concedatur &c. præponderantia malo exemplo in alijs per accidens &c. 35. *Diligentissime* distinguat inter opinionem *Certam*, & *Euidentem*: Inter *Tutam*, & *Probabilem*, Inter *Probabilem*, *Probabiliorem*, *minusque* ac *vix Probabilem*: Inter *Probabilem speculatiuè*, & *Probabilem Praticè*; Inter *Probabilem in foro Interno*, & *Probabilem in foro Externo*: Inter *Scandalosam Actiuè*, & *Scandalosam Passiuè*: inter *Impiam Positiuè*, & *Impiam negatiuè*; Siue *Non Piam*, aut *minùs Piam*; inter *Dubiam Negatiuè*, & *Dubiam Positiuè*: Inter *opinionem fundatam* in *Præsumptione*, ac *fundatam in Veritate &c.* Potissimè verò perpendat, quænam sit re vera opinio *Probabilis* dicenda; & *An quis* illam teneatur interdum sequi, relicta nedum Tuta, vel Tutiori, verum etiam Probabiliori. Sine horum, similiumq; notitia nunquam satis proficiet in huiusmodi studio; nec Auctores exactè intelliget, nec de aliorum opinionibus congruum ferre potesit

rit iudiciũ, vel ſanum alijs præbere conſilium. 36. *Nõ Facilè adhibeat fidem ijs*, qui dicunt aliquam opinionem eſſe *Communem*, *Communiorem*, *Singularem*, *Nouam*, *Impiam*, *ſcandaloſam &c.* Haud illa opinio dicenda eſt verè Communis à Theologo ſapienti, quæ plures habet ſibi fauentes: Haud numerum faciunt meri reſcriptores, & qui proprio nõ ſcribunt iudicio. *Erit Communis*, quã ſeptem, vel octo Auctores perpenſis vtrinq; rationibus amplectuntur, & non quam etiam Centum ſcriptores amplectantur, quorum vnus vel alter ſolummodo ſententiam examinarit; Eritq; *Communior*, pro qua plures huiuſmodi Auctores ſtabunt. Ab ingenijs *Liberis*, non *ſeruilibus* petendus videtur ſenſus circa Opinionem *Communem*, vel *Communiorem*. Vt aliqua Opinio dicatur meritò, nec temerè *Singularis*, oportet vt vel a nullo alio Auctore, vel Scriptore, vel Theologo vllibi aſſerta fuerit; Hocne Theologus perſpectum habebit? maximè cum rarò habeat notitiam librorum, qui in remotis Prouincijs, & cum laude multa eduntur quandoque. *Nouane* erit Opinio, quæ vel antiquis, vel celeberrimorum Theologorum effatis innixa erit? An non huiuſmodi *nouitas* potiùs laudanda, cum nouæ in dies circumſtantiæ actionum quarumdam apparient, in quibus à Scriptoribus non eſt adhuc examinatum quid pręſtandum ſit, quid laudabile, quid vituperabile, cenſendum &c. *Impiane* erit, quæ vel probabilis eſt; vel non quibuſdam pietatis argumentis, quaſi alia non ſint, & forſan certiora, fulcitur? *Scandaloſane*, quę Ius naturale tuetur; vel importat ſcandalum paſſiuum, & apud imperitos, ſiue apud eos, qui ex pertinacia in proprijs ſenſibus animaduertere nolunt, vel nequeunt ex ingenij imbecillitate, vel inſania quadam partiali, illius rationes, quæ à pręclaris probantur Theologis, aſſequi? *Theologus quidem Moralis* non minùs certè, quam *Scholaſticus* à Cenſuris Opinionum abſtineat: *Memineritq*; ſi ea quæ ab Iuſtitiam pertinent, vt par fuerit, habuerit perſpecta; & ex *genio alijs* detrahendi, vel *ex inuidia, odioq*; in Theologos Morales, quos pluris ęſtimari ſemet, aut poſse meritò maiorem ſibi auctoritatem vindicare nouerit, niſi aliqua aſpergantur nota; *vel etiam non perpenſis ritè rationibus*, cenſuram protulerit; teneri retractare illam, & curare vt reſarciantur damna, quæ inde Auctor talis ſententiæ paſſus fuiſſet. 37 *Inter Scriptores rerum Moralium* eos maiori in pretio habeat; Qui *veram Scholaſticam Theologiam docuerint*, vel *apti re vera fuerint ad illam cum laude docendam*, cum hi ſoleant exactiores eſſe in examinandis quæſtionibus, & in ſua Principia reſoluendis: *Qui peritiores fuerint in Sacris Canonibus, Legibuſq; Ciuilibus*; cum plurima ſine exacta illorum intelligẽtia enodari nequeant: *Qui plurium ſpatio annorum tradiderint Theologiam Moralem*; vel habuerint munus *Reſponſoris ad Caſus Conſcientiæ, quorum ſolutio in dies peti-*

tur, & maximè *si in aliqua Ciuitate celebri*; praxis enim valdè conducit, diuturnumque in materia Morali studium: *Qui liberè & non ex metu, vel adulatione, vel aliqua extrinseca causa, siue ad se, siue ad alios spectante* (quod facilè animaduerti potest ex eorum opinionibus) *scripserint*: Nam hi luminis naturalis dictamen sequuntur; ideoq; minori in pretio haberi possunt opiniones nonnullorum in quibusdam Ciuitatibus scribentium seruitio quorumdam addictorum: *Qui animas in Confessione*, vel *in foro Interno tractarunt*; hi enim experti sunt re ipsa, quã difficiles in praxi sint nonnullę Opiniones, quę in cubiculo speculantibus probabiliores, vel facilè executioni mandandæ fuerunt visæ. *Qui Principia ponunt quædam vniuersalia benè stabilita, & ex his conclusiones deducunt*; nam hi verè scientifici sunt. *Eos* minori in pretio habeat, *Quorum studium peculiariter videtur positum in euoluendis aliorum libris*, & ex ijs transcribendo; quamuis hi multis afficerentur laudibus à nonnullis, vel quia ab ijsdem consultò laudati fuissent iam, vel quia forent adulatores horum, vel alias ob causas extrinsecas: *Qui afferunt conclusiones morales, & non probant &c.* Non negatur tamen, quin aliquis liber, in quo reponantur sola placita talis Theologi Moralis sine vlla prorsus probatione, pluris æstimari possit, imò & debeat, quam alij libri, in quo reponantur etiam probationes, si sciretur talem Auctorem fuisse virum versatissimum in vtraq; Theologia, & plurimorũ spatio annorum in illo scribendo laborasse, solumq; propter breuitatem taliter illum scripsisse: Oportet autem vt id constet. *Si qui etiam illustres Viri de peculiari aliqua materia Morali scripserunt*, & in ea videntur industriæ suæ neruos collocasse; isti cæteris in illa materia per se præponendi. 38. *Perlegat* celebriores Theologos Morales, tum antiquiores, tum recentiores; & inter Summas primo loco perlegat cõfectam a S. Raymundo, qui fuit tertius Ordinis Prædicatorum Magister Generalis (cui muneri post biennium, hoc est anno 1240. sponte cessit) excellentissimusq; Iuris Canonici Doctor; fertur enim hæc fuisse prima Summa, quæ edita fuit; sensum quidem existentium tunc Theologorũ circa multa ad Sacramentum Confessionis spectantia inter cætera intelliget. *Eo autem honore* prosequatur antiquiores, vt debito non priuet recentiores, & e contra. Et per se quidem in illis, quæ ex *Scriptura, Traditione*, ac *Patribus*, & quæ ex *Lumine Naturali* habentur, vel colliguntur, *antiquiorum sententiæ potiùs adhæreat*: In ijs verò, quæ *Iuri positiuo*, siue Consuetudini, vel legi alicui innituntur, *recentioribus per se adhæreat potiùs*. *Animaduertat* verò, Aliquas opiniones Morales, quę vno sæculo, vel pluribus sæculis iudicatę fuerunt Improbabiles, redditæ postea Probabiles & e contra. *Illam sequatur* sententiam, quæ *solidiori ratione* fulcitur, & in qua magis elucescit *Iustitia*, *Æquitas*, &

& Charitas, siue illa sit Antiquioris, siue Recentioris. Aliqui sunt nimis propensi in antiquiores, alij in recentiores. *Moderandus hic enimuero affectus* iuxta rectæ rationis dictamen. Quamplurima, eaq; præclarissima hauserunt ex antiquioribus Moralium quæstionum scriptoribus recentiores, vt legenti vtrosq; patebit; adeoq; propter illa, vt sic, haud multi aliqui recentiores estimandi; essetq; vtile hæc animaduertere in recentiorum libris, vt debitus honor antiquioribus tribueretur. Nonnulla quidem hi accuratius perpenderunt, & examinarunt quam illi; questiones agitarunt incognitas illis; compluraq; addiderunt digniora materijs nonnullis, in quibus versati sunt quoq; antiquiores &c. & propter hæc maximo habendi in pretio recentiores. 39. *Intelligat, vnanimem consensum* Theologorum Moralium vt sic nullam reddere Opinionem indubitatam; nec esse temerarium, qui cum probabili aliqua ratione à cæterorum etiam celeberrimorum sententia concordi recederet. Caueat verò ne paralogizet; ideoq; par erit, vt cum viro aliquo satis perito sententiam, quam contra cæteros omnes Morales Theologos tueri quis statuit, prius conferat, illiusq; sincerum iudicium exquirat, antequam illam publicet. *Potest autem quis quandoq; opinionem* suam singularem contra alios omnes sentientem & publicare, imò & complecti, maximè in foro Interiori, dum probabilis fuerit. 40. *In aliquibus Moralibus quæstionibus* sensum etiam rusticorum, ac idiotarum Theologus Moralis inquirat; lumen enim horum naturale nullis alijs obrutum speciebus in tranquillo, quietoq; statu degens veritatem, siue aliquem veritatis splendorem poterit magis manifestare, quam peritorum intellectus. *Inter Peritos autem* non tantùm numeret illos, qui de Materijs Moralibus, vel scripserunt, vel lectiones in publicis etiam Academijs habuerunt, habentque, vel etiam libros ediderunt; verum etiam illos, qui priuato studio dediti sunt, si iam Theologiæ Principia habentes perspecta sint maximè in consilijs præbendis exercitati, & in animarum salute procuranda solliciti. Horum quidem consilium quandoque cõsultius est exquirere, & amplecti, quam aliquorum Scriptorum, Lectorumq; Multoque magis, quam plurimorum, qui laurea insigniti sunt in Philosophia, Theologia, ac Iure vtroque; non solùm quia aliquas Ciuitates, vel Prouincias consuetudo tenere potest, ne Viri nobilissimi, licet Doctissimi, talibus decorari velint gradibus, & apud Religiosos quosdam Ordines mos iam viget, ne huiusmodi gradus suis Religiosis, licet excellant in scientijs, conferantur; verum etiam quia experientia patet, talibus cohonestari gradibus sæpe viros parum aptos, & quis vix tueri nouerint vnam, aut alteram conclusionem Philosophicam, Theologicam &c. præterquam Theologiæ Morali vt sic huiusmodi laurea non videtur statuta. 41. *Auctorum*,

rum, maximè celebrium, singulas voces, particulasq; diligenter obser-
uet; neque enim sine ratione, & aliquando grauissima, illas apposue-
runt, latentq; sub illis quandoque etiam occulti consultò illorum
sensus. Illorum autem sensum nominatim hauriat ex libris postremo
loco editis (nisi sint posthumi, vel correcti ab alijs, vel ab ipsimet
quoque non voluntariè) nam aliquando retractant suas opiniones,
vel magis eas explicant &c. 42. *Ne putet ex eo, quod nonnullæ Opiniones,*
quæ ad Mores spectant, altas iam radices fixerint in mentibus mul-
torum, inter quos sint etiam viri, qui in doctrina celebres habentur,
illas esse cæteris probabiliores; *Tum quia* aliqui existimantur præcel-
lere in scientijs, ac nominatim Theologia, & nihilominus sunt parum
versati in Sacra Scriptura, Traditionibus Diuinis, Concilijs, Sacris
Canonibus, S. Patrum auctoritatibus &c. Apud multos præualuit
iam sensus de tribuendis primis partibus in Theologia etiam illis, qui
solùm quasdam subtilitates excogitant, proponunt, exponunt &c.
Et Vtinam illæ nunquam tribuantur Sophistis. *Tum quia* aliquæ
Opiniones possunt maiorem probabilitatis speciem præferre, quam
aliæ, quæ re ipsa sunt probabiliores, talesq; etiam censentur à viris,
qui sine passione iudicium ferunt. *Tum quia* aliqui etiam docti viri
ex priuatis causis non sincerè interdum, ac integrè sensus suos pro-
ferunt, eorumq; intellectus à passionum nube occæcatur, ne veritatis
solem intueri queant. *Tum quia* fieri posset, vt aliqui permittere
nollent, vt suorum prædecessorum res gestę, aut Opiniones, quę suę
Potestati, vel Auctoritati suffragarentur, vllatenus oppugnarentur,
aut in dubium reuocarentur: adeoq; solliciti forent, ne libri, qui quo-
rumq; modo suæ Potestati derogarent, in publicum prodirent; si
autem prodirent, vel omnino supprimerentur, asportatis etiam ex
nobilibus Bibliothecis, in quibus illi asseruarentur, vel iterum non
imprimi possent (quod tamen non facilè obtinerent, cum in vniuer-
so orbe Christiano haud deessent Viri, qui ad publicum bonum ex-
pedire quam maximè censerent, vt libri quidam sincerè res gestas
narrantes publicas, Opinionesq; non rectæ fidei aduersantes, sed
opiniones saltem probabiles continentes in tenebris non iacerent,
adeoq; causa illorum, qui id tentarent, minùs fauorabilis euaderet
apud prudentes) non nisi resecatis illis, quæ minùs suæ fauerent Po-
testati: ex quo fieret, vt celebres, ac frequentiores antiquioribus sę-
culis opiniones e memoria hominum etiam in studia incumbentiū,
ac præcipuum reponerent studium in euoluendis recentiorum libris,
abirent, vel tanquam obsoletæ postea vilescerent. 43. *Ne sit ex il-
lorum numero,* qui nouum Ius e cęlo delapsum viderentur inducere,
ita vt Christianis, Catholicisque suaderent licere id, quod Apostolis,
& Martiribus non licuit, censerentq; approbanda esse modo iura
nonnulla,

365

nonnulla, tanquam Diuina in *Fide* iam *propagata*, quę in *nascente*, & *adulta* nullatenus probabantur, sed potius opposita. Nusquam Christianus aliud est. *Vnum Euangelium*, & *idem Iesus.* Omnia enimuero Noui Testamenti *Præcepta*, atque *Consilia* eludi possent, si diceretur consequenter ad huiusmodi magistrorum, qui suborirentur, dicta, solummodo illa in primitiua Ecclesia, siue primis Ecclesiæ sæculis vim obtinuisse, in posterioribus autem minimè. Quæ ad Fidem pertinuisse antiquissimis temporibus Ecclesia censuit, vel expresse, vel tacitè, immutabilia penitus sunt: imò Opiniones, quæ Sanctissimorum Virorum, qui in primis vixerunt sæculis, doctrinę, ac moribus magis conformes sunt, vltrò etiam potius amplectendæ, eòq; magis, si minùs illis conformes Religioni Christianæ, & Catholicæ non leue pręiudicium inferant. *Multò magis* caueat Theologus, ne dum amplectitur, fouetq; suis argumentationibus Opiniones nonnullas, quarum etiam praxis videtur fuisse in antiquioribus Ecclesiæ temporibus, & essent in aliquorum commodum temporale &c. nolit amplecti, imò enitatur oppugnare illas, quæ minùs in alijs eorumdem fauerent commodis, licet hæ praxi etiam ipsa fuerint commendatæ. Hæc pręstans minùs sincerum exhiberet animum; nec irrationabilis quandoque suspicio suboriri posset, quod minùs vera foret opinio, quam amplecteretur, vel ambæ possent etiam modò executioni absque vlla nota coram Deo mandari: Aliquę quidem disparitates semper excogitari possent, quæ tamē possunt esse apparentes, vel non satis idoneę, ac sufficientes &c. Est verum quidem, quod aliquæ fuerunt antiquioribus temporibus praxes, & valde laudabiles suppositis alijs praxibus: quare si non seruentur, vel seruari nequeant praxes istæ, ex eo quod illę fuerint vsitatæ illis temporibus, haud ex hoc præcisè arguere licet illarum laudabilitatem nostris temporibus. *Si autem dicantur aliquæ tantùm permissæ*, & aliquando *ad vitandum maius malum, ex necessitate &c.* indaget Theologus sincerè coram Deo, an idem etiam rationabiliter dici queat de alijs, quas in suum, suorumue fauorem nonnulli afferrent. 44. *Ne prudens Theologus* vnquam *adhæreat vocibus dictitantium plenisque buccis prædicantium*, vbi nonnullos, qui suas, vel eas, in quas propensi sunt ex priuato affectu, Opiniones, ac praxes non amplecterentur, aliqua viderent, vel audirent affectos calamitate, aut in morbum incidisse grauem, aut vitam cum morte commutasse, id accidisse eò quod discrepantes à se approbatis Opiniones, ac praxes sint secuti, sibi minus fuerint beneuoli &c. Et homines quidem *sagaces, cupidique alios, & maximè potentiores*, & qui *in ipsos multa conferre queunt beneficia, suo regere nutu*, vel *etiam horum adulatores*; facilius hæc euulgare queunt. *Nonne potuerunt* isti alijs ex causis, siue criminibus, & quandoque

occultis, pœnas in hac vita exigente Deo, in huiusmodi infortunia
labi ? *Est'ne crimen*, probabiles, vel probabiliores, quas alij prudentes,
docti, pijq; Viri existimarunt, Opiniones amplecti ? *Est ne solum veri-*
tas, in Moralibus presertim, *penes aliquos* ? Ostendant hi sibi pecu-
liare hoc Priuilegium à Deo collatum; secus haud ipsis habebitur fi-
des. Annon in calamitates, & grauissimas inciderunt etiam quan-
doque illi, qui talia euulgātium consilia, doctrinamq; sunt amplexi?
Qui magis quoq; Deo grati sunt, siue ad eluenda quædam, Crimina
etiam leuissima (quorum nullus est expers) siue ad maius meritum
iubente Deo, nedum permittente, nonne multipliciter in hac vita
vexantur? *Mos fuit Gentilium*, nominatimq; Sacerdotum, infortu-
nia, quæ sibi accidebant, Christianæ Religioni, prospera verò suæ in
Deos pietati tribuere, idq; populo publicare ad illius odium contra
Christianos excitandum, Deorumq; Venerationem promouendam.
Vtinam Christiani, *Catholicique Theologi*, maximè *Sacerdotes*, ac *Regu-*
lares ad plurimorum minùs sapientum, peritorumq; & quandoque
Spiritualium siue re ipsa, siue nomine tenus, inuidiam, siue odium
excitandum contra nonnullos sibi parum propitios, aut in doctrina
discordes, *Nunquam* sint buccinatores, multos multis iusto Dei iudi-
cio affectos fuisse incommodis, eo quod ipsorum non prosecuti fue-
rint sensus; libros v.g. quos ipsi contra eos scripserunt, Causam
extitisse morborum, vel mortis, quæ ex naturalibus causis prodijs-
set, ignorarentq; illi libros huiusmodi scriptos fuisse, multoque minùs
eos perlegissent; atq; his similia nunquam prædicent. *Essentne hæc*
Christianæ Charitatis argumenta? Istane *Doctrina* à Theologia Morali
de Caritate agente hauritur? E *Tractatu* de Iustitia, qui peculiariter
ad Theologum Moralem spectat, istęne eruuntur conclusiones, &
non potius, quæ in his, similibusq; casibus ad Famę, Honorisque Re-
stiutionem obligent? *Scientia* quidem multos *inflare* posset, & adeo
vehementer, vt suis consilijs omnium regere Conscientias, cunctis
dominari vellent; adeoq; omnes ingenij vires exererent, vt quod-
cumq; hominum genus, ac præcipuè Magnatum ipsos in consilium
adhiberet, omniaq; prospera, quę illis euenirent, e talibus consilijs
prodijsse conarentur euincere, & omnia aduersa, quæ acciderent
alijs, adscriberent non petito ab ipsis consilio, vel non adhęsioni ip-
sorum sensibus, ac Opinionibus. *Id enimurrò* esset eniti, omnem ho-
minum conditionem sibi obsequentem reddere. 45. *Non suscipiat* ali-
quorum praxes, siue facta, verè minus æqua, vel iustitiæ dissona,
calamo, aut lingua propugnanda quocumq; præmio, vel quacumq;
pœna afficiendus, si id præstiterit, vel non præstiterit; multoq; mi-
nùs ad id promptum semet exhibeat ad aliquorum voluntates sibi
deuinciendas; id enim præterquam abiecti, impij, iniustique animi
argu-

argumentum erit, Sophistæ Theologo Morali nomen indet; nihil enim ferme tam impium, ac iniustum, quod per captiosas ratiunculas pium, ac iustum apparere non possit. Sicuti Opinio nulla in Philosophia naturali est tam absona, quæ aliquem e Philosophis etiam non infimę notæ patronum non habuerit; ita nulla opinio potest esse adeò Moralis Philosophię Principijs dissona, quæ non possit habere aliquem e Theologis, qui in Morali habeantur periti, propugnatorem, & ab eo non possit reddi apparenter probabilis. *Cauendum*, ne dum varij prætextus laudabiles ad excusandas aliquas actiones excogitantur *lateat anguis sub herba*; vel saltem grauissima incommoda, ex huiusmodi praxibus, factisq; in exemplum deductis orta pręponderent reuera commodis, quæ afferuntur, vel excogitantur. Iudicium hìc sapientum, ac experientia maximè attendenda. Vtinam nunquam voluntas cogat intellectum ad inuenienda motiua pro excusandis nonnullis, quę minùs honesta, & peccaminosa cognoscit; posteaque intellectus illis captiosis argumentationibus deceptus *malum* sentiat esse *bonum &c.* 46. *Quænam* sint *Intrinsece Mala*, ita vt nunquam prorsus liceant, & à Deo indispensabilia sint, ac *semper probibita*, quia *semper mala*, exactè teneat: Nam reliqua omnia, & non tantùm merè positiua, & *quæ mala solum*, quia *probibita*, adueniente aliqua circunstantia reddi licita poterunt, imò & poterit quis quandoq; teneri tales exercere actiones. *Non facilè* tamen illa multiplicet, Deoq; potestatem dispensandi deneget. *Animaduertat* quidem, *ne dum* aliquam actionem negat esse malam intrinsecè, idem deducatur ad aliam contra communem plane Doctorum sensum, si maximè eadem, vel maior appareat ratio; & *ne dum Sacræ literæ* aliqua expressè recensent inter peccata à Regno Cęlorum excludentia, inter quæ sit aliquod intrinsecè malum, cætera ibi enumerata putet esse talia. Ac licet verissimum censeri posset, posse Deum, qui summũ ius habet in Creaturas, prohibere quædam in omnibus circumstantijs, quæ ex genere suo viderentur esse leuia, ac indifferentia ad bonum, & malum propter altissimos, nobisq; incognitos fines, sed nominatim ad obsequium in hoc à rationalibus creaturis habendum, inter quę numerari potest esus pomi Adamo Vetitus, ex cuius Diuini pręcepti violatione omnes ærumnę, & calamitates in humanum genus deriuarunt; *An dentur* tamen modò huiusmodi *Diuina Iura* merè *positiua* in omnibus obligantia circumstantijs, ipsemet sollicitè examinet. *Quandonam verò* Iurium Positiuorum, etiam Diuinorum, quæ constat *non pro semper* obligare, cesset obligatio, ac præsertim dum aliquod Ius Naturale videretur esse violandum, *sapientis, prudentisq;* Theologi Moralis erit discutere, ac secernere. 47. *Eorum, quæ pertinent* ad Ecclesiasticas Censuras, ac præsertim

M 2 excom-

Excommunicationem, accuratam cognitionem acquirat; Atque, dum probabilius etiam videretur excommunicatio Iniuſta, ſuadere debet omnibus, vt tunc etiam debitam Eccleſiæ venerationem exhibeant, nunquam Eccleſiaſticos Pręſules contemnendo: timoremq; huius ſpiritualis gladij, qui per ſe eſt Eccleſiaſticæ Poteſtatis, incutere ingentem omnibus, qui Chriſtianam, Catholicamq; fidem profitentur; & non ingenij neruos intendere omnes, vt haud illo percuſſos exiſtiment ſe ij, quibus ille intentatus legitimè. Hortetur quidem eos, in quorum poteſtate eſt hic ſpiritualis gladius; ne *facilè, frequenter*, & non niſi ob *cauſas grauiſſimi ponderis*, cum hic ad mortem æternam feriat, & maximè dum rationabilis ſuſpicio foret non loco medicinæ futurum, ſed potius animi morbos magis graues inde reddendos, hunc exerant gladium: Qui quidem metum maiorem incutiet, ſi conſtet ad ſpiritualem tantummodo animarum ſalutem euaginatum fuiſse. 48. *Ne ſit facilis* in damnandis aliorum, maximè peritorum in Materia Morali, Opinionibus, tanquam Improbabilibus; facilè enim errabit: Imò licet ipſe vni ſententiæ adhæreat propter rationes, quas ſibi ſuadet euidentes, cum putare tamen poſſit, & plerumq; debeat, haud eſſe tales; aliorum tamen opiniones, vt pareſt, aſferat, quas propter extrinſecum locum ſaltem proponere poteſt tanquam probabiles, vt illas poſſit ſequi, qui ab ipſo conſilium petit, ſi illas ſibi magis opportunas exiſtimauerit. Senſus aliorum ſapientum, in materijs maximè Moralibus, plurimi æſtimandus. 49. *Attendat* Moralis Theologus, ne ſuis faueat opinionibus illis, qui dictitant, *Nihil eſt laxius conſcientia Theologorum*, ita vt in Prouerbium abierit, *Conſcientia Theologorum*; quamuis enim hęc aliquando proferantur ab *imperitis*, vel *ingenij cuiuſdam immitis*, & qui vellent quaſi animas ad infernum detrudere, ac non rarò ab ijs, qui *certis addicti* ſunt ſententijs, quiq; exiſtimant cæteras omnes eſse improbabiles &c. Negari tamen non poteſt, quin aliqui Theologi nimis habenas nonnullorum conſcientijs laxare queant: Quod accidere poteſt: *Vel quia* licet Theologi nomine decorentur, Theologiam tamen à primo ſimine vix ſalutarunt; ideoq; ad Theologicum lancem ſibi propoſitas quæſtiones examinare ignorant, neſciuntque diſtinguere inter opinionem Probabilem, ac Improbabilem; *Vel quia* ſunt puri Theologi Scholaſtici in Materijs Moralibus, in iuribus quibuſdam poſitiuis, ac tractandis hominum conſcientijs haud verſati &c. *Vel quia* licet Moralis Theologiæ ſint verè periti, ſunt tamē adulatores, & ad aliorum genium propter priuatas cauſas loqui volunt, quibus nec deſunt cauilli ad hoſce ſenſus tuendos: *Vel quia* alijs occupati negotijs quęſtionem ſibi propoſitam non examinant pro merito, nec circumſtantias omnes attendunt; *Vel quia* ſunt parum prudentes; licet

enim

enim vtilissimum sit, opiniones qualcumq; probabiles notas habere, ex illis tamen plurimas publicare potest esse valde noxium, cum non solùm possint non exponi cum illis conditionibus, quas requirunt earum sectatores ad probabilitatem ; Verum etiam homines parum cauti corticem earum tantummodo, & non circumstantias, cum quibus proponuntur, attendere queant : Qua de causa etiam quasdam opiniones, licet per se valde probabiles, imò alijs probabiliores, populo publicare non expedit. ***Fatendum quidem***, non omnia, in quibus quandoque Magnates peccare queunt, eorum Theologis tribuenda esse : ***Tum quia*** aliqui possunt ab illis nomine Theologi decorari ad speciem quamdam, & tamen haud postea in consilium adhiberi : ***Tum quia***, licet in consilium adhibeantur, possunt tamen non omnes circumstantiæ illis manifestari : ***Tum quia*** possunt illi sanum præbere consilium, ac Magnates illud detrectare : ***Tum quia*** multæ actiones Magnatum, tanquam minus æquæ à vulgo existimantur, habentq; interdum valde apparentem minoris iustitiæ speciem, quę reuera laudabiles sunt, & quarum circumstantiæ cuiq; vel leuiter prudenti si possent manifestari (non expedit autem sæpenumero publica manifestatio illarum, imò illæ sub omni secreto sunt non raro custodiendæ à Magnatæ ipso) censeret iste proculdubio illas omninò exercendas. ***Peccare*** quidem possent, & grauissimè Magnates, qui in rebus ad conscientiam nominatim spectantibus, magnique ponderis, & in quibus ipsi non solent esse, aut non sunt versati, Consilium Theologorum verè peritorum, vel alicuius saltem Theologi omni exceptione maioris in scientia, prudentia, ac pietate, non exquireret, illiq; adhereret &c. ***Nec coram Deo***, ***Hominibusque*** etiam excusari possent, qui notę Theologos infimę, vel quos nouissent esse adulatores, ac facilè se aliorum genio accommodare &c. apud se baberent, eosque in consilium adhiberent : ***eòque Magnates forent reprehensibiliores*** ; si maioris literaturæ, ac sinceræ probitatis Theologos apud se alere nollent, eò quod largius stipendium tribuendum illis foret ; aut ostenderent, sibi gratum non esse, vt Theologi liberè sensum suum proferrent &c. 50. ***Animarum salutis*** Theologus Moralis sit cupidissimus. ***Recordetur*** ; Tum à ***Deo Rationales Animas*** creatas fuisse, & in dies, horasque creari, vt cælestis regni possessionem adeant : Tum ***æternam Animarum salutem Christi*** sanguine, ac Morte redemptam fuisse ; ideoq; aditum ad Cęlum animabus esse potiùs recludendum, quam occludendum. Cum Hæretici omnes, Iudæi, ac Gentiles (demptis ad summum infantibus, qui sine Baptismo moriuntur) ęternis addicti dicantur supplicijs; & numerus Catholicorum sit valde exiguus, & adhuc minor, quam exterius innotescat, iudicetur ab ijs, qui publicarum sunt conscij rerum,

&ma-

& maximè, si de fide forent Opiniones nonnullę, quę vt tales à multis asseruntur, ac publicantur; Cur huic *pusillo* Catholicorum *Gregi* cælestia pascua rigidis quibusdam Opinionibus, veluti baculo, ac ferro, intercludenda? Catholicorum animæ sunt *Oues*, *Agni*, & *Ouiculæ* Christi; an non molliter tractandæ? Cur hę ad rupes compellantur, e quibus præcipites ruant, dum in rectam dirigi Viam præeunte Ratione queunt? *Si Deus* voluit *mandatum suum eße latum nimis*; cur coarctet illud Theologus? Si Christus Euangelicæ doctrinæ *iugum suaue*, *onusque* illus *leue* statuit; cur à Theologo insuaue, & graue reddendum? Rerum omnium conditor Deus *figmentum nostrum cognoscens, non patitur nos tentari supra* id, quod possumus; cur Theologus, qui ex eodem luto, ex quo cæteri, compactus est, humanæ non compatiens fragilitati, si aliquas Opiniones ad Rationis Trutinam rite examinatas, illi magis accommodas esse nouerit, non eas amplectatur? Theologusne, qui facile præceptorum, & sub mortali, obligationem inducit, studiosus erit doctrinæ Apostolorum, ac illorum, qui primo interfuerunt Apostolico Concilio, qui & voce & factis quorumdam onera præceptorum, vt *Euangelica* lex longe à *Scripta* foret remota, haud esse Christianorum humeris imponenda ostenderunt? Haud equidem sunt *habenæ laxandæ*, ita vt liceat violatio Decalogi Prę ceptorum, aliorumque Iurium certò Naturalium, ac Diuinorum, ac legum, quæ Iuri naturali, Diuino, ac Gentium legitimè innituntur, ex quibus Christianæ Reipublicæ Pax, Tranquillitasque existit &c. Verum præter certa iam peccata, & quæ in confesso sunt apud omnes Theologos, alia pro quorumdam more multiplicare; nonne est animas apertis æternæ salutis amittendæ periculis obijcere, cum tamen *vnicuique Deus mandauerit de proximo suo*, & quicumque teneatur *cooperari Deo* in salutem animarum? Certè id a Caritate, & Christiana maximè, non potest non esse alienum. Præterea à peccato grauissimo scandali quoque haud poterit esse immunis Theologus, qui peccatum mortale asserit esse, quod nec sufficienti auctoritate, nec euidenti ratione ostenditur: Nam hoc esset *laqueum ponere pedibus ambulantium*, ac præcipuè, dum ambigua foret inter celebres Theologos controuersia. Si talis actus sibi mortaliter peccaminosus videatur, proferat quod sentit; aliorum tamen sententiam indicet: Nec ex priuato aliquo affectu iudicet esse mortale in hoc homine, in alio verò minimè; De Minori quidem sinceritate Theologi quis non immerito suspicari posset, dum in quibusdam materijs quæ ad suum, vel aliorum, in quos propensus est, vel quibus ex priuatis causis vult fauere, commodum spectant, licet grauissimi ponderis, plurimas actiones

à p. m. excusaret, in alijs verò passim humanas Actiones, à nonnullis præsertim exercitas, p. m. accusaret. Non sit *acceptator personarum* Theologus: Pro viribus *omnia omnibus fiat, vt omnes Christo lucrifaciat*. Sit *adiutor* Deo, *ministerque* Dei in salutem animarum. Vnà cum *Patre* animas ad Christum *trahat* Cordis Vinculo. Vt omnes, ac nominatim Catholici, vnà cum *Christo* *regnent*, omni opera enitatur.



In Vniuerso Christiano Orbe
Celeberrimis
PATAVINÆ ACADEMIÆ
PROFESSORIBVS
Qui Tum liberalibus Disciplinis,
Tum Ingenuis Moribus;
Voce, Scriptis, Libris,
Ac Vitæ Exemplo
Nobilissimos, atque Ingeniosissimos
IVVENES
Cum maximo totius Christianæ Reipublicæ
Emolumento
Informant:
Animaduersiones Quinquaginta
PRO ILLO, QVI IN MORALIS PHILOSOPHIÆ
STVDIVM INCVMBIT
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
E Comitibus Placentinis
Eorum Probitatis, ac Sapientiæ
Cultor
D. D. D.

Caput Quintum.

1 I*Nter Cælites* peculiariter colat S. Patres, ac nominatim, *S. Gregorium magnum*, ac *S. Ambroſium*: Ab illis *complura* ad Honeſtos mores ſpectantia Antiquæ Philoſophiæ Morali addita ſunt; *aliqua* copioſius explicata; *aliqua* firmius ſtabilita &c. 2. *Sciat Philoſophiæ* Moralis præcepta plurima, ac maximi ponderis pertinentia ad regimen, tum vniuſcuiuſq; proprium, tum Familiæ, tum Ciuitatum, ac Populorum tradita fuiſſe à Deo ipſo (quo nullus quidem ſapientior) in *Canonicis* libris, quales ſunt inter cæteros libri *Prouerbiorum*, *Sapientiales*, *Eccleſiaſtes*, & *Eccleſiaſticus*. Hi enimuero Moralem Philoſophiam, eamque Diuinam, & quæ praxi commendata ſatis foret ad tranquillitatem, ſiue felicitatem, tum Propriam, tum Familiarum, tum Ciuitatum conſequendam, continent ex profeſſo. Alia quidem huius Philoſophiæ Documenta habentur in reliquis Veteris Teſtamenti libris, ac nominatim *Hiſtorialibus*, ac in *Euangelio* à Chriſto Domino, qui eſt *Sapientia* Patris, tradita Habentur quoque in Sacris literis exempla multa, ac mirabilia *Virtutum omnium*, quas amplectamur, ac *Vitiorum* quoque *grauiſſimorum*, quæ deuitemus. Hinc meritò quis conſcribere potuit integros quoque Libros de *Politica*, & *Oeconomica* tantummodò agentes, ex illis ſolummodò, quæ in ſacris animaduertit literis. Habeat ergo Philoſophus Moralis penes ſe *Sacros Codices*, eoſque, & maximè conſcriptos ad rectis moribus inſtituendos homines, ſæpius euoluat. *Mirandum* eſſet, quod homo Chriſtianus, & qui Diuinorum huiuſmodi librorum cognitionem habet, illorum omitteret lectionē, vnicumq; poneret ſtudium in verſandis Ethnicorum libris, qui de Moralibus agunt; relictoque *Fonte Sapientiæ* omnis ad Riuulos, qui quandoq; etiam lutoſi ſunt, cōfugeret. Si dictante Deo liber aliquis ad res Phyſicas ſpectās fuiſſet conſcriptus; Quis Chriſtianus, niſi mentis inops, illius libri lectionem omitteret, optimè ſciens Rerum naturalium ſcientiam haud poſſe melius doceri, quam ab illo, qui eas in *numero*, *pondere*, ac *menſura* condidit! At cum Deus ipſe non vno, ſed pluribus etiam libris omnia fermè, quæ ad hominem perfectis moribus informandum, explicauerit; fieri poterit, vt homo mentis compos veluti in derelicto illos habeat. *Si illi*, qui vocantur *Politici*, hoſce euoluerent, & attentè; illorumq; præceptis ſe præberent obſequentes, *Tranquillitas* quam maxima in Chriſtiana Republica vigeret; ac Deus ipſe peculiari etiam concurſu efficeret, vt illa ſemper magis, ac magis propagaretur, videns præcepta à ſe tradita. Moralia Chriſtianas mentes attendere, eaq; executioni mandare &c. *Vtinam* eo nomine etiam iram Dei Chriſtianus Populus contra ſe nunquam excitet, quod Magnates, alijq; Primarum Partium Viri, & quorum eſſent partes præcipuè ſacros euoluere libros, Diuina dimittentes

Effata se totos traderent lectioni nonnullorum ne dum ab Ethinicis, verum etiam ab Atheistis conscriptorum librorum de Politicis rebus agentium; ex quorum doctrina haurirentur non rarò documenta, quæ in perniciem tum propriam, tum familiarum, tum Populorum denique redundarent. 3. *Intelligat*, omnia à quocumq; tradita Philosopho, omnes cuiusq; nationis Mores, omnia quorumcumq; legislatorum præcepta, si sint Diuino reprobata eloquio, tanquam bonis, honestisq; dissona moribus, haud vnquam esse admittenda. Quare huius Philosophiæ studiosus diligenter animaduertat, In *Quibusnam Philosophi Ethnici Morales à Christiana discrepent* Philosophia, eaq; nullatenus admittat, sed potiùs oppugnet; sapientisq; Christiani officio fungetur, si rationes etiam ex ipso naturali lumine petitas excogitet, *tum* ad probanda Diuina huiusmodi effata, *tum* ad oppugnanda illis contraria. 4. *Perpendat*, nullam censeri Philosophiam Moralem à quocumq; insigni Philosopho Ethnico traditam, quæ alicui falsitati non sit de facto exposita, & in qua non legantur nonnulla naturali etiam lumini repugnantia; adeoq; nulli Ethnicorum Philosophorum ita se addicat, tanquam infallibi Moralium Veritatum Assertori, & ita vt existimet, se non posse aliquid rectæ dissonum rationi doceri. 5. *Theologos euoluat* quosdam *Scholasticos*, sed præ his *Morales*, præ omnibus autem his *S. Patres*, qui fuerunt optimi morum Magistri, tum voce, ac libris, tum vitæ exemplo; cum tamen nullus e Philosophis, qui exactissimè etiam Moralia Præcepta tradiderit, fuisse dicatur, qui aliquo, & insigni quoque vitio non fuerit inquinatus, aut saltem de illo non accusetur. A Theologis, & Patribus non maximum accepisse incrementum Moralem Philosophiam parum periti solummodò pernegare queunt. Mutila enim uerò erit hæc Philosophia, si à solis Ethnicis Philosophis desumatur: Imò in multis peccabit Moralis Philosophus, qui haud nota habeat quædam Theologica Principia. 6. *Partes suas* non explebit Moralis, nisi *Sacrarum*, & *Ecclesiasticarum*, *Prophanarum*, & *Sæcularium* Historiarum cognitionem habuerit: Illis tamen, quæ in Diuinis habentur literis, indubitatam tantummodo habeat fidem: Immeritò certus fidei assensus prȩberetur cæteris omnibus etiam Ecclesiasticis, etiam in *Breuiario* repositis; nam harum auctoritas omnium non vltra probabilitatis, vel maioris probabilitatis fines porrigitur. Ex Historijs quidem tum Ecclesiasticis, tum Prophanis aliquæ nullam, aliquæ Maiorem, aliquȩ Minorem exigunt fidem. 7. *Poetarum antiquissimorum* lectioni se tradat; nam in Morali maximè excelluerunt. Ac *sit in Poetarum fabulis* versatus; Nam in his mira Moralis Philosophiæ arcana latent. Ad erudiendos quidem homines faciliùs, informandosq; Virtutibus pleræque fabulæ, ac præsertim celebriores,

res, videntur confictę. 8. *Eloquentiæ* ſtudio ſe maximè tradat. *Priſcis temporibus ijdem Præceptores erant Morum*, ac *Dicendi*. Quam maior fructus reportaretur e præceptis de Virtutibus &c. ſi hæc traderentur ab illis , qui eloquerentur etiam præſtantiſſimè! *Hinc Oratores* præclari antiquiores euoluendi. 9. *Cognitio* etiam Rerum Naturalium aliqua ad hanc Philoſophiæ partem perfectè aſſequendam conducit, ac nominatim , quæ ad *Animam* , & præcipuè *Rationalem*, *eiuſq;* *Potentias* ſpectat. 10. *Cum diuerſum procedendi modum* habeat hæc Philoſophiæ pars à reliquis , non eadem quoque *Certitudo* , vel *Euidentia* requiratur ab illius ſtudioſo in *Moralibus Demonſtrationibus*, quæ exigenda eſt in Mathematicis, ac Phyſicis. 11. *Meminerit* , non rarò fieri poſse , vt qui valde habilis eſt ad Metaphyſicas quaſdam ſubtilitates , ad Phyſicam , vel Mathematicam perfectè diſcendam, vel exactè tradendam , haud ſimilem habeat ad Moralem ingenij opportunitatem, & e contra. Quò minùs tamen quicumq; laudabilem in Morali progreſſum faciat, vix reperiri poterit. Ad docendam quidē illā peculiare ingeniū, ac genium exigitur. 12. *Quamuis abſolutè Morales Veritates* faciliùs percipi videantur , quam Phyſicæ , vel Metaphyſicæ , aut Mathematicæ ; nam lumini naturali videntur proximiores : & cum earum cognitio ad vitam homine , vt par eſt , ducendam ſit neceſsaria (cum cęteroqui Mathematicarum, ac Naturalium ſcientia non ſit ad id opus) Deus Naturæ Auctor ſummè prouidus earum cognitionem per ſe voluit eſse faciliorem; *Ne tamen* exiſtimet in plurimis huius ſcientiæ cognitionibus minus ingenium (nam de iudicio, niſi qui illo deſtitutus eſt, dubitabit) poſtulari, quam in celeberrimis etiam Phyſicis , ac Metaphyſicis quęſtionibus enodandis. *Actus* noſtri intellectus, ac Voluntatis ſunt occultiſſimi; *Tot* humanarum Actionum circumſtantiæ ſunt attendendæ , tum in generali , tum in ſpeciali , ad hoc vt quis rectum iudicium de *Humanarum Actionum*, ac maximè *Indiuidualium* , Laudabilitate , ac Vituperabilitate ferre queat; *Tot* repetitæ reflexiones faciendæ: vt non niſi intellectus valde perſpicax, & ſolers poſt diuturnam conſultationem prudentem ſententiam pronunciare queat. 13. *Norit hanc* Philoſophiæ Partem eſse illam , quæ ſimpliciter Philoſophia ab antiquioribus , ac celebrioribus Philoſophis, ac Patribus, ne dum Oratoribus, ac Poetis dicta fuit , licet iam cum addito nominari ſoleat , Philoſophiæ ſimpliciter nomine relicto Phyſicæ, ac Metaphyſicæ. Philoſophiæ munus illi agnouerunt pręcipuum eſse , *Informare hominum Mores, non Mentes* ; & ad *Felicitatem naturalem* (ne dum ſupernaturalem) quam ſibi propoſitam habet Philoſophia , magis conducere *Vitam probè inſtitutam*, quam *Intellectum ſpeculatiuis tantum cognitionibus exornatum*. Hinc haud mirandum ; non *Solonem* tantummodo , ſed &

ple-

plerosque sapientum ex omni Philosophia *Ethicem*, ac *Politicem* pręcipuè sectari consueuisse; ac inter cęteros apud *Athenienses ex Solonis* successione horum Philosophorum sectam viguisse. Et cęteræ quidem *Humanæ scientiæ* vt sic, in rebus non multi ponderis versantur; subtilia, sed non necessaria ad beatè, ac honestè viuendum tractant; sæpissimè cauillationibus illudunt, & non raro earum studiosos reddunt Sophistas, vel ambitiosos, iactabundos, aliorum contemptores &c. Præparant illæ animum, excitant, exercent, expediuntque ad excipienda virtutis semina; Sunt illę Animi ornamenta: *Hæc* Humana verè Sapientia, in qua animus conquiescit &c. 14. *Attendat*; laudes, quæ cõmuniter à Philosophis, ac Oratoribus præstantissimis tributæ sunt Philosophię, tributas fuisse Morali, non autem Physicæ, vel Metaphysicæ: Imò homines harum studio scientiarum deditos, tãquam otiosos, inertesque habitos, & è ciuitatibus quandoq; (quamuis immerito) expulsos, reiectosq; fuisse; cum tamen *Rerumpublicarum Clauum ab hominibus Morali Philosophia instructissimis regendum esse* in confesso esset apud Sapientes. 15. *Haud mirandum* prudenti huius Philosophiæ studioso foret, quod Christianorum, ac præsertim Adolescētum, Iuuenumq; animi prauissimis inquinarentur moribus; si regnaret in Scholis *Sola Naturalis*, ac *Transnaturalis* Philosophia: *Moralis* autem, vel non traderetur, vel per transennam, vt vulgò dicitur; cum tamen in hac precipuè, ac diuturniori tempore versari deberet Adolescens, ac Iuuenis; maximè cum huius notitia tum illi, tum alijs ingentia commoda afferat; ex aliarum verò Philosophiæ partium notitia, vt sic (præscinditur à Theologia) perexigua oriatur vtilitas tum Discenti, tum Reipublicæ, cuius Discens pars est. Ab illis, qui *Christianos mores reformari cuperent*, in hoc opera quam maximè ponenda foret, vt primæ partes in Scholis, & Academijs Morali Philosophiæ tribuerentur. Vtinam huius studium nunquam possit verè pronunciari Vigere magis apud Hæreticos, quam Catholicos; hinc enim fieret, vt magis moralem, honestamq; vitam Hæretici ducerent, quam Catholici: Quæ nota, si Catholicis objiceretur, esset ab illis re ipsa omni studio propulsanda. 16 *Eas quæstiones*, in quibus intellectus tantummodo versatur circa *Quidditates Virtutum, Vitiorum &c.* Cognoscat esse Metaphysicas potius, quam Morales; huius enim Philosophiæ Cognitiones Primariæ, sicuti & Conclusiones maximè propriæ sunt *Practicæ*: Illæ quidē sicuti & similes aliæ cognitiones purè speculatiuæ Circa *Res Morales* quidē sunt, sed non *Morali modo* versantur: Caueat ergo quicunque, ne tunc se Moralem Philosophum existimet, cum earum notitiam, licet exactissimam, nouerit se assecutum. 17. *Vitet illorum* sensus, atq; disciplinam, qui tunc se scire, vel tradere Philosophiam Moralem putant, cum

cum Quęstiones de *Voluntario*, ac *Inuoluntario*, *Spontaneo*, *Libero*, ac similes, quarum plurimæ potius ad Physicum, vel Theologum spectant, norunt, vel docent: Illæ quidem tradendę, ac ediscendę; Ad alia, quę maioris sunt ponderis, ac magis huius Philosophię propria, progrediendum, ac in illis insudandum. Faxit Deus, ne vllibi in Scholis, in quibus hæc Philosophia tradenda foret, ex labore etiam integri anni impenso hunc dumtaxat intellectus Discentium reportet fructum, quod harum, ac huiusmodi quæstionum, quæ latissimè fuerint examinatæ, compos factus fuerit. 18. *Haud imitetur* illos, qui præcipuam, diuturnamq; collocant operam, *Vel* in quibusdam controuersijs in Vocibus sitis v.g. *An iuxta Aristotelis sensum Ethica nomine Philosophiæ Moralis*, & hæc *Politicæ nomine* cōprehendatur &c. *Vel* in quibusdam leuibus Quæstionibus, vt *Qualis fuerit*, *sitq; inscriptio librorum Moralium*; *Quinam fuerit Nicomachus &c.* Nobilia ingenia in nobilioribus detinenda sunt obiectis. Haud operæ pretium est, imò vituperandum, tempus grauissimis quæstionibus exactè tradendis, ac percipiendis non sufficiens, in hisce, quę nullius ferè momenti sunt, latè impendere. 19. *Non adhæreat* ijs, qui ex occasione alicuius Vocis in Morali Aristotelis, vel alterius Philosophi inuenta per longas ambages digrederentur ad nonnulla, quæ vel Theologi Scholastici, vel Philosophi Naturalis, ac Transnaturalis, vel Mathematici, vel Rhetoricam docentis &c. propria forent. Reperiri possent (si maximè proponerentur quędam ad eruditionem spectantia) & non rarò, libri, qui latè de illis agerent, ex quibus addisci possent ferè ad verbum lectiones, quæ habendæ forent de Morali, & in quibus etiam auditor eos legens facilius eadem percipere posset. 20. *Norit*, à Philosophorum nullo omnia, quę ad Moralem spectant, exactè tradita; ideoq; à pluribus illam esse ediscendam. 21. *Animaduertat*, Moralem Philosophiam, aliam dici *Socraticam*, siue *Platonicam*; aliam *Stoicam*; aliam *Peripateticam*; quarum vnaquęque habet suas peculiares laudes: Verùm haud sufficiens esse videtur quęcumq; singillatim ad reddendum hominem perfectè Moralem Philosophum. His tribus, si addantur illa, quæ Christiana docuit Religio, informatus homo Moralis Philosophi punctum, vt dicitur, ferret; ideoq; his omnibus operā det. 21. *Licet ex ipsis quoq;* Peripateticis nonnullus Primas *Socraticæ*, siuæ *Platonicæ* tribuat, ac nonnullus e S. Patribus *Stoicæ*; cum tamen ab Aristotile traditam, & propter aliarum defectum maximè adeo methodicè dispositarū amplexæ fuerint ab initio Catholicæ Academię, & Scholæ, istumq; morem adhuc prosequantur: in Peripateticam peculiari studio incumbat; sed ita vt identidem, tum Platonicam, tum Stoicam etiam recognoscat. 22. *Notet*, quęnam *Aristoteles* à reliquis Sapientibus, & à

Socra-

Socratis, ſiue *Platonis* Philoſophia nominatim deſumpſerit; in quibus cum illis conſentiat, ac diſſentiat; quæ à Peripateticis Stoici acceperint, vel illis repugnent; & in quibus videatur conſenſus, ac diſſenſus Chriſtianæ Philoſophiæ à reliquis omnibus. 23. *Erit vtiliſſimum*, Indicem habere ex ordine omnium, qui Philoſophiam Moralem tradiderunt: vt ſciatur, quæ quis primò in medium attulerit; quæ quis ab alijs acceperit, illiſue addiderit &c. notato diligenter loco, ac tempore in quo vixerunt, cum eorum aſſeclis &c. 24. *Perpendat accuratè*, an Sæpè in Vocibus ſolum diſcrepent hæ Moralium Philoſophorum Scholæ: eos autem conciliare nitatur quidem; ſed ita vt probabilis ſaltem, & non apparens eorum videatur conciliatio. In illis quidem ad Mores pertinentibus, quæ ſunt viciniora lumini intellectus, minùs poſſe inter ſe diſcrepare videntur, quam in Phyſicis multis &c. Aduertat verò, fieri poſſe, vt harum ſcholarum Principes inter ſe non diſſentiant, ſi eorum pronunciata ritè examinentur, ſectatores verò diſſentiant; talemq; diſſenſum conſultò amplexi fuerint quoque, vel ad aucupandam gloriam, vel ex odio, inuidiaq; in aliam ſectam &c. 25. *Sollicitè inuiſtiget*, an ſenſus ille, quem tribuit v.g. Ariſtoteles ſententiæ Socraticæ, ſiue Platonicæ, fuerit vera ipſius Socratis, vel Platonis; multoq; magis, an ſectatores Ariſtotelis perperam interpretati fuerint Socratem, vel Platonem, eorumq; ſectatores. Quod idem præſtet circa Stoicos, & alios, qui impugnaſſent Peripatetica Moralia placita. 26. *Conferat diligenter loca*, in quibus de eadem re agunt Philoſophorum Moralium Duces, & inter eos celebriores, ſic enim perfectius diſcet ea, quæ ad materias particulares ſpectant; cum in vno habeantur multa, quę non in alijs, præterquam fermè euidentia Moralis eſt eſſe certum id, in quo conueniunt omnes. *Similis* collatio fiat librorum Moralium ab Ethnicis ſcriptorum cum ijs, qui in Moralibus conſcripti ſunt à S. Patribus, alijſq; Catholicis, ac peritis viris; vt v.g. conferri queunt libri tres *de Officijs* conſcripti à *Cicerone* cum libris de officijs à S. *Ambroſio* conſcriptis; *Lælius*, ſiue *de Amicitia* ab eodem *Cicerone* editus cum libello ſimiliter de *Amicitia* edito à S. *Auguſtino*; *Senecæ*, ac *Epicteti* effata cum libris S. *Baſilij de Abdic. Rer. Conſtit. Monac. &c.* Sententias autem Patrum in his Moralibus materijs præferat ſemper ſenſibus Ethnicorum Philoſophorum, cum Superiori lumine fuerit illuſtratus, prodieritq; ab intellectibus paſſionum tenebris minùs occæcatis &c. 27. *Haud ſenſus Ariſtotelis* inueſtigandus ex illis, qui infenſi fuerunt Ariſtoteli; ſicuti neq; ſenſus *Platonis* ab illis, qui fuerũt in illum minùs beneuoli; nec *Stoicorum* ab illis, qui illam ſectam odio proſecuti ſunt. Cum non patere poteſt ex eorum vocibus (quæ iuxta eorum acceptionem ſunt explicandę) ab eorum præcipuis ſectatoribus, ac nominatim

natim Discipulis, qui tamen professi sint sui Preceptoris Doctrinam sequi, ille desumendus. *Non solum autem* legendi sunt celebriores Aristotelis interpretes in Moralibus, verū etiam euoluendæ sedulo quęstiones ad Mores attinentes, quas seorsim præclarissimi Peripatetici, ac nominatim antiquiores, posteris consignarunt. Idemq; pręstet circa *Socratis*, siue *Platonis* Libros de Moribus agentes, ac nobiliores Academicos. 28. *Paradoxorum Stoicorum*, siue *Stoicæ Philosophiæ* Dogmatum notitiam assequatur, quorum pleraq; saltem quam maximè Christianis pronunciatis affinia esse censentur. Si intimam eorum vim, & non extimam tantùm verborum corticem, fuerit quis contemplatus, ac perscrutatus, non nisi Sapientiæ sublimis, ac summæ arcana in illis recondita contemplabitur. Illorum explicatio à celeberrimis Stoicis, eorumq; asseclis petenda, *non* ab aliarum sectatoribus Scholarum; *non* ab ijs qui nudas tantùm voces attenderunt, & non earum intelligentiam, quæ par erat, assecuti sunt. *Stoicam verò Doctrinam*, eiusq; *intelligentiam* assequetur quam maximè e Libris *Epicteti*, ac *Senecæ*. Qui duo Viri adeò pręstantia enimuero Moralis Philosophię pręcepta tradunt, vt nullus enimuero Philosophus Ethnicus illis comparari queat, & quorum pręceptis si homines se conformarent, felicem, beatamq; in terris vitam viuerent; Quare horum libri sedulò euoluendi; ex eorum dictis confirmanda, quę ex aliorum Philosophia, vel tradentur, vel discentur: & licet *Seneca* aliter dicatur vixisse, quam docuerit (preterquam pleriq; id non admittunt) id non obest, quo minùs laudabilia valde, & quasi vnus esset e S. Patribus, qui instituere alium in rectis moribus vellet, pręcepta rectissimè viuendi tradat. Eadem nota inuri posset *Aristoteli*, in quo non pauca Moralia vitia, eaq; non leuia, aliqui se deprehendisse certò asserunt; & tamen nemo iure negare potest, quin multis laudibus illius Moralis Philosophia digna sit. Legatur ergo saltem *Epictetus*, qui de nullo prorsus crimine accusatur. 29. *Cum Aristotelis Ethica* non nisi *Decreta* habeat; nam originem, ac naturam tantummodo virtutum, vitiorum &c. declarat, ac ipsemet Aristoteles ingenuè fateri videatur, suę Moralis Philosophię idoneum auditorem haud futurum, nisi qui puer, & adolescens rectissimè fuerit educatus, & in corroborata ętate consuetudinem rectam acquisierit, legibusq; instructus fuerit (adeoq; nonnullis illa videtur mollis, & effœminata) addat *Socraticorum*, aut *Stoicorum Postulata*, siue Pręcepta, siue fortius aliquid adsciscat sibi e Christianis legibus, ac rigida, virilique Socraticorum, aut Stoicorum sapientia. Et *Socratica* quidem, siue Stoica Philosophia maiorem, quam Peripatetica vt sic, habet vim ad quemuis minùs rectè educatum à Vitio ad Virtutem traducendum; quod experientia quidem patuit. 30. *Cum etiam*, non tan-

tummodo ante Christum natum, verum etiam mille, & amplius annorum spatio *Platonica*, siue *Stoica* Philosopiha, quę pręcipuè circa Mores versata, est maiori ab Ecclesia ipsamet in pretio habita fuerit, quam Peripatetica; haud ingenui, ac sapientis Peripatetici erit Socraticam, vel Stoicam Philosophiam vituperare contra communem tot Sapientum consensum. 31. *Textum Aristotelis Græcum* integrè, ac sincerè latinitati donatum, si Gręcę linguę peritiam non habeat, euoluat, sciens multas perperam interpretationes factas; vnde & in dies emittuntur nouæ interpretationes textuum plurimorum Aristotelis in Moralibus repositorum. 32. *Sciat, si quis* certo statuit bellua, & non homine dignam ducere vitam, Moralium documentorum vim non assecuturum, imò potius illa irrisurum: quare nunquam ab hoc in Philosophię Moralis studio opera erit ponenda, siue *Peripateticæ*, siue *Socraticæ*, siue *Stoicæ*; nisi quis instar *Socratis*, vel *Xenocratis*, vel *Diogenis &c.* hunc à praua hac animi sententia reuocauerit. 33. *Maximo habeat in pretio* auctoritatem, sensusq; hominum quorumcumque, qui ab alijs sapientibus iudicati sunt Viri ingenio, iudicioque acri pollentes; ad horum enim iudicium sępenumero reuocanda est Actionum Honestas, vel Inhonestas. Ratio sępè efficax afferri nequit, & contra quam instari non possit alijs rationibus, etiam non leuibus, secundum se spectatis. Quare celebriorum, tum antiquorum, tum etiam recentiorum libros in materijs Moralibus versantes apud se habeat, sed pro viribus emendatissimos, vt possit ipse tutus esse, aliosq; reddere certos de talium Scriptorum Auctoritate. 34. *Ab aliquorum lectione Politicorum librorum penitus* abstineat, nisi id præstet ad praua eorum reijcienda Dogmata, cum in nonnullis legantur aliqua, non solum Christianis Legibus, ac Institutis aduersantia, verum etiam lumini ipsimet naturali dissona. *Negari tamen non potest*, quin libri aliqui Politici male audire possent apud nonnullos, eò quod exactè illos non perlegissent, secutiq; forent, ac sequerentur quorumdam sensus, qui ex odio, vel inuidia in Auctorem, vel ex eo quod cũ illius doctrinã, quam praxi commendare vellent, aut mandarent, occultã cuperent; non ęquos sensus de scriptis ab eo libris vulgarent ad absterrendos ab eorum lectione cęteros; cum tamen Auctor fuisset Vir probus, & ob Politicam doctrinam rationi potiùs consonam, quam dissonam gratus fuisset hominibus, quos Christiana Respublica summe venerata fuisset, quiq; eos libros imprimi iussissent, vel etiam approbassent. *Vir sapiens* sine diligenti examine haud famosis quibusdam sensibus adhęrere debet, maximè dum *agitur de aliorum famæ* pręiudicio. 35. *Moralis perspectos habeat* mores; *Tum communes* ętatum, statuum &c. de quibus Aristoteles in Rhetoricis nominatim; *Tum præteritos* mores, consuetudinesque

Populo,

Populorum, Ciuitatum, Prouinciarum, Regnorum, ac illorum, qui hisce præfuerunt &c. Quod ab Historicis colligere poterit; *Tum præsentes* quoque horum mores, consuetudinesque; neque enim eędem planè modo vigent, quæ in antiquis leguntur Annalibus, sicuti nec planè eędem corporis cõstitutiones propter ciborũ diuersitatem &c. Hanc autem notitiam acquiret exactiorem, si ipsemet in celebriores Christiani Orbis Prouincias concesserit, & in aliquibus earum præcipuis Vrbibus aliquandiu commoratus fuerit, ac nominatim in illis, in quibus resident *præcipuæ Principum Curiæ*; cum ibi vitam ducere soleant plures ex omnibus nationibus Viri, & quandoque primarij, à quibus multa breui possunt disci; grauissima ibi tractari negotia; Principum Ministri in rebus agendis ibi sint versatissimi; ac Principum externorum *legati*, siue Oratores soleant esse Viri Politicis Artibus Instructissimi, qui illius Principis, apud quem resident, Ministrorumque illius Primariorum facta, dictaq; diligenter obseruant omnia, vt suum Principem de illis moneant &c. habentq; peculiares Instructiones pro agendo cum tali Principe, eiusq; Ministris; pro tali casu; si eueniret &c. Ab huiusmodi Viris, qui funguntur, vel functi sunt ***Legatorum*** ad Principes munere, & maximè ordinario, plurima disci queunt Philosopho Morali valde opportuna; adeoque illorum Familiaritas quam maximè præ cæteris curanda. *Quæ visu ipso* percipere non poterit, percipiat ex lectione Historiarum, quæ in dies eduntur, & ex interrogandis illis, qui in huiusmodi Prouincijs, Ciuitatibus, siue Curijs versati sunt, diuersarumque nationum hominibus: Qua de Causa vtile est moram facere in illis locis, in quibus præcipuæ florent Academiæ, ad quas studiorum Causa nobiles, ac ingeniosi Iuuenes ex omnibus Christiani Orbis Prouincijs confluunt. 36. ***Antequam iudicium ferat vltimum de Inhonestate actionum***, ac earum maximè, quę à viris cæteroqui probis, ac sapientibus exercerentur, vel exercitæ sunt; diu, sedulòq; secum meditetur, attendatque nominatim circumstantias omnes personæ, loci, temporis &c. Nec sinat se ab odio, vel inuidia, vel alio quolibet prauo animi motu, à quo remotissimus debet esse inter cæteros Philosophus Moralis, compelli ad non rectum de illis ferendum iudicium: ***Cum satis*** secernere non potest, ***An*** aliqua Actio dicenda sit Honesta, an Inhonesta, id ingenuè profiteatur; & in dubio potius stet pro honestate Actionis, quã nouit exercitam à Viro pio, prudẽte &c. præcipuè dum Actio non est ex illis, quæ ***Intrinsecè Malæ*** dicuntur, siue quæ in nulla penitus temporis differentia intrinseca denudari malitia possunt; sed est ex indifferentibus, quæ multiplici ex capite honestatem participare queunt, licet aliquæ communiter exercitæ videantur peccaminosæ. ***Nec facilè damnet*** (nisi Christianis le-

legibus , Catholiciſq; Inſtitutis repugnent) Actiones, quæ ab Antiquis Sapientibus Honeſtæ ſunt iudicatæ. *Multoq; minùs* inſtar *vulgi* accuſet, vel reprehendat Actiones aliorum Populorum, quibus maximè ipſe ſit minùs beneuolus, eò quod ſint diſſimiles moribus, vel conſuetudinibus ſuæ Ciuitatis, Nationis &c. vel etiam aliquam Inhoneſtatis ſpeciem habeant; nam *aliquæ* poſſunt hanc habere, & nihilominus in ſe queunt eſse *honeſtæ*, imò propter circumſtantias, quas diuerſarum nationum populi ignorant, vel etiam Sapientes ex illis non attendunt, *honeſtiſſimæ*. 37. *Principia Philoſophiæ Moralis* Generaliſſima, ſiue Vniuerſaliſſima optimè teneat vnà cum *Vniuerſalibus Cuiuſque Materiæ in particulari*, vt quæ ſpectant ad Amicitiam, Fortitudinem, Iuſtitiam &c. & ex his concluſiones deducat. 38. *Notas habeat* quam maximè *Animi Paſſiones*, & *Affectus* vnà cum *Virtutibus* illa moderantibus: *Rationes Virtutum*, *Tum Speculatiuas*, *Tum Practicas*; *Vitiorum naturas*, ac maximè eorum, quæ affinia ſunt Virtutibus, ſiue illarum ſpeciem pręferunt: *Qualitates Virtutum*, *Tum Monaſticarum*, ſiue quæ ſunt propriæ hominis ſolitariè viuentis, *Tum Politicarum*, ſiue quæ ſunt proprię Hominis, prout ſocialem vitam agit cum alijs; & inter has, quæ ſunt Propriæ *Subditorum*, & quæ *Principum*; ac inter hos, quę ſunt Propriæ *Eccleſiaſticorum*, & quæ *Sæcularium &c.* (In omnibus quidem, prout alios regunt, magis exigitur *Prudentia*, quam *Probitas vt ſic*, magis *Iuſtitia*, quam *Caſtitas &c.* Præferendi tamen, qui in Monaſticis quoque virtutibus excellerent) *A Chriſtianis* tantummodò cognitas, & admiſſas Virtutes: *Quæſtiones* ad Honorem, illiuſq; reſtituendi rationem ſpectãtes, *Methodumq; Conciliandæ Pacis* inter Nobiles maximè Viros; hæc enim cognitio vtiliſſima eſt ad Publicam Tranquillitatem; *Vnà* cum illis, quæ conducere queunt ad *Conſtantiam*, *Animique ſerenitatem* inter aduerſa quælibet ſeruandam, & ad *Beatam*, *Felicemq; Vitam* pro humana conditione in Terris degendam; quorum non pauca poſſunt haberi ex ipſius etiam *Senecæ* Libris de *Beata Vita*, *Tranquillitate Animi*, *Prouidentia &c.* Horum enim, ac ſimilium cognitio vtiliſſima eſt ſibi, alijſque. 39. *Ab illis abſtineat* Quæſtionibus, maximè coram populo, quæ potius damnum publicę tranquillitati afferunt, quam commodum, præcipuè ſi non prudenter tractentur; vt v.g. Quænam ſit pręſtantior alios regendi ratio, An Monarchica, An *Democratica*, An *Ariſtocratica*, An *Oligarchica &c.* Quæcumque ſuas habet laudes; & hìc, & nunc *Democratica* poteſt, imò debet præferri *Monarchicæ*, & è contra: olim opportunum eſſe potuit, vt aliqua Ciuitas, vel Prouintia *Monarchicè*, vel *Democraticè* gubernaretur; nunc verò ſit magis opportuna gubernatio *Ariſtocratica*, vel *Oligarchica &c.* Idem dicendum de varijs Reipublicæ formis &c. Homo autem, maximè priuatus,

uatus, ac in publicis, grauiſſimiſq; negotijs haud verſatus, de his iudicium ferre audebit? Imprudens enimuerò hic erit, adeoque haud Philoſophi Moralis laudes habebit. Ineptè hic Dei Gubernationem Monarchicam in medium adducet, quaſi hæc ſemper ſit pręferenda; *Tum quia* cum Deo etiam alij Reges regnant. *Tum quia* ille eſt omniũ abſolutè Dñs, omnipotens ſimul, ac ſapientiſſimus &c. *Tũ quia* in Veteri lege Deus ipſe nõ primò populi ſui Monarchicã approbauit Gubernationẽ &c. Ab his quidem huiuſmodi tractãdis materijs adhuc magis abſtinere debet ille, cuius cõditio earum peritiam non admittit, vel in quo talis peritia à cordatis Viris non approbatur. 40. *Antequam* ferat ſententiam de aliquo faciendo, vel omittendo; attendat, non abſolutè, *Quid ſit maius bonum*, vel *expediens ſibi, aut alijs*, ſed *Quondam ſit minùs malum*; Neque enim *Mundus*, vt aiebat ille, *regitur, aut regi poteſt maiori bono ſimpliciter*, ſed *minori malo*: Minus autem bonum in talibus circumſtantijs rationem boni, & ſummi quandoque habet. In futura incommoda figendus mentis obtutus, non dumtaxat in bonum, ſiue commodum pręſens; comparanda inter ſe diligentiſſimè futura commoda, & incommoda; pręferenda illa pars, in qua minora appareant incommoda illi, in qua commodis maiora apparent incommoda. Nec ex *Euentu* Conſilij prudentia metienda; nam omnes futuras circumſtantias, quæ ab hominum libertate præſertim pendent, Deus ſolummodo notas habere poteſt. 41. *Longè à ſe remoueat Adulationis Vitium*; ſecus enim ſuadenda non ſuadebit, non verò ſuadenda ſuadebit, & ſophiſmata ad hæc ſub ſpecie alicuius boni occultanda facilè excogitabit. Fidele, ſincerumque ſemper cuique prębeat conſilium: dum Veritatem manifeſtandã nõ eſse hic, & nunc prudenter iudicat, taceat omninò, excuſetque ſe &c. vel aliò abeat, ſi conſilium præbere cogeretur. *Fieri quidem poteſt*, vt aliquas opiniones, ſiue priuatos quoſdam animi ſui ſenſus poſſit clam, & duobus, aut tribus, & præcipuè amiciſſimis, indicare, & laudabiliter etiam; qui tamen coram populo non erunt manifeſtandi. Publicatio quarumdam etiam Veritatũ ad Politicum regimen ſpectantium multa importare poteſt incommoda. An autem ex publicatione commoda Incommodis præponderent, & ad eam præterea ipſemet teneatur, longiori, acurataque opus erit diſcuſſione 42. *Cum publici boni ſpecies* multos decipere poſſit facillimè, ac illa occultari poſſint ſæpè Multorum Ambitio, Auaritia &c. Quodnam ſit re vera publicum bonum diligenter examinet. Cum autem attendi poſſint in eadem re varia publica bona, pręferat quod maius prę cęteris Rectæ Rationi videbitur: Animaduertat autem, nullum eſse reipſa ſolummodò priuatum Commodum, quod publici alicuius boni prætextu velari non poſſit. 43. *Politicos Mores* ita doceat, ametq; in ſe ipſo, vt Politicam Diſciplinam ab illa vindicet

iniuria

iniuria aliquorum minus ſapientum Politicorum cauſa illi illata, hoc eſt, *Politicam cum vera in Deum Pietate, probiſque re ipſa moribus coniungi non poße.* Politica ergo Virtus non erit? Philoſopia ergo Moralis, quæ ſecundum præcipuam ſui partem in Politica verſatur, Vitiorum Parens, ac Nutrix erit? Sapientiſſimi Philoſophi, qui Politicam Artem latè docuerunt, Duces ad Vitia fuerunt? Haud talis fuit vnquam ſenſus pijſſimorum, ac Doctiſſimorum Virorum, qui Politicæ veræ Regulas norunt, ac tradiderunt. *Pietatem* illa in *Deum*, Reſque Diuinas, ac Sacras *Veram*, non *ſimulatam* fouet; tum *Pietatem* in *Patriam*, ac *Parentes*; Iuſtitiam *Legalem*, *Commutatiuam*, *Diſtributiuam*, ac *Punitiuam* ſeruari maximè præcipit: In *Subditis* obedientiam, in *Superioribus* Paternum exigit Amoremi: alienaq; eſt ab illis Opinionibus, quæ Tirannicum, ſiue Turccum gubernandi modum pedetentim inducerent; ſimulque ab illis, quas ſi amplecterentur ſubditi, in maiora incurrere poſſent incommoda, quam eſſent illa, quibus ſemet ſubtrahere conarentur: *Priuatum* cuiuſq; bonum *Publico* reuera *Bono* præfert ſemper: Habet ſibi propoſitam *Ciuium* inter ſe *Concordium*: propoſitam habet cum alijs Populis *Pacem*, Totiuſq; Reipublicæ *Tranquillam*, ac fœlicem Vitam; hanc autem aſſerit maximè haberi, ſi *bonis, maliſque congrua reddantur*, ſiue boni *præmijs alliciantur, ac decorentur; mali meritas dent pœnas*; & tunc vltimam Ciuitatibus perniciem imminere, quando à *Malis Boni nequeunt ſecerni &c.* Adulterina eſt multorum Politica ab Atheiſtis præcipuè edocta, & quæ Atheos re vera reddit. *Hæc* ſimulatè Deum, quem vel non credit eſſe, vel ſaltem Humanis non conſulere, aut etiam illa non cognoſcere, putat, colendum eſſe docet tantummodo ad continendos in officio populos: *Hæc* Magnatibus quicquid ad eorum porrigendum imperium conducit, licet non æquum, facit licitum; Principeſque, ad deſpoticum omninò regimen, ſubditos verò ad ſubtrahendum, ſe legitimis ſuis Principibus prouocat, *Hæc* relegat ſinceritatem ab animis, fidelitatem à verbis, promiſſiſque; *Hæc* occulta quæque fouet flagitia &c. *Vtinam* nunquam Chriſtianorum, & maximè Catholicorum Politici mores ſint tales, qui indicent eos in Atheiſmum, fuiſſe lapſos. *Animaduertat tamen* Philoſophus Moralis, multa, Magnatum præcipuè, facta, à vulgo, minuſq; Sapientibus vituperari, & tanquam vituperabilis Politiæ partus haberi, quę tamen a laudabili Politia oriuntur, & quæ à vera Theologia, ac Philoſophia, Morali ad Legis Diuinæ, ac Rationis naturalis trutinam examinata, tanquam legitima admittuntur: Ideoq; ſit valde cautus in reprobandis Magnatum factis, maximè dum ignorat eorum circumſtantias, quæ etiam coram Deo ad illa Magnates cogere potuerunt &c.

44. *Ne ſit in proprio pertinax ſenſu*; aliorum, nedum Sapientum, ve-

rum etiam Idiotarum sensum in nonnullis exquirat; in his enim circa quædam lumen naturale potest esse magis perspicax, quam in sapientibus, licet ex horum iudicio communiter Honestas, ac Inhonestas Actionum, quæ in dies occurrunt, dimetienda sit. *Hinc* Ingenuus Moralis nunquam erubescat à proprio recedere sensu, amplectique aliorum quorumcumque sensum, dum hunc Conformem, vel magis Conformem Rationi agnouerit; Suum verò difformem &c. 45. *Moralis Philosophus* ante alios Philosophos socialem vitam cum alijs agat; *tum* vt virtutes Politicas exerceat; *tum* vt re ipsa doceat Philosophum non ab hominum consuetudine, honestisque animi relaxationibus abhorrere, & hinc Iuuenes maximè ad huius Philosophiæ studium alliciantur: *tum* vt suo exemplo, quod maiorem præ verbis ad suadendas virtutes vim habet, alios instruat. Quare licet suæ Dignitatis, ac Auctoritatis gradum in locis maximè publicis sustinere debeat, simulque grauitatem quamdam præseferre; *Socraticum* tamen, siue *Stoicum*, vt dicitur, deuitet supercilium; ad *Hilaritatem* potius vultum componat, quam ad *Mæstitiam*; eius *Sermo*, non semper sit de Serijs, vel Philosophicis rebus, sed sit sale conditus, & facetus quandoque; exempla habeat in promptu maximè, quæ non minùs iucunditatem, quam vtilitatem sint circumstantibus allatura: non sit tamen loquax, multoque minus falsitatum inuentor, mendaciorum, vel æquiuocationum quoque amicus: Omnibus affabilem se exhibeat; omnes debito prosequatur honore; de omnibus bene mereatur; omnium, etiam hostium suorum, laudabiles actiones commendet vltro, sed pro meritis: *Modestiam* seruet semper, tum in verbis, tum in factis, tum in vestitu ipso, qui tamen suæ Dignitati debet esse cõgruens &c. 46. *Ne velit esse censor* omnium, quæ ab alijs dicuntur, vel fiunt. Vitia sibi detrahat quidem, sed alijs non exprobret; nec ita se gerat, vt quicquid ipse non facit, damnare videatur. 47. *Patriæ consuetudines, Communesque* mores in publico, nisi improbi sint, minusque grauem decentes virum, sequatur; hinc enim populi amorem sibi conciliabit, cui faciliùs Virtutum amplexum, fugamque Vitiorum suadebit. *Id agat, vt meliorem vitam sequatur, quam vulgus, non vt contrariam.* Hac de causa etiam à spectaculis quibusdam, ac alijs populi (dummodo non sint peccaminosæ, vel Inhonestæ) relaxationibus se haud abhorrere factis quandoq; ipsis significet. 48. *Animi motus moderari* nouerit suos, eosque insultantes coercere, ac præcipuè illos, quibus se magis obnoxium animaduerterit, vel ob corporis constitutionem, vel alias extrinsecas causas, illis præseruantia, & curantia adhibens medicamenta. 49. *Oeconomicam Philosophiam* in actu *Exercito* maximè, ne dum in Actu *signato*, norit in

Fami-

Familiæ suæ gubernatione. *Si vxorem* habet; ita eam amet, vt sororem, vt tamen illius imperio haud semet subijciat, licet plurima ex illius consilio agere debeat &c. *Si filios*; eos in Dei Timore, Parentumque obseruantia educet; illorumque propensione explorata, ad eam Artem, vel Scientiam, aut vitæ Conditionem eos informet, in qua magis *Deo* grati, *Patriæ* vtiles, ac *Familiæ* decori esse queunt &c. *Seruis* non sit iniuriosus; statutum stipendium, & statuto tempore illis tribuat; familiaritatem cum his haud contrahat &c. *In Expensis* Auaritiæ sordes longissimè à se remoueat: illius *Parsimoniæ* sit tenax; *Quæ* ipsum ab ære alieno contrahendo immunem redat; *Quæ* non sinat rem familiarem, quam præcipuè propria acquisiuit industria, à Domesticis dilapidari; *Quæ* permittat, vt ipse habeat aliquám pecunię summam alicubi repositam, qua occurrentibus sępe ex improuiso necessitatibus subuenire queat. *In expensis, Domusque suppellectili, & ad sua, suorumque commoda spectantibus*; tum *Dignitatem* suam, tum *Redditum* Quantitatem, quæ non semper eadem esse potest, attendat semper &c. *Pacis præcipuè* inter Domesticos sit amantissimus; ideoq; nonnulla, cum sine graui incommodo potest, prudenter dissimulet, nec *Argus* esse velit &c. 50. *Philosophiæ Moralis studium* totum requirere hominem, si in illo quis excellere velit, pro certo habeat. Nam illa Comprehendit *Primò Dogmaticam*, *Quæ* comprehendit *Dogmata*, siue *Decreta*, siue *Generales* quasdam *Regulas*, quæ magis sunt Contemplatiuæ, quam Actiuæ, redduntq; Hominem Doctiorem, quam Meliorem, cum tamen illius *finis Proximus* dicatur esse, *Hominis mores formare*, seu *dirigere* Hominem ad *Rectè*, ac *Laudabiliter viuendum*. *Secundò Regularem*; *Qua* tradit *Regulas* viuendi rectè; & hæ sunt Principia laudabilium Actionum proxima. *Tertio* Exemplarem; *Quæ* tradit Vitæ Probæ, ac Improbæ exempla; Cuius cognitio latissimè per omnes ætates, omniaq; hominum genera patet. *Quarto* Paræneticam; *Quæ* tradit Regulas *speciales*, siue Documenta præseruantia, & Curantia opportuna ad certas Vitæ Partes, Actionesque, ac Passiones dirigendas, ac moderandas. *Quinto* Catheristicam; *Quæ* in genere homines virtutibus, ac vitijs præditos dictis, ac factis suis quotidianis, velut signis, ac notis quibusdam describit. *Sexto* Emblematicam; *Quę* per Imaginem rei alicuius plerumque similis, & per concisam descriptionem aliquod Morale, vel Decretum, vel Præceptum tradit. *Septimo* Ænigmaticam; *Quę* per ænigmaticas sententias pręcepta de Moribus tradit. *Octauo* Hieroglyphicam; *Quę* Notis Ægyptijs, alijsq; huiusmodi Morale aliquod Decretum, vel Pręceptum complectitur. *Nono* Fabulosam; *Quę* Principum, & Priuatorum Vitam informat fabulosis humanarum rerum narrationibus

soluta

soluta oratione, vel fictis etiam belluarum, ac rerum quoque inanimalium exemplis. *Decimo* Parabolicam: *Quæ* per Parabolas, seu ficta aliorum hominum, imò etiam rerum inanimalium exempla, quid rectè, perperamque factum, aut faciendum sit, docet. *Vndecimo* Historicam; *Quæ* per narrationem rerum iam gestarum à quibuscumq; siue priuatis, siue publicis personis, à singulis populis, Ciuitatibus, ac Regnis actiones humanas dirigit, vt ex eorum, quę rectè, ac secus facta sunt, gloria & infamia, vtilitate, ac damno, Quid priuatim, ac publicè faciendum, fugiendumue sit, addisci queat, vnàq; percipi, qua ratione Honestę Actiones exercende sint. *Duodecimo* Mixtam; *Quæ* scilicet constat ex *Decretis*, *Præceptis*, ac *Exemplis*; Qualis à nonnullis censetur *Poesis*; siue hæc sit *Drammatica*, in qua Poeta alios loquentes inducit; siue *Exegetica*, in qua Poeta ipse vt plurimum saltem loquitur; siue *Satyrica*, in homines scilicet improbos, in quos leges nihil possunt, sed propter opes, aut potentiam leges omnes, velut aranearum telas perrumpunt, ac impunè scelera quæuis perpetrant; & tamen illis infamię notam inuri Republicæ interest, ne scilicet sint impunes: Nam *Impunitas Delicti est*, teste Tertulliano, *eius Libido*. EX HIS quis non videt; *Quam accurata* lectione, longaque meditatione opus habeat ille, qui in Morali Philosophia excellere cupiat: & *Quam multi* à vitijs reuocarentur, si hisce cognitionibus, vel saltem plerisque informarentur illi, qui cum Adolescentibus nominatim, ac Iuuenibus amicitiam, siue familiaritatem habent. *Vtinam* saltem illi, quibus Philosophiam Moralem tradendi prouincia est demandata, si non omnium, saltem præcipuarum ex his Moralis partium notitiæ compotes sint: fieret enim, vt non pauci inueteratas etiam vitiorum maculas detergerent: imitati *Socratem*, qui *Phædonem* e Cynedo, & impudico, corpore in lupanari questum faciente, oratione sua Philosophum effecit; atq; *Xenocratem*, qui *Polemonem* ex impurissimo, ac petulantissimo comessatore vnica oratione de Temperantia coram eo habita, vbi ebrius, & coronatus cum sodalibus, ac Tibicine Scholam illum irridendi causa intrauerat, sobrium, ac honestissimum reddidit, & ita studio deditum, vt cæteris præripiens palmam auditoribus *Xenocratis* successor in Schola fuerit. *Efficerent* hi, vt Homines Principum, ac Imperantium legibus non indigerent: *Aristippus* quippe interrogatus, *Quid præ ceteris hominibus haberent Philosophi*, sic respondisse fertur, *Etiamsi leges omnes interirent, similiter viuimus*; & *Antisthenis* sententia fuit, *Sapientem non ex legibus his, quæ latæ sunt, sed virtutis lege in Republica Victurum*. Sic etiam a sapientissimo *Aristotele* fertur pronunciatum; se hoc *ex Philosophia compendium; lucrumque fecisse*, vt id *quod alij legum metu*, ipse *iniussus*, & *sua sponte faceret*. Cui illud, *Iusto lex non est posita*, affine est.

Efficerent hi, vt opportunis animæ perturbationibus medicamentis appositis, & pro viribus prauitate à radicibus euulsa, Virtutum habitibus corroborati homines, in summa iucunditate Vitæ suæ dies traducerent, commodaque ingentia, tum suæ Familiæ, tum Patriæ, ac Orbi Terrarum vniuerso afferrent; ac denique vbi *Naturalem*, quę concedi posset, in hac Vita Felicitatem fuissent adepti, Supernaturalem in Beatorum domicilio assequerentur. *Inter Philosophos se maximè Beatum existimet ille*, qui in huius Philosophiæ studio, quæ amplissimos habet fines, tamque vtilis est, *tum* illi, qui ea excultus est, *tum* illis, cum quibus vita ducitur, potest, ac vult operam collocare vniuersam.



391

Perilluſtri, ac Reuerendiſſimo D.

GASPARI LEONICO

Vicario, & Canonico S. Marci &c.
Præ cæteris Facultatibus
Canonicarum, Ciuiliumque Legum
Peritiſſimo:

Ac Perilluſtri, Excellentiſſimoque D.

NICOLAO CRASSO

Celeberrimo Venetijs Aduocato,
Viro Omni Scientiarum Genere
Excultiſſimo;

Animaduerſiones Quinquaginta
PRO ILLO, QVI IN CANONICI IVRIS
STVDIVM INCVMBIT

IVLIVS CLEMENS SCOTVS
E Comitibus Placentinis

Suæ in Ambos
Illuſtrium in Scientijs Virorum
Amantiſſimos;
Candidis Moribus Præditos;
Publicique SERENISS. REIPVBLICÆ Boni
Studioſiſſimos
Animi Propenſionis Summæ
Teſſeram
D. D. D.

Caput Sextum.

1 Sanctos re ipsa *Pontifices, Sanctosq;* illos *Patres*, qui in Concilijs coacti leges, quæ Iuri Canonico sunt insertæ, tulerunt, ac S. *Raymundum Ord. Prędic.* qui quinque *Decretalium libros* in ordinem redegit iussu Greg. IX. peculiari prosequatur cultu. 2. *Par est*, vt præ cęteris Ecclesiæ præcepta, Ecclesiasticasq; leges obseruet ille, qui Iuris Canonici studiosus est. 3. *In Theologiam incumbat*, nec leuiter : ex illius imperitia hallucinati sunt sæpissimè Iuris Canonici Interpretes, vt apparet nominatim ex expurgatione Canonum tempore *Gregorij XIII.* facta. In nonnullis interpretibus tam multa conspiciuntur flagitia, vt neque excusationis aliquid habere potuerint, neque locum vllum sanæ interpretationi relinquere; in quorum multa saltem non lapsi fuissent, si Theologiæ operam dedissent. Et asserendū quidē, licet aliqui publicè in Scholis Theologiā non didicerint, dum tamen præclarissimas in Iure Canonico interpretando laudes consecuti sunt, non sine auxiliaribus Theologiæ opibus eas fuisse adeptos; cui priuato in cubiculo operam dederunt: Quod præterquam illi fassi sunt, & fatentur, qui easdem æmulantur laudes, ex eorum libris clarissimè patet. *Neq; Theologię* nomine hic intelligitur illa, quæ modò frequentiùs tractatur in Scholis, & vt plurimum in probabilibus quibusdam conclusionibus, ac subtilitatibus parui ponderis versatur; sed illa quæ in suis conclusionibus innititur *Auctoritati S. Scripturę*, vel *Diuinis Traditionibus, Conciliorum, ac summorum Pontificum Decretis ad fidem, Bonosque mores spectantibus, Auctoritati S. Patrum &c.* Quæ tractanda sunt præ cęteris ab illo, qui modò verus Theologus euadere debet. 4. *Peculiarem operam ponat* in Theologia *Morali*, eius Generalia Principia, simulq; Particularia multarum materiarum exactè cognoscens; nam non rarò de eadem materia agit Theologia Moralis, & Ius Canonicum: Certè si illa destituatur, poterit facilè in errores, nec leues, labi. *Hinc* Canonista scientia destitutus Theologica in multis quæstionibus, quæ pertinent etiam ad Ius Canonicum, vel cum illo quam maximam habent connexionem, suam non interponat sententiam; nam præterquam sua pronunciata virorum peritorum illusioni exponet, & se ipsum, & alios decipiet, & quandoque in re grauissima. *Animaduertat* verò Canonista, *Canonum scientiam* nunquam esse præferendam *Theologię*; cui potius fatendum ingenuè est, subiectam esse, siue subalternatam &c. Nam Theologia circa ius Diuinum omnino immutabile versatur, probatq; suas conclusiones ex principijs omninò certis de fide: Canonum scientia vt sic, versatur circa Ius, quod vt tale potest abrogari omnino; suaq; Decreta probat proximè, ac propriè ex Principijs Probabilibus, vel naturali solùm lumine cognitis. Illa circa *Diuinas* Voces, hæc circa *Humanas* primò versatur; *Pręterea*; Quomo-

do Canonista Theologiæ destitutus ope, probabit in Ecclesia esse
Potestatem Condendi Canones; ac inter cæteros, nominatim Ca-
nones illos, qui statuerunt, hosce libros, & non alios in Sacrorum
Codicum numero habendos? *Quod si* aliqui Theologo Canonistam
pręferant, id fit: *Vel quia* hi plane ignorant, *Quale sit verę Theolo-
gię munus*, cum cęteroqui in Canonum scientia versati sint, cui faue-
re volunt: *Vel quia* in forensibus Causis, & quæ in *Ecclesiastico foro*
non minori etiam quandoque contentione agitantur, quam in *Secu-
lari* (hæ tamen pro viribus ab Ecclesiasticis vitandæ forent; minus
enim sunt Ecclesiastieo statui Congruę) pleriq; Canones maximè
attenduntur; *Vel quia* Canones exteriorem quandam Ecclesiastico-
rum Politiam respiciunt; Cum tamen *Theologia* à Iudiciali strepitu
sit remota, ac perficiat illa, quę interna sunt. Canonum scientia
Marthę, quę *turbatur erga plurima*, *Theologia Magdalenę*, quę *sedens se-
cus pedes Domini audit verbum illius*, ideoq; *optimam partem elegisse* dici-
tur, comparari iure optimo potest &c. Theologia per se in *Interno*,
siue *Conscientię*; siue *Cœli, Diuinoq;* detinetur foro; Canonum scientia
in *Externo, Humanoque*. Ad Sacerdotes autem, ac pręsertim *Ecclesia-
sticos Pręsules*, primariò scientiam *Scripturarum* spectare patet ex 1.
Petr. 3. & ex 1. *Timoth.* 4. habetq; expressè *C. si quis d.* 36. collectum
ex *S. Hieronymo*, siue *Origene*, vbi habetur inter cętera. *Hęc duo sunt
Pontificis opera, vt aut à Deo discat legendo Scripturas Diuinas, & sępius
meditando, aut populum doceat*. Sed *illa doceat*, quę *à Deo ipse didicerit*;
nō ex proprio corde, vel *humano sensu*, sed *quę Spiritus Sanctus docet*. Lega-
tur *in d.* etiam 38. *C. Ignorantia, C. si iuxta &c.* Episcopus certè ordi-
nandus pręcipuè interrogatur de S. Scripturarum scientia; secundum
quas etiam primariò soluendas esse Causarum quęstiones, si in illis
solutio appareat, habetur *d.* 20. *C. de quibus causis*, & *C. Summopere* 11.
q. 3. At Scrutari Scripturas propriū Theologię munus esse norit qui
vel leuiter in Scientiarum Principijs fuerit versatus. 5. *In Canonibus*,
qui proponunt obiecta de Fide credenda, multum non desudet; eo-
rum intelligentiam in dubijs à Theologis petat, quorum etiam mu-
nus est peculiare illos tueri contra aduersantes: Quod si præstare
possit ipse; id non præstabit simpliciter, vt Canonista, sed vt Theo-
logus. Erit tamen vtilissimum ad eorum intelligentiam cognoscere
Concilia, e quibus Canones illi extracti sunt; vt videat non solùm;
an perfectè consentiant, verum etiam vt ex antecedentibus, & con-
sequentibus in Cōciliorum volumine, Decreta fidei aptiùs percipiat;
simulq; etiam cognoscat, an Concilij Patres verba illa, in quibus à non-
nullis dicerētur reposuisse aliquod Fidei Decretum, ex aliquo è S. Pa-
tribus acceperint, & quid per se definire intenderint &c. 6. *Cum De-
creta Conciliorum* proponuntur in Sacris Canonibus; sollicitè videat,
an illi

an illi pertineant ad *Fidem*, *Bonosque mores* Generatim; an verò solùm ad *Politiam externam*; & *Ecclesiarum*, *Ecclesiasticorumque Gubernationem*, vel *Reformationem &c.* Nan illis tantummodò, & non his indubitata, ac supernaturalis fides præstanda; Quod etiam præstet circa *Pontificia Decreta*: Et peccare quidem possest grauissimè Canonista, qui suaderet cuiq; Decretis siue Conciliorũ, siue Pontificũ non versantibus circa fidem, Bonosq; mores generatim, vel fidei definitionem præcedentibus, fidei Diuinę assensum exhibendum; nec posse illi vllum sine peccato infidelitatis refragari; nec esse Catholicum, qui non captiuat intellectum quoq; in obsequium illorum. 7. *Cum aliqua reperiantur* Decreta *Pontificia* spectantia ad Fidem, Bonosque mores in Sacris Canonibus, indaget: An illa admittenda, tanquam à Publico totius Ecclesię Magistro, an verò tanquam à Priuato Doctore tradita; *Attendatque* etiam; Quibus verbis proposita, & An Vniuersæ Ecclesiæ &c. Hæc autem, quæ nunc dicuntur, ad quid dicantur, ignorabit ille Canonista, qui est Theologię imperitus. 8 *Cum sæpissimè legantur* Decreta Conciliorum Prouincialium, siue Nationalium, *animaduertat*; An illi Canones sint ab Vniuersali Ecclesia approbati; neque enim satis est ad eorum obligationem inferendam asserere, quod in Sacris Canonibus vt sic reperiantur. Hos quidem Canones etiam in suo Originali sincerè edito perlegere erit semper vtilissimum; imò quandoque necessarium. 9. *S. Patrum auctoritates* frequentissimæ in Sacris Canonibus in suo fonte prægustandæ; *nam aliquando* non integræ; *aliquando* nõ sincerę omninò, eo quòd aliquid additum, vel demptum, vel immutatum &c. apparere queunt; nec sine toto contextu mens S. Patris certò explorari potest. *Videndum* pręterea; *an* ad rem afferatur ille locus S. Patris; an per transennam loquatur; *an* sit verè auctoritas talis Patris &c. Neque nouum est errari in huiusmodi citationibus; & licet non erraretur, negari haud potest, quin meliorem, tutioremq; cognitionem habeat ille, qui in Originalibus Conciliorum, Patrumque testimonia legat. 10. *Cum sæpissimè proponantur* Canones exponentes verba *Pontificum* desumpta ex eorum Epistolis, illæ procul dubio recognoscendæ, ac nominatim in *Registris*, quę impressa sunt, nonnullorum Pontificum; in his enim Decretales sunt integrę; in alijs collectionibus possunt esse non integrę, immutatæ &c. *Adde*, cum quis integras legit Epistolas, nouit; *Ex qua occasione, ad quem finem; quo in loco, ac tempore; propter quos &c.* illa Decretalis condita; quod non potest non magnopere ad illius intelligentiam conducere. Absque horit notitia in graues etiam errores, ac bono publico valde noxios incidere Canonista potest. *Idem* prorsus dicendum, cum verba alicuius Bullæ proferuntur: nam illa integrè legenda &c. & cum Canones ex aliquo

Cano-

Canonum libro afferuntur, à quocumque afferantur, in illo integrè legendi. 11. *Auctoritates* S. *Scripturæ*, quas in Sacris Canonibus non raro legit, sollicitè *examinet*; An sint allatę iuxta sensum *Literalem*, An verò *Spiritualem*, An verò *Accomodatitium*; nam hic frequentissimus est; An verò aliquando contra sensum literalem &c. ad quod celeberrimos interpretes Sacrarum literarum adhibeat: *Præterea*, An tali sensui, pro quo affertur in Sacris Canonibus, faueat planè consensus Patrum vnanimis, & sit de re verè spectante ad fidem; an verò ad *Politiam* tantummodò externam &c. Secus Canonista plurima existimare poterit esse de fide, quę prorsus ad eam non attinent, eaq; alijs proponere. 12. *Si leges, statutaq; Principum sæcularium* quandoque Sacris Canonibus inserantur, cognoscat; *Quam vim illa habeant*; An *integrè*, ac *sincerè* illa prolata &c. ideoq; cum Originali conferenda: Nam hinc variæ contentiones, ac rixæ etiam graues existere queunt. 13. *Intelligat*; cum nullus potuerit ferre legem Ecclesiasticam Vniuersalem, nisi Concilium Generale legitimum, ac summus Pontifex ex communi sententia; nullam obligationem per se inducere quemcumque Canonem in Corpore Iuris Canonici repositum, nisi sit Concilij Generalis, Romaniue Pontificis; vel ab aliquo ex illis approbatus authenticè fuerit. Nec Decretum ipsum Gratiani fuisse ab vllo Pōtifice approbatum, tanquam inconcussæ auctoritatis, & cui standum sit necessariò, etiam in foro externo, Romani quoq; Pręsules fatentur. Quinam autem pręter latos expressè à Concilis Generalibus, ac Summis Pontificibus Canones, sint pro legibus vniuersalibus habendi, sedulò indagandum. 14. *Attendat Decretales* vt sic (si excipiantur illæ, quæ ad fidei Doctrinam spectant) per se obligare tantūmodo in foro Externo; illę prælegendę in Scholis; & iuxta illas Ecclesiasticum Iudicium exercendum: Quod idem asserendum de *Clementinis*, & *Extrauagantibus*. Legatur Proemium *Quinque, & Sexti Decretalium*, & *Clementinarum*. 15. *Sæpissimè animo* euoluat Canonista; Ius Canonicum, quod ad ipsum per se spectat, non Diuinam continere auctoritatem, nec proponere; adeoque nec esse infallibilis auctoritatis, atq; errori, siue falsitati per se esse expositum. 16. *Norit, Ius Canonicum* quandoq; à nonnullis dici *Ius Diuinum*, quatenus non est Ius Humanum, siue Ciuile; siue quatenus Originaliter est Ius Diuinum, cum leges Canonicæ sint latę auctoritate Ecclesiastica, quam Concilijs, & Pontificibus tribuit Christus. Nunquam quidem in toto Iure cōmuni dicitur à nonnullis Ius Canonicum legi appellatione Iuris Diuini; Quare simpliciter Humanum est, sed à Spirituali Potestate, quæ nobilior est Ciuili, dependens: Et hinc quatenus tale abrogari totum potest, nedum ex parte. 17. *Licet aliqui Canones* fundarentur probabiliter, vel probabilius etiam in aliquo

aliquo Verbo Diuino ſcripto, vel tradito, iuxta probabiliorem etiam S. Patrum ſententiam; non tamen illi habendi à Canoniſta vt ſic, tamquam infallibilis auctoritatis. 18. *Habeat Canoniſta* Maximo in pretio leges Canonicas, non ſolùm quia ab Eccleſiaſtica Poteſtate latæ, & circa res ſacras plurimę latę; verũ etiã quia *Iuſtitię*, ac *Æquitati* valde cõformes, rectoq; *regimini Eccleſiaſtico* opportunę: non tamen Canones omnes planè velit tueri, quaſi nullus poſſit reprehendi; *Si Ius* Canonicum reuerentur, illudque ſequuntur etiam plures ex ijs, qui non agnoſcunt Romanum Pontificem, vt Vicarium Chriſti, Vniuerſalemq; Eccleſiarum Paſtorem, & in libris etiam editis illud afferunt, tanquam iuſtum, ac legitimũ in ijs, quæ ad externam Eccleſiæ politiam, & fidelium inter ſe conuictum pertinent; *Quanto pluris* faciendum ab illis, qui *Romanum Pontificem*, tanquam *Paſtorem Paſtorum*, ac totius Eccleſiaſticæ Hierarchię *Principem*, ac *Moderatorem* venerantur. 19. *Diſtinguat* diligentiſſimè *Canones* inter ſe: Nam 1. *Aliqui*, narrant ſolùm quid factum ſit, ac ſunt tanquam *Hiſtorici*. An vero hi ſemper omnino ſinceri, inueſtigari poterit. 2. *Aliqui* prębent *Conſilium* tantummodo, & quod *tantùm perfectius* proponunt; nõ verò obligationem vllam inducunt. 3. *Aliqui* ſunt lati, *vel* à non habentibus poteſtatem ferendi leges vniuerſales, vt ſunt *Concilia Prouincialia*, vel à nullam habentibus poteſtatem ferendi leges, vt ſunt Sancti Patres &c. Horum quidem nonnulli ex Vniuerſali Eccleſiæ conſenſu approbati ſunt tanquam vniuerſales leges; *nonnulli* minimè. 4. *Aliqui*, quamuis lati à Poteſtate ferendi leges Vniuerſales, obligant tamen ſolùm in caſu particulari, comprehenduntque tantummodo certas perſonarum, loci, temporis &c. circumſtantias. 5. *Aliqui* exprimunt duntaxat *Verba Scripturæ*; pertinentq; ad fidem, ac Bonos Mores. 6. *Aliqui* tantùm ad Politiam externam Eccleſiarum, Eccleſiaſticarumq; perſonarum ſpectant; Qui ſine dubio ſeruandi, ſi lati, vel *approbati*, tanquam leges (non tamen ſi ſolùm laudati) à legitima Poteſtate, *recepti &c.* 7. *Aliqui* habent expreſſam, authenticamq; approbationem *Quoad Iudicium externum*, ac *Prælectionem* in Scholis, vt *Quinque*, ac *Sextus Decretalium* cum *Clementinis*; tacitam videntur *Extrauagantes* habere. 8. *Aliqui* videntur ad forum *Internum*, & *Sacramentale* etiam pertinere, ſed non habere videntur authenticam, vel ſaltem explicitam approbationem, videnturq; ſolummodo referre ſenſus *S. Patrum*, aliorumque. 9. *Aliqui* ſunt lati a *Concilijs legitimis Generalibus*: & his quidem, dũ verſantur circa fidem, Bonoſq; Mores, nulli refragari licet. 10. *Aliqui* ſunt lati à *Summis Pontificibus*: & his quoque, dum ſpectant ad fidem, Bonoſq; Mores, ſtandum, ſi ſint legitimè lati; ſecus ſi lati vt à priuatis Doctoribus &c. Ex his autem Pontificijs *Rurſus* Alij ſunt *Conſtitutiui*, qui ex ſe nouam obligationem inducunt, neque rem, quam præcipiunt, aut prohibent

priori aliqua lege præceptam, aut prohibitam esse supponunt, vt qui
sunt de non comedendis carnibus in certis Sanctorum Vigilijs, de
quibusdam Ceremonijs, ac Ritibus Ecclesiasticis &c. qui per se
seruandi &c. Alij sunt *Declaratiui*; qui scilicet nullam obligationem
ex se inducunt, sed priorem legem, & obligationem tantummodò sup
ponunt, atque declarant; Atque hæc Decreta eadem certitudine,
aut probabilitate, *Sacra*, aut nō *Sacra* censenda sunt, qua certum, aut
probabile est, talem legem, & obligationem, quam Decretum De-
claratiuum supponit, & declarat, re vera pręcessisse. Alij *Mixti* sunt,
qui cum nihil præcipiant, aut prohibeant, vel alias præceptum, aut
prohibitum esse declarent, doctrinam tamen, aut certam aut incer-
tam supponunt, quod in Pontifice sit vera potestas ita decernendi.
Talia sunt Decreta, in quibus Pontifex quędam Priuilegia conce-
dit, cum tamen inter Catholicos controuersum sit, an habeat talem
Potestatem; Similiter Decreta, in quibus Pontifex in votis nonnullis
dispensat, concedit aliquibus facultatem nonnulla Sacramenta mini-
strandi, vt *Confirmationem* &c. Cum tamē inter Theologos celeberri-
mos cōtrouersia, sit, an illi talis Potestas Iure Diuino cōcedatur. Ite-
rum *Declaratiui* Canones in triplici differentia cōstitui queunt. *Prima*
eorum, qui in doctrina aliqua certa, & apud Catholicos indubitata
fundantur; vt sunt decreta, quæ furta, adulteria, homicidia, simoniā,
vsuram, ac similia prohibent, quę illicita esse omnes Catholici profi-
tentur; & his nulli Catholico repugnare licet. *Secunda* eorum, qui in
doctrina aliqua probabili fundantur; neque hi magis in foro interio-
ri obligant, quam doctrina, cui ipsi innituntur; & si ad hanc sequen-
dam, vel amplectendam non tenentur per se fideles, nec tenebuntur
sequi illos, & amplecti, tanquam indubitatos, ac certos: *Tertia* eorū,
qui in doctrina parum pia, imò potius impia fundantur; Inter hos
recensetur nominatim à nonnullis, *Tum* Canon *Cælestini Tertij*, qui
olim in corpore Iuris Canonici extabat *In c. laudabilem de Conu. Co-
niug.* teste *Alphonso de Castro lib.* 1. *de Hæres. c.* 4. quo declarauit, ita
per hæresim Matrimonium dissolui, vt *liceat ei aliud coniugium inire*, *cuius
prior coniux in hæresim lapsus est*: *Quæ* doctrina damnata est, tanquam
hæretica, a *Tridentino sess.* 24 *de Refor. can* 5. *Tum* Canon *Nicolai Papæ
Primi c. A quodam Iudæo de Consecr. d.* 4. quo decernit eos, *qui in Christi
nomine tantum baptizati sunt*, haud *esse iterum baptizandos*, cum multi,
inter *quos Bellarm. lib.* 4. *de Rom. Pontif cap.* 12. putent huiusmodi do-
ctrinam esse falsam: *Tum* Canon *Vrbani Secundi in c. Excommunicato-
rum* 23. *q.* 5. in quo Pontifex se arbitrari affirmat, *Eos non esse homici-
das*, qui *aduersus Excommunicatos zelo Catholicæ matris ardentes*, *aliquos eo-
rum trucidasse contigerit*; Quæ verba ad literam accepta, & maximè
si vniuersaliter, falsa, imò & hæretica esse plures putant: Quorum,
(cum possit teneri Catholicus ijs repugnare) notitiam habere debet

Cano-

Canonista; secus erraturus, & grauissimè, & irridendus, si omnes omninò Canones, tanquam Sacros, Diuinoq; Iuri conformes extra controuersiam existimet, asseratque. 20. *In Legum Ciuilium* studium vehementer incumbat; *tum quia* multarum legum Canonicarum notitiam sine illarum cognitione nullatenus assequetur; *tum quia* Ius Canonicum in ijs, de quibus non extant pecculiares Ecclesiasticæ leges, præcipit Ciuiles, ac nominatim Iustianæas seruari, si Sacris nõ repugnent Canonibus; *tum quia* aliquæ leges Ciuiles inter Canones collocatæ, quarum vis ab ijsdem legibus, earundemq; interpretibus habenda; *tum quia*, nisi simul cum Canonisticis Ciuiles quis sciat, haud poterit practicam cognoscere, cum Ius Canonicum sit medulla legum, & praxis Iuris Ciuilis: Et experientia patet, excellentes Canonistas non minùs excellere in legum Ciuilium notitia; vnde & Glosatores Canonum ferè semper referunt leges Ciuiles, & ex his confirmare etiam Sacros Canones enituntur. Vtrumq; studium mutuam sibi opem fert, ac necessariò. 21. *Curandum*, vt concilientur inter se Sacri Canones, legesq; Ciuiles. Si legitimę, siue iustæ ambę Leges sũt, rectæ rationi repugnare non possunt; fieri quidem potest, vt Ecclesiasticæ aliquę leges fundentur in aliqua opinione probabili, & Ciuiles in diuersa opinione probabili: adeoque licet videantur oppositæ *formaliter*, *radicaliter* tamen, seu *fondamentaliter* haud tales sint, cum sit Principium magis communiter modò receptum etiam apud Theologos; quod licet opinionem probabilem sequi, relicta quoque probabiliori. Si *circunstantiæ tempus, locus, personæ, adiuncta, consequentia &c.* attendantur in vnaquaq; lege, vt plurimum oppositio inter illas haud apparebit. Dum autem oppositæ essent re ipsa lex Ecclesiastica, ac Ciuilis, per se in foro Ecclesiasticos illa seruanda, hæc in sęculari. 22. *Si aliquas leges Ciuiles* à Canonicis correctas, legerit; *animaduertat*, an illarum correctio per se pertineret ad Ecclesiasticum magistratum, dum non essent Ciuiles contra *Ius Diuinum*, siue *Positiuum*, siue *Naturale*; an ex probabili tantummodo opinione talis correctio facta, vel admissa; *Quomodo* ea correctio admissa in foro Ciuili; *An* ea lex Ecclesiastica, quæ Ciuilem videtur corrigere, in Foro tantùm Ecclesiastico vim habeat &c. 23. *Quęnam* sit *materia legum Canonicarum*; & ad quę certò se extendat; ad quæ probabiliter, vel probabilius; ad quæ immeritò, ac irrationabiliter, exactissimè norit; ideoque competentia Ecclesiasticæ Potestati, vt tali, & vt a Christo institutæ, ante omnia intelligat, ne limites à Iure Diuino, siue a Christo præscriptos prætergrediatur. *Dum autem* pij, ac doctissimi Viri Catholici discrepant inter se; *An* Potestas Ecclesiastica ad hęc, vel illa porrigere se possit; *An* ex institutione Christi ad quædam se extendere possit: *sicuti* poterit, & cum laude, opiniones, quæ verè

probabiliter fauent Ecclesiasticæ Potestati, propugnare; *ita* omni-
nò caueat, ne hæreticam, de hæresi suspectam, erroneam &c. ap-
pellet aliorum opinionem, multoq; minus eam in praxi sequentes hę-
reticos, schismaticos, de hęresi suspectos &c. nominet. Grauissimum
tum contra Caritatem, tum contra Iustitiam crimen cum obligatio-
ne restitutionis famæ patrare, & facilè in hac materia, potest. Non-
ne iniuriam sibi grauem fieri existimaret Canonista; qui se, suamq;
opinionem tali aspergeret nota? Ludibrio hæreticorum exponi po-
test Fides Catholica, dū ita facilè pronunciaretur de hęresi: & pec-
cat contra fidem, qui vult haberi tanquam de fide opinionem, quæ
controuersa est inter Catholicos. *Hinc* exactè teneat, quęnam sint
absq; controuersia inter Catholicos Doctores fidei Dogmata: multa
quidem ab hoc reijciet numero, quæ à parum peritis, vt talia haben-
tur, indeque alios damnant. 24. *Licet legum Ciuilium* periti aliquando
plus æquo Potestatem Ciuilem porrigerent, adeoq; ad eorum auda-
ciam retundendam par posset videri, vt Canonistæ Ecclesiasticam
plus æquo etiam porrigerent; cum tamen hi debeant esse in suis di-
ctis veraciores, magisq; in opinionibus iustitiæ amantes; haud id
pręstent; eorum fallacias argumentorum satis erit ostendere. Ad-
uersus *veram Ecclesiasticā Potestatem Portæ inferi nunquam præualebunt.*
Minùs bene de Christo Ecclesiam suam protegente vsque ad consu-
mationem sęculi sentit ille, qui mendacijs, & cauillationibus Pote-
statem à Christo Ecclesiæ traditam tueri contendit. 25. *Si vt par est,*
Ecclesiasticæ Potestatis fautor est Canonista; caueat, ne nimis illam [illegible]
e[illegible]aggeret; nam periculum esset vehemens; ne si ex probabili tantùm
opinione ad aliqua iam se extenderet, illius fines imminuerentur po-
stea. 26. *Nunquam sit inter eos,* qui omnem vndique occasionem quę-
rerent Ecclesiasticæ iurisdictionis in temporalibus amplificandæ; &
in hoc prçcipuam reponerent operam, vt vbique illam exaggerarēt,
temporibus, locis, personisque diligentissimè obseruatis, in quibus, vel *cum*
quibus illa extendi posset; Non solùm *quia* Theologi etiam Sapientes
Diuinis Scripturis innixi censent, rerum temporalium curam debere
esse in Ecclesiasticis moderatam, ita vt hęc prçcipuum eorū munus,
quod est *salutem animarum procurare,* haud impediat; ideoque suadent
etiam, vt de temporalibus quibusdam *incidenter, & per alios,* non *per se*
agant, vel illa tractent; Verùm *etiam quia* Fides Christiana (contra
tamen illud, quod re vera docet) malè apud multos audire incipe-
ret, quasi illa in Ecclesiasticis personis temporalia commoda, eaq;
maxima, sibi haberet proposita, parumq; laboraret de temporalibus
aliorum commodis, ac de publica Ciuium tranquillitate: ex quo prę-
ter minorem Fidei Catholicę existimationem, quę oriri posset in
Catholicorum animis, plerique retardarentur ab amplectenda fide
Catho-

Catholica. Ad Pontificem quidem nominatim pertinere *Communibus vtilitatibus prouidere c. Aduersus* de *Immunit.* dicitur. 27. ***Ne sub specie quadam pietatis*** Opiniones minus veras tueatur, nec illas, quæ fouerent auaritiam, aut superbiam. *Recordetur* esse plura *Piarum Causarum* genera; ac de operibus misericordiæ corporalibus exhibitis vnumquemq; nominatim rationem redditurum. 28. ***Releget à se longissimè Adulationis Vitium***; quod impellere potest ad quasdam opiniones excogitandas, ac nonnullis cauillationibus fulciendas, quæ coram Deo, ac sincerè examinatę difformes forent, *vel* Diuinis Scripturis, *vel* Diuinis Traditionibus, *vel* communi Patrũ sensui, *vel* praxi morigeratę Ecclesię &c. *vel* ipsimet rationi naturali passionibus non occæcatæ &c. redderentque licitum omne, quod nonnullis liberet, apparentes, ac sophisticas rationes afferendo &c. *Recordetur c. Nemo Peritorum* 11. q. 3. haberi, *Melius est pro veritatè suppliciũ pati, quam pro adulatione beneficium consequi*. 29. ***Non omnes Canones putet esse leges.*** Plurimi sunt, qui tantummodo Consilium, vel salutarem Admonitiorem proponunt, & id quod perfectius est, exponunt: In dubio autem haud existimet esse leges, nam lex debet esse ***manifesta***, non obscura *c. erit d.* 4. Similiter aliqui Canones, licet sint conditi ab habente potestatem ferendi leges, haud sunt vniuersales, sed obligant tantum in foro externo, vel certas personas, vel in certo tempore, vel in certo loco &c. Hinc sollicitè inuestigandum, qua occasione conditi Canones, quo tempore, pro quibus &c. 30. ***Semper benignius interpretetur*** Sacros Canones; pręsumptio enim est pro benignitate Ecclesiastici Præsulis magis, quam Ciuilis, cum ***Ecclesia*** ab ipsismet Sacris Canonibus dicatur ***mater***: In his autem cum non sit facilè reperire (pręter detrusionem in Monasterium) pœnas corporales, sed spirituales multas; & hę sint per se grauiores corporalibus, benigniorem, quę verbis tamen accõmodari possit, interpretationem exigunt à Canonista. 31. ***Ne sit amicus*** multiplicandi leges, vbi planè non constet de Potestate eas condendi, ac de Mente, eaq; Rationabili legislatoris. ***Cauendum est***, ne lex Christiana, cuius iugum suaue, onusq; leue esse voluit Christus, euadat grauior, insuauiorque Mosaica lege; Et ne hæc multiplicitas animas illaqueet, & in periculum damnationis æternæ facilè inducat, cum tamen finis Potestatis Ecclesiasticæ, adeoq; Potestatis legislatiuę Ecclesiasticę sit directio animarum ad æternam salutem, maximè per media spiritualia, qualia sunt Sacramentorum susceptio, integra fides &c. *Cum ante cæteros* sint illi obseruandi Canones, qui pręcipuè conducunt ad obseruantiam Diuinorum Præceptorum, reliquiq; Iuris Diuini, ac Naturalis, ac nominatim mutuæ Caritatis, Iustitiæ, Veræ Disciplinæ Ecclesiasticæ &c. In horum Canonum intelligentia potissimum insudet,

det, vt Ecclesiæ prisci pro viribus reddantur mores. 32. *Historiæ Ecclesiasticæ sit peritus*; ac nominatim Vitas, gestaq; Pontificum Romanorum à sinceris Auctoribus relata curet habere perspecta, vnà cum Annalibus, alijsue Historijs referentibus, quæ apud Laicos, & maximè Principes, quorum tempore viuebant Pontifices, contigerunt; hinc enim multa hauriet, quę ad exactam plurium Canonum intelligentiam valde conducent. 33. *Habeat notos Canones*, quos Vniuersalis Ecclesia pluriũ sæculorum spatio secuta est in Ecclesiastica Disciplina, & eos, quos Ecclesia ipsamet Romana ante *Decreti*, ac *Decretalium* compilationem amplexa est; præterquam enim morum pristinorum cognitionem consequetur, aliquorum Canonum, qui ex hisce antiquioribus in recentiori compilatione relicti sunt, notitiam exactiorem assequetur. Inter antiquiores etiam illorum peculiariter cognitio procuranda, qui desumpti fuerunt e *Quatuor primis Concilijs Generalibus*, quę tanto in pretio semper habita fuerunt in Ecclesia, ab ipsis nominatim quoquè Romanis Pontificibus. 34. *Maximi faciat Gratiani Decretum*; præter enim cætera, *pręclaris aureisq; sententijs abundat, & auitæ Religionis Ecclesiasticã seueritatem, & disciplinam præfert*; & hinc à multis princeps illi locus inter libros, qui Canones continent, tribuitur; ac sapientiores mirantur, quod aliqua in Vniuersitate ille non pręlegatur, solũmq; vacetur Decretalium studio. *Verum quidem est*, illum prout emendatum à Greg. 13. habendum; nec *Gratiani* verba vim habere, nisi illa reperiantur, vnde sunt deprompta, siue quatenus sunt apud Auctores, quos ille affert; nec *Gratianum* habere potestatem aliquid definiendi, vel statuendi, sed solùm interpretandi; multoque minus tanquam pro lege, vel Canone obligationem vllam inducente afferri posse verba *Paleę*, ideoq; solerter distinguendum inter verba, quæ ex *alijs* afferuntur ibi, & ipsius *Gratiani*, ac etiam *Paleæ* voces; nec testimonium Gratiani satis est, vt Canon aliquis recipiatur, tanquam vel Concilij, vel Pontificis &c. nisi aliunde id authenticè constet; in huiusmodi enim citationibus aliquando deceptus est: Si haberi poterunt *Decretorum Compilationes*, quæ ante Gratianum, ab alijs factæ sunt, & ex quibus ipse pleraque excerpsit Decreta; multa ex illis colligi poterunt clarius Canones plurimos à Gratiano allatos explicantia. 35. *Cum quinque Compilationes etiam Decretalium* ante illam, quam approbauit Greg. 9. dicantur fuisse factæ, & hæc peculiariter etiam dicatur collecta ex compilatione *Bernardi Papinsis*, qui fertur fuisse primus Decretalium collector, has Compilationes perlegere, Multam vtilitatem afferet Canonistæ. 36. *Canones inter se conciliare studeat*, si quando contrarij reperiantur. *Animaduertat* verò, posteriùs editos derogare prioribus; notetque Canones, qui alios priores etiam correxerunt. Si sciuerit, quo tempore Canones conditi fuerint, plurimas facilè soluet dif-

uet difficultates, quæ in oppositorum Canonum intelligentia occurrunt, & ad eas superandas multum temporis, & aliquando frustra, impenditur. Ampliorem consequetur laudem, si Canones cum Iure Diuino, siue Principijs Theologiæ, ac Philosophiæ Moralis consentire ostenderit. 37. **Examinet**, quinā *Canones sint in vsu*, & qualis sit aliquorū praxis; & licet sit vtilis etiam cognitio illorum, qui per consuetudinem, vel alia ex causa abrogati sunt, siue eorum obseruantia non viget; peculiare tamen studium impendat in ijs, qui sunt in vsu, & ex quorum notitia plures casus, & quęstiones solui possunt; nec in leuioribus quibusdam parum vtiliter tempus impendat, quod vix satis est ad grauiores Canones exactè intelligendos. 38. **Notos habeat** *celebriores*, tum *Decreti Gratiani*, tum *Decretalium Interpretes* simul cum *Ætate*, in qua vitam duxerint, siue floruerint; Sicuti autem in multis haud Antiquioribus fides habenda, cum nouæ Canonicæ leges prioribus derogantes, vel etiam illas abrogantes fuerint latæ; sic Neque *Recentioribus* passim eadē habenda, cum non omnes, quas afferunt leges sint authenticæ, vel admissæ, vel vbique receptę &c. *Ex his* præferendi, qui per *laudabilem aliquam Distinctionem* recentioris legis, quę videtur antiquæ opposita, ambarū virtutem admittunt. 39. *Erit laudabile*, si *Institutionum Iuris Canonici* librum confectum instar *Institutionum Iuris Ciuilis* penes se habeat; *Arboremq;* exhibentem materias totius Iuris etiam Canonici ex ordine habeat: *Erit* autem necessariū, vt sæpius euoluat, Tum *Lexicon vtriusq; Iuris* iam editum, Tum *August. Barbos.* librum De *Axiomatibus Iuris frequentibus*; De *Appellatiua verborum Vtriusq; Iuris significatione*; De *Locis Cōmunibus Argumentorum*; De *Clausulis vsufrequentibus*; De *Dictionibus Vsufrequentioribus*. Videbit enim in his non solùm Legistas à Canonistis, verùm etiam Canonistas ipsos nominatim in horum acceptione, ac intelligentia sæpenumero dissentire. 40. *Non solum Iuris Canonici Regularum*, quæ in 5. & 6. Decret. sunt repositæ, intelligentiæ operam dęt, cum suis *Limitationibus*; verùm etiam *Regulas* alias ad decisionem Casuum, qui frequentissimè occurrant, ex singulis Canonibus, ac nominatim Decretalibus colligere studeat, etiam præter illas, quæ in *Glossa* conspiciuntur. Et hę quidem omnes seorsim reponendæ, & ex ordine disponendę. 41. *Si qui potestatem* habent ferendi leges, à Rationis pręscripto regi debent, non verò à passione, vel voluntate tantum, maximè Ecclesiastici Præsules; ideò *Ratio Canonicarum Legum* maximè quærenda, si nō innotescit in decursu Legis, vel Proemio, vel circumstantijs &c. Et ad Iuris quidem Canonici peritū spectat illam indagare, & cum opus est, proponere; sufficit autem, vt probabilis afferatur ratio, à qua potuerit rationabiliter impelli legislator Ecclesiasticus ad talem ferendam legem; neque enim necessaria semper afferri potest. 42. *Bullarium Pontificium* apud se habeat; esset verò laudandus, si plu-

ſi plures ex illis ad titulos repoſitos iam in Decretalibus reuocaret (*omiſſis plurib. priuatis*) cõficeretq; tanquã *Septimũ Decret. librũ*; vel ad ſelecta quędã capita. *Attendat* verò; *aliquas* ex his non eſſe receptas; *aliquibus* per conſuetudinem, vel præſcriptionem derogatum; *aliquas* expreſsè, *aliquas* tacitè reuocatas; *aliquas* certis tantùm in locis, aut certum tantummodo perſonarum genus obligare; *aliquas* licet per ſe omnes obligent, haud actu obligare inuincibiliter illas ignorantes, vel in certis circumſtantijs &c. Cum autem non omnes Bullę ſint in *Bullario* repoſitæ (habent enim inter cæteros *Regulares Ordines* iam peculiaria ſibi *Bullaria*, in quibus videre eſt multa ad materiam Canoniſticam ſpectantia) ac pręterea nouæ in Dies Bullę edantur, has omnes penes ſe habeat, earumq; lectioni ſe tradat, ſimulq; illarum Rationem, cum doctrinalis interpretatio non vetetur, ſi propoſita nõ eſt, diligenter exquirat; Si autem aliquam minus iuſtam re vera deprehenderit (de Iuſtitia legiſlatoris, maximè Eccleſiaſtici, per ſe pręſumendum) modeſtè tamen ſemper de *Poteſtate Eccleſiaſtica*; ac nominatim illa, quæ eſt *Legiſlatiua*, loquatur. 43 *Decreta etiam Conciliorum*, quę non ſunt repoſita in Decreto Gratiani, ac Decretalibus, ſi fuerint illa legitima, habeat perſpecta, ac præcipuè Tridentini Cõcilij, & mentem eorum, qui illa condiderunt, ex Conciliorũ Actis, ac Libris eorum, qui adfuerunt Cõcilijs, pro viribus aſſequi conetur. 44 *Decreta Congregationum Eminentiſſimorum* S. Tridentini *Concilij Interpretationi*, *Negotijs* Epiſcoporum, ac Regularium, & *Ritibus* Sacris Præpoſitorum nominatim, nota habeat; nam licet nõ obligationem inducerent, notitiam tamen multorum ad Sacros Canones ſpectantiũ afferunt. 45 *Ex illis*, quę ad Canones ſpectantia e Romana prodeunt *Curia*, plurimi faciendæ ſunt *Romanæ Rotæ* Deciſiones: inter has autem, quę Rotę totius nomine vulgantur, ſatagat habere præ illis, quæ vnius e Rotæ Auditoribus tantùm. Solent illi Præſules eſſe in Canonũ Scientia, ac praxi, maximè periti: *Pontificis*, à quo feruntur Canones, ſiue Bullę, mentem faciliùs prę cęteris poſſunt habere perſpectam, ſimul cũ Circumſtantijs, Cauſiſq; earum *Finalibus*, vel ac *Impulſiuis*. Vix credi poteſt, quod conueniant eorum plerique, vel omnes ad iniuſtum aliquid decernendũ cuiuſq; precibus, vel promiſſis allecti, ſiue minis perterriti. Si illi (vt habet *Melchior Lotterius tom.* 1. *de Re Beneficiaria* impreſſo Romę 1629. *lib.* 1. *Appar. n.* 139) ita vnanimiter reſtiterunt *Sixto IV*. fulminanti, ac Vincula minitanti, niſi inter Auditores admitterent quemdã *Antoniũ de Parma* ex illegitimis ortũ Natalibus, vt deſerto Auditorio clam ſeſe in fugam proripuerint; qua animi cõſtantia fractus fuit *Sixti* impetus, *Antoniuſq;* deluſus; Multò magis dẽ modò pręſtarẽt, ſi cogerẽtur ad iniuſtũ quid ſtatuẽdũ. Certè nunquã ſuffragiũ pro iniuſta cauſa laturos eſſe probabiliſſimum

ſimum eſt. An verò poſſint illi relicta probabiliori iuxta probabilem quoque opinionem ferre ſententiam rogati, vel alia extrinſeca de cauſa, ſi verus eſſet illorum ſenſus, qui hanc facultatem Iudici tribuunt (qui tamen communiter reijcitur, maximè ſi vniuerſaliter ſumatur) ac dum legitimè habent voti arbitrium, illud ferre poſſint *pro amico*, pro *potentiori*, *pro commendato ab illis*, qui in Romana Curia maximam habent auctoritatem &c. decernant alij. Arbitrari quis poſſet; Sapientiſſimos hoſce Præſules ſibi ſuadere; *Non licere* Iudicibus, maximè Eccleſiaſticis, & qui in totius præcipuè Orbis conſpectu expoſiti ſunt, debentque perfectiſſimi Iudicij cæteris omnibus exemplar tradere, amplecti opinionem probabilem dimiſſa probabiliori: *Ac ſe teneri* præſertim *pro* miſerabilibus perſonis, ac *pro* pijs cauſis, quarum plura eſſe genera ſciunt, & non ſolum quæ ſpectant ad temporalia Eccleſiaſticorum commoda, ac nominatim *pro* illis, quos cognoſcerent conari potentiores, aut ditiores opprimere, ſimilibuſq; cauſis, quarum fauor in Sacris etiam Canonibus peculiariter commendatur, ſententiam ferre. Illi enim verò *Veritatem* ſemper ſequi enitentur, vt *Deum ſequantur c. quiſquis* 11. q. 3. imò Veritatis vltro patrocinium ſuſcipient, memores *c. Error d.* 83. haberi; *Veritas cum non defenſatur, opprimitur.* 46. *Norit*, quoties cõſtat aliquod fuiſſe, vel eſſe præceptum tantummodò Pontificium, haud illud, tanquam legem, ſeruandum; *nec* niſi authenticè conſtet de lege ab illo latam, eſſe habendam pro tali; *nec* declarationem legis ab illo iam latæ, niſi illam publicè proponat inſtar legis, haud neceſſariò ab omnibus ſeruandam; *nec* teneri Canoniſtam ſe conformare in legis Vllius interpretatione ipſius etiam Pontificis priuato reſponſo, & maximè, ſi minus legis ipſius congruat verbis. Erit autem neceſſarium illi, nedum vtile, habere perſpecta, quę Theologi, & Canoniſtæ celebres tradiderunt, traduntque de Pontificijs legibus, de Eccleſiaſticis conſuetudinibus &c. *Tum vt* exactiorem acquirat notitiam illorum quę in *Decret. de Conſtit.* & *Reſcript.* traduntur; *Tum vt* poſſit rite leges interpretari Pontificias, quæ e Romana Curia frequenter emanant, ſoluere caſus circa illas ocurrentes ſolidè &c. 47. *Cũ e Canoniſtis* illuſtrioribus, & qui poſt Decretaliũ Quinque libros editos vixerũt, laudentur maximè *Innocentius IV.* dictus *Pater Iuris*; *Henricus de Seguſia*, vulgo *Hoſtienſis*, dictus *Fons, & Splendor Iuris*; *Gulielmus Durantes*, dictus *Speculator*; *Io. Andreas Bononienſis*, & *Nicolaus de Tudeſchis* vulgo *Panormitanus*, & *Abbas*, qui ambo *Lucerna* Iuris fuere appellati; *Guido de Bayſio* vulgo *Archidiaconus*, qui magnæ auctoritatis Vir ſemper eſt habitus; Et alij: Cęteris paribus maiori in pretio eos habeat, qui Eccleſiaſtica aliqua dignitate fuere inſigniti; vt *Innocentius IV.* qui à *Bellarm.* etiam Vir *Doctrina*, & *Prudentia Clarus* nominatur; Cui accedere

cedere poteſt etiam *Guido Großus* vulgo *Guido Papa*, qui *Clemen. IV.* & ſancte, & pie vixiſse in Pontificatu etiam fertur à *Bellarm.* eodem, ſicuti & fuiſſe Iuris Conſultiſſimus. Proximus abſq; dubio accedit *Franciſcus* ex nobiliſſima inter Patauinas *Zabarella Familia*, cui iam *Archiepiſcopo Florentino*, & *Cardinali* vnanimiter Cardinales in *Conſtantienſi Concilio* abdicato *Ioanne XXIII.* ſummi Pontificatus honorem, niſi ibidem ad Cęlos abijſset, decreuiſse fertur. Hos excipiunt e Cardinalibus *Hoſtienſis*; *Cameracenſis*; *Turrecremata Theologia* etiam, ac *virtutibus eximius*, teſte *Bellar.* *Cuſanus* Vir *æquè pius*, *ac doctus* eiuſdem dicto; *Iacobatius*; ac *Tuſcus*: Ex Archiepiſcopis *Nicolaus de Tudeſchis*, qui fuit *Archiepiſcopus* Panormitanus, quem tamen aliqui inter *Cardinales* numerant: Ex Epiſcopis *Durantes*, qui fuit *Epiſcopus Mimatenſis*. Nemo quidem negare poteſt, quin per ſe in ijs, quæ ad Eccleſiaſticos Canones ſpectant, propter Dignitatem, Peritiamq; maiorē, horum, illiſque ſimilium auctoritas maior ſit quam cæterorum; & quin ſit pręſumendum eos veritatis teſtimonium afferre ſincerius. Sic etiam in hac materia Clericis maior fides per ſe habenda, quam Sæcularibus, & maximè quoad praxim; vt etiam maior per ſe Canoniſtis, quam Theologis puris ſpeculatiuis. Illis ſine dubio præferendi, qui ſimul Canoniſtę, ac Theologi fuerint, vt e Cardinalibus *Hoſtienſis*, *Turrecremata*, *Cuſanus* &c. *Nunquam* autem ſine grauiſſimo fundamento damnet Canoniſtam vllum e celebrioribus, tanquam minùs erga Eccleſiaſticam Iuriſdictionem propenſum: *Tum quia* fit illi iniuria, & grauis, ſi aſſeratur ex hac minori propenſione impulſum fuiſſe ad Veritatem occultandam, illamue oppugnandam: *Tum quia* alij dicent, Canoniſtas aliquos fuiſse nimis in illam propenſos, qui etiam ab illuſtriſſimis Theologis, candidorumque morum fuerunt in libris de hoc reprehenſi. Si fides habenda illis, dum Iuriſdictionis terminos porrigunt, cur non eadem habenda, dum illos coarctant? Rationi efficaciter probanti in hoc à Veritatis ſemita deflexiſſe Canoniſtas proculdubio ſtandum. 48 *Caueat*; ne ex aliquorum maximè odio, vel amore, *Definitionum*, quæ in Iure Canonico traduntur Voces ampliet, vel reſtringat vltra receptas iam ab antiquioribus nominatim Canoniſtis ſignificationes; vix enim erit Caſus, qui ſolidè ſolui poſſit, materiaq; daretur litium grauiſſimarumque Contentionum cum graui tum *Caritatis*, tum *Iuſtitiæ* diſpendio. 49. *Obſeruet*; legem nullam Eccleſiaſticam vt ſic obligare ad obſeruantiam vllum, qui in *extrema* ſit conſtitutus *neceſſitate*; plures non obligare in *graui* quoque; hæc autem grauitas reſpectu perſonę attendenda præcipuè; nam quæ reſpectu vnius eſt leuis, reſpectu alterius eſt grauis &c. Nec iuxta multos cenſeri, legiſlatorem Eccleſiaſticum comprehendiſse ſub lege Caſum valde diffici-

difficilem; Nam lex Eccleſiaſtica in ijs, quę ſunt de Iure poſſitiuo maximè fragilitati humanæ accommoda eſt; & hinc faciliùs per ſe *Epicheiæ* virtutem admittit, quam Ciuilis lex. *Præſumendum eſt* enim uerò, *Eccleſiaſticum legiſlatorem* prę cęteris nõ velle, niſi *id quod rationabile, ac æquum ſemper eſt.* 50. *Quando ad Canoniſtam* per ſe Forũ Eccleſiaſticum Externum regere ſpectat: Recordetur ſępe *Primò*; Quatuor modis peruerti humanum Iudicium, *Timore*, dum metu Poteſtatis alicuius veritatem loqui pertimeſcimus: *Cupiditate*, dum præmio animum alicuius corrumpimus; *odio*, dum contra quemlibet aduerſarium molimur: Amore, dum amico, vel propinquo complacere cõtendimus: Reponitur id ex *Iſid.* acceptum 11. *q. 3. c. Quatuor* habeturq; etiam *Clem. 1. de Hæret.* & in 6 *de Sent. & Re Iud. c. 1.* *Secundò*; Quemcumque dum aut conſanguinitate, aut amicitia, & e contrario vel hoſtili odio, vel inimicitijs ducitur, peruertere iudicium Chriſti, qui eſt iuſtitia, & fructum illius vertere in amaritudinem; Reponitur id *ib. c. Quicumque. Tertiò*; Citò violari auro iuſtitiam nullamq; reum pertimeſcere culpam, quam redimere nũmis exiſtimat; Acceptionemq; nummorum præuaricationem eſſe Veritatis *c. Qui rectè*, & *c. Pauper ibid.* Nec licere iudici vendere iuſtum iudicium (multoq; minus iniuſtum) etſi liceat Aduocato vendere iuſtum patrocinium, & Iuriſconſulto rectum iudicium *c. non licet ibid. Quarto*; Ex ira, vel furore, vel leuitate non eſſe proferendam ſententiam. *c. Ira*, & *c. ſummopere ibid.* corrigendamq; eſſe ſententiã promulgatam ex ira *c. Cum apud. Quinto*: Antequã quis ſententiã ferat, teneri iura & rationes partium cum diligentia rimari, ac intelligere, & ſecundum quod eſt in Diuina, vel in eius defectu, Humana lege, remota omni perſonarum acceptione, iudicandum in *Extr. Quorundam* de *Verb. Signif.* & *c. Sumopere* 11. *q. 3. Sexto*: In re dubia certam nõ dandam ſententiam, nec eſſe Iudici credenda quædam, quamuis vera ſint, niſi certis demonſtrentur indicijs *c. Graue, & c. Quamuis verè* eadem 11. *q. 3. Septimo*; Teneri pro illo, qui accuſatus eſt tanquam Reus, ſententiam ferre, & non illam ſuſpendere, vel occultare, ſi innocens re vera deprehendatur: Nam qui veritatem liberè nõ pronunciat, proditor eſt veritatis; quique veritatem metu alicuius poteſtatis occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat *c. Nolite Timere*, & *c. Quiſquis ibid.* *Octauo* Teneri maiorem præferre benignitatem in pœna imponenda, quam ſęcularem Iudicem arg. *c. Quid autem c. Neminem c. Licet plerumque c. Epiſcopum c. Cum Beatus &c. d.* 45. Sæpius euoluat animo illud à *S. Leone Ep. 2. ad Anaſt. Epiſc. Theſſali.* dictum. *Licet nonnunquam accidant, quæ in Sacerdotalibus reprehendenda ſunt perſonis, plus tamen erga corrigendos agat beneuolentia, quam ſeueritas*, plus *cohortatio*, quam *Comminatio*, plus *Charitas, quam poteſtas.* Sed hi qui quæ ſua

ſunt, quærunt, non quæ *Ieſu Chriſti*; facilè ab hac lege diſcernuntur, & dum dominari magis, quam conſulere ſubditis quærunt, placet honor, inflat Superbia, & *quod prouiſum eſt ad concordiam* (ſcilicet, vt vnus pręeſſet alijs, ne fieret Schiſma vt *d. 93. legimus*, & *d. 89. Ad hoc*, ait Gloſa in *c. licet nō nunquam d. 45.*) *tendit ad noxam.* Hęc tamen ſine perſonarum acceptione ſemper exhibenda. *Hinc* valde vituperandum foret, ſi iudicium ab Eccleſiaſticis, ac præſertim Sacerdotibus factum, maximè ſanguinis pœnam decernens, eſſet plerumque in ſimili delicto ſeuerius, aut rigidius, quam quod fieret à ſæcularibus; *multoque magis*, ſi *vel* ſub ſpecie Diuini zeli, publiciq; boni propter odium, inuidiam, aliumq; prauum animi motum acerbior *iuſto* in aliquem decerneretur pœna; *vel* falſi teſtes conſultò probarentur, aut ex induſtria premijs prouocarentur ad depoſitionē de delicto, vt poſſet nonnulli, quem minori proſequerentur beneuolentia, aliqua infamiæ nota inuri, vel pœna decerni; *vel* dum aliquis Vir Grauis, aut pietate, aut doctrina, aut nobilitate, aut his omnibus inſignis de aliquo crimine, ſiue Facto, ſiue Verbis, ſiue Scriptis, aut etiam Libris patrato accuſaretur ab hominibus huiuſmodi Viro infenſis, *qualitas teſtium*, & *accuſatorum* non attenderetur, non ſollicitè examinaretur, *an tale delictum* ab eo patratum; ſed fide aduerſarijs habita, vt grauiſſima illi ſtatueretur pœna, decerneretur, & curaretur, nec accuſatorum falſitate detecta condignè illi punirentur. *Si autem vnicuique prouidendum eſt, ne aliquem iniuſtè perſequatur, iudicet, vel puniat, ne Ieſum perſequatur*, vt habetur *c. Vnicuique 11. q. 3.* ex Pelagio 2. *Ep. 2. ad Benig. Archiep.* Maximè Eccleſiaſticis, qui Miniſtri ſunt Chriſti, & *quibus* data eſt Poteſtas, iudicandi etiam, *non in destructionem*, ſed *in ædificationem &c.* Si Eccleſiaſtici Iudices exiſtimauerint (quod veriſſimū eſt) ſe peculiariter teneri cōformare illis, quę in Sacris Codicibus, Sacris Canonibus, legibus Ciuilibus, S. Patrum, Doctorumque libris circa Iudicem, Iudiciumq; iuſtè exercēdum proferuntur, illaq; executioni mandare omni opera fuerint conati; ſperare iure merito poſſunt, fore vt cum *Chriſto*, qui *conſtitutus eſt Iudex Viuorum*, ac *Mortuorum*, Viuant in æternum.

Ex his, quæ ſequenti *cap.* dicentur *multa debent*; *multaque* poſſunt Canonici Iuris ſtudioſo accommodari: & e contra Ciuilis Iuris ſtudioſo aliqua opportuna, aliqua neceſſaria ex hoc *cap.* eſſe poterunt.

Illustrissimo Comiti Placentino

FEDERICO SCOTO

Fratri Optimo, Filioque adhuc Viuentis
Illustriss. COMITISSÆ CLELIÆ Scotæ;
Fœminę ob Pietatem Eximiam, Summamq; Prudentiam
A Conciuibus suis, Principibusque etiam Viris
Maximo semper habitæ in prætio;
Proneptis Comitis HONORII SCOTI,
Cuius Animi fortitudo in Cyprio Bello
Testibus quoque Historijs enituit quam maximè;
Ac Neptis Comitis ASCANII SCOTI,
Qui Puer adhuc SERENISS. REIPVB. VENETÆ
Seruitio addictus
Amplissimos in Re Militari Honores,
Regiaq; stipendia est assecutus:
Et Qui inter PATRIS Maiores numerat
Comitem ANNIBALEM Scotum
Ob illustres in CORNEL. TAC. Cōmentarios celebrem;
Comitemq; FEDERICVM Scotum
Cuius singularis sapientia satis comprobatur,
Tum Doctissimi HIERONYMI MERCVRIALIS,
Tum doctisimorū de *Re Ciuili* Voluminum testimonio;

Animaduersiones Quinquaginta
PRO ILLO, QVI IN CIVILIS IVRIS
STVDIVM INCVMBIT
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
Fraterni Animi Indices
D. D. D.

Caput Septimum.

1 SIngulari prosequatur honore *Sanctos Pontifices Romanos*; qui Imperatorias, ac Ciuiles leges maximè probarunt, nominatimq; S. *Leonem*, ac *Gelasium*, vt patet ex *d.* 10. *c. de Capitulis c. Certum est c. Vestram.* Sed ante omnia summam venerationem exhibeat Deo, qui est *Summa, Sempiterna*, ac *Veracissima* omnium lex; adeoque legibus à Deo latis, & præcipuè illis, quæ sunt Naturali etiam Rationi conformes, semet obsequentem quam maximè præbeat. 2. *Intelligat*, legem Humanam quamcumque, si Diuinæ repugnet legi, haud iustam esse posse, nec rectæ conformem rationi. Cum enim omnium *Sapientissimus* sit *Deus*, omniumq; *Iustissimus*, atque *Summè Prouidus*, imò in Deo *Sapientia, Iustitia*, ac *Prouidentia* sit infinita, quicquid Diuinis opponitur Decretis, non nisi insipiens, iniustum, ac imprudens esse potest. 3. *Norit, quænam* sint Diuinæ leges, & quam vim habeant modo apud Christianos: Præter autem Decalogi præcepta, aliquas quidem *Christum Dominum*, in quo fuerunt thesauri omnes Diuinæ Sapientiæ, tulisse leges deprehendet, sed paucissimas, & ad *Fidem*, *Sacramentaque* potissimùm spectantes. 4. *Distinguat* inter leges Diuinas, *Eas*, quæ sunt de *Iure Naturali* quæque, & quæ sunt merè de *Iure Positiuo*, hoc est, quæ vetant, vel præcipiunt aliquas Actiones, non quia ex natura rei sint *Bonæ*, vel *Malæ*, sed quia sic ipse voluit *Deus*, vel *Christus*; qui quidem in legibus Cunctis Vtilitatem, sed magis *Gloriam suam*, eamq; *Maiorem*, sibi habuerunt propositam: Si autem aliquarum Diuinarũ Legum Rationem, vel Congruentem reddere ignoret, in hoc enimuero se Creaturam, ac finitæ Sapientiæ agnoscat: Etiam aliquarum, quas Humani legislatores tulerunt, Legum non esse Rationem indagandam multi ad *l. non omnium ff de leg.* censent. *Si Pythagoras* sibi soli, etiam nullam afferenti rationem, credendum esse voluit, an non multò magis id Deus à nobis exigere potest? Si plurimorum effectuum Physicorum Causas reddere ignoramus; Diuinorum Decretorum Rationes adæquatas reddere pręsumemus? *Captiuandus* hic enimuerò, ac iure optimo, *intellectus*, ne *scrutator Maiestatis opprimatur à gloria*. Certè cum Deus sit omnium Dominus, in huius agnitionem Dominij, tanquam tributum aliquod, hoc intellectus obsequium à nobis exigere potuit. Rationem pręterea effectuum à Deo prodeuntium Vltimam esse Diuinam tantummodo Voluntatem nullo ad extrinsecum obiectum habito respectu plures affirmant. *Dissonum plane rationi foret*; si Iurisperiti ad multa etiam grauissimi ponderis decernenda sufficere sibi arbitrarentur Leges Humanas vt sic, nulla illarum reddita ratione, vel ex eo quod præsumant illos, qui leges tulerunt Ciuiles, non sine ratione, licet sibi incognita, eas tulisse: Diuinis verò legibus nonnullis haud parerent, vel minus Diuinas probarent leges,

eo

co quòd illarũ Ratio nõ sibi innotescat. 5. *Cum alia sint* de *Iure Natu-*
rali, alia de *Iure Positiuo*, etiã *Diuino*; quænã sint hæc, tum ipse sollicitè
quęrat, tum à veris, peritissimisq; Theologis inquirat. Non facilè
admittat multa, tanquam Iuri naturali repugnantia; nam præter
Decalogi præcepta, ad quæ nonnulla reuocari queunt, paucissima oc-
current talia, si exactè, ac sincerè rationes, quæ aliqua esse de Iure
Naturali videntur probare, discutiantur. Cum autem à Decalogi
præceptis quædam *Primariò*, quædam *Secundariò* vetari dicantur,
videat in quibusnam omnes Catholici Sapientes conueniant. Si pro-
babile sit, nonnulla esse de Iure positiuo Diuino, haud inter ea, quę
Censentur de Iure Naturali, reponantur. In dubio etiam, an aliqua
sint de Iure Positiuo, vel Naturali, pro Positiuo stet, & Diuino, si il-
la habeantur in Scriptura, vel Traditione, vel vt talia explicentur à
communi planè S. Patrum sensu &c. 6. *Cum Decalogi Præcepta* sint
vnà de *Iure Diuino*, & *Naturali* etiam (si excipiatur *Tertium* non ab-
solutè, sed secundum modificationem Sabbati, siue determinati diei,
ac temporis) lexque Diuina supponat actiones illas pręceptas, & ve-
titas esse intrinsecè bonas, vel malas; intelligat illorum cognitionem
prout sunt de Iure Naturali, pertinere tantùm ad *Iuris Ciuilis Interpre-*
tem, siue *Philosophum Moralem*; prout verò sunt de Iure Diuino, ac in
Sacris habentur literis pertinere dumtaxat ad *Sacrarum Literarum In-*
terpretem, vel ad *Theologum* vt sic. Cum nonnulla tamen ad hæc spe-
ctantia magis explicentur in Sacris Literis, non sine harum ductu
Actiones Decalogo præceptas, vel vetitas explicet; neque contra
vnanimem Theologorum, multoque minùs S. Patrum Auctoritatem
in illarum explicatione sentiat. *Animaduertat* etiam, suum non esse
munus agitare, vel statuere multă, quę Theologi illa explicantes, agi-
tant, statuuntque, vt attinentia ad Fidem, Spem, & alia similia, quæ
ex lumine tantum supernaturali habentur; nam hęc ad Theologum,
vt Theologum solummodò spectant. 7. *Cum etiam Quinque sint Pri-*
maria Ecclesiæ Præcepta communiter à Catholicis recepta, iudicentur-
que animabus, quarum ad æternam salutem directio ad Animarum
Pastores pertinet, valde salutaria; ea approbet, ac laudet, nec vn-
quam consilium præbeat, quo illa in paruo habeantur pretio, vel
contemnantur. Explicationem autem illorũ, nõ à quibusuis Theolo-
gis, sed à veris, sinceris, ac peritioribus hauriat, ac leges omnes, si quę
ferrentur, contra huiusmodi præcepta à Ciuili Potestate, irritas esse
cognoscat. Cum tamen de Iure Positiuo Ecclesiastico sint vt sic; an
contra illorum aliquod consuetudo, aut pręscriptio aliqua legitima
præualere potuerit, vel possit, à Theologis potissimè indagandum.
8. *Ne facilè credat etiam* Theologis nonnullis, qui aliqua esse de Iure
Diuino asserunt; sunt enim *aliqui* re vera ignorantes, *Quid sit ius Di-*
uinum,

uinum, *& vnde illud habeatur*; *Aliqui* ex malitia, & ad finem minùs etiam æquum huiusmodi Ius venditare, præsertim apud simpliciores quosdam, possunt; *Alij* quod est Conforme exemplis Testamenti Veteris, siue legibus in eo scriptis, licet non obligent in Nouo, imò & Ius ipsum Canonicum appellant *Ius Diuinum*: Alij verò, quod probabiliter, vel apparenter etiam tantum deducitur esse Ius Diuinum, simpliciter tale nominant; Et hinc parum periti falluntur. Quare ab vnanimi Theologorum, Patrumque consensu accipiat; Quænam verè, ac Propriè absq; vlla prorsus inter Catholicos controuersia sint *Iura Diuina*, tum *Naturalia*, tum *Positiua*; Quænam *Probabiliter talia &c.* secus enim errabit in multis, multasque leges prudentissimè interdum latas reijcere, & tanquam omnino iniustas damnare cogetur. 9. *Sacros Canones* in multo habeat pretio, nec eos vnquam cõtemnat, vel aliorum contemptui exponat. *Qui tanquam pertinentes ad fidem* statuti sunt à Pontifice ex Cathedra, vel Concilijs Generalibus, vel approbati vt tales ab vniuersa planè Ecclesia, recipiendi sunt omnino, nec illorum Veritas discutienda à Iuris Ciuilis interprete, cum illi cognitionis Canonisticæ vt sic, nedum Legisticæ, fines prætergrediantur. *Qui ad Ritus etiam quosdam*, & *Ecclesiasticas Cæremonias*, & *maximè in Sacramentorum Administratione* attinent, ab illo quoque admittendi; neque enim horum discussio etiam ad ipsius spectat munus. Illos quoque, qui *ad Politiam quandam Ecclesiasticorum pertinent*, nec aduersantur legi vlli, vel consuetudini Laicorum rationabili, nec pacem, tranquillitatemq; Ciuilis reipublicæ perturbant, vltro etiam admittat. Si ex illis, qui *Ciuilibus aduersantur legibus*, e decreto aliquo Pontificio ex Cathedra, vel Concilij Generalis spectante ad Fidem, Bonosq; mores, *Aliquã* decernant Legem Ciuilem continere peccatum &c. stet Iuris peritus Catholicus pro Sacro Canone, nõ pro Ciuili lege: Si verò *non in materia ad Potestatem Ecclesiasticã, vt sic, spectante versentur*; pro Lege Ciuili potius stet, nisi consuetudo contra hanc præscripserit. Cum dubium verò foret, vel Probabile Ecclesiasticam Potestatem ad aliquas leges non se exendere, Iuris Ciuilis studiosus stet pro Ciuili Lege; nam Ciuile Ius profitetur: Loquatur tamen semper honorificè, & vt par est, de Ecclesiastica lege, licet minus æqua sibi videretur. *Aduertat quidem*, plerosq; Canones seruandos, & meritò, in Foro tantùm Ecclesiastico; seruandos aliquos in Terris tantùm Pontificiæ temporali iurisdictioni subiectis; aliquos autem, licet forum & Ecclesiasticum & Sæculare, Ecclesiasticos, ac Sæculares comprehendere voluerint, esse vel abrogatos alijs Canonibus, vel contra illos præscriptum, vel non receptos &c. Quorum omnium notitia exactè, ac singillatim curanda. 10. *Cum aliquæ Ciuiles leges* à Sacris Canonibus abrogatæ dicantur,

exploret, *Quænam* sint illæ, & *An* Verè, ac Legitimè abrogatæ; *An* adhuc contra illarum siue derogationem, siue abrogationem consuetudo aliqua legitimè præscripserit &c. Non omnibus quidem abrogationibus, vel derogationibus, quæ afferi queunt, videtur necessariò standum. 11. ***Sacrorum Canonum*** studio ferè non minùs, quam Ciuilium legum ipsarum, se ipsum tradat; ***Tum quia*** perfectam multarum Ciuilium Legum notitiam sine Canonicarum intelligentia haud vnquam assequetur; ***Tum quia*** Canonicæ non leuiter Ciuiles illustrare queunt; ***Tum quia*** Canonicæ non pauca à Ciuilibus omissa valde iusta, ac æqua statuunt; ***Tum quia*** Ciuilibus in aliqua materia, vel causa deficientibus Canonicis per se standum esse, cõmunis fert sententia. Videre est, celeberrimos Iurisconsultos esse frequentes in proferendis Sacris Canonibus; sicuti & illustriores Canonistas, imò & Glossatores Canonum in proferendis Ciuilibus legibus: nec solere vllum decorari laurea in Iure Ciuili, quin simul in Iure Canonico. 12. ***Ne putet***, eam esse inter Sacros Canones, legesq; Ciuiles discrepantiam, quam nonnulli arbitrantur, & publicant. In plerisque consentiunt, & ad concordiam reuocari multæ, quæ videntur contrariæ, posſunt, imò debent à Iuris perito; nam de Iustitia legislatoris, tum Ecclesiastici, tum Sęcularis est illi pręsumendum. ***Hoc quidem peculiariter attendat***, leges illas, quę omninò videntur esse inter se oppositæ, posse esse formaliter iustas, eo etiam nomine, quod legislator Ecclesiasticus, & Sęcularis ex opposita probabili opinione de sua potestate oppositas tulerint, adeoq; esse ambas probabiliter iustas. 13. ***Ne sit ex illorum numero***, qui Ecclesiasticorum statui, atq; Ecclesiasticis Legibus essent infensi, vellentque in omnibus Ecclesiasticos Ciuili subijcere Potestati, vacarentq; Legum Ciuilium studio eo potissimum consilio, vt faciliùs Ecclesiasticam Potestatem pessumdare, & Ecclesiasticis quodlibet imponere iugum posſent Legum Ciuilium scientia instructi, indeq; impellerent Sæculares Principes ad minus æqua contra Ecclesiasticos decernenda. Si ex voto id eueniret, conarentur postea Diuinas, ac Euangelicas eludere leges. Hi enimuerò vel Athei sunt, vel in Atheismum citò labuntur. *Christi Ecclesiam* norit ex vtraque constare Iurisdictione; quarum vnaquæq; dum præscriptos sibi legitimos fines nõ pretergredietur, summa pax, tranquillitasque inter Rempublicam Ecclesiasticam, ac Sęcularem vigebit: Sollicitèq; curandũ à quocumque, vt vnaquæque suis se contineat finibus, eo etiam nomine, ne Ethnicis detur occasio de Christo obloquendi, quod Religionem instituerit, in qua grauissimæ, ac frequentissimæ essent animorum dissensiones inter Sęculares, & Ecclesiasticos, qui ipsius Christi peculiares Ministri sunt, Iurisdictionis Causa. Ita ergò Temporalem Principum sęcularium Iurisdictionem propu-

propugnet, vt animo reuoluens sæpissime se Christianum esse, Christique legibus subiectum nō oppugnet illam, quæ à Christo Ecclesiastico statui, siue Ecclesiasticis personis tributa est, nec se minus æquū, beneuolumq; vt par est, in Christi Ministros verbis, vel factis exhibeat; neq; ad hæc vllos vnquam hortetur. *Subterfugiendum* quidem est pro viribus à prudenti Iurisperito iudicium etiam priuatum de quibusdam controuersijs attinentibus ad Iurisdictionem Ecclesiasticam, ac Sęcularem, cum non desint sępissimè rationes, quæ probabilem vtramq; sententiam, licet oppositam, reddant; vnde etiam Causa plerumq; *stat pro potentiori.* Si autem necessariò præbendum sibi sit consilium in hac Iurisdictionis materia, illud prębeat, quod *Diuinæ Legi, Lumini Naturali*, ac *Iustitiæ, Æquitatique* conforme, vel magis conforme, vbi sedulò rem examinarit, coram Deo censuerit, nunquam à recto Veritatis tramite deflectens, quorūcumque siue Ecclesiasticorum, siue Sęcularium minis perterritus, vel promissis allectus. *Illud quidem animaduertat*, licet ipse Causas arbitraretur adjudicandas Sęculari Principi, ne tamen semper fauentes Ecclesiasticis Præsulibus opiniones asserat esse omninò iniustas, improbabiles &c. *Meminerit*, se non minùs in Spiritualibus Ecclesiasticis Præsulibus, quam in Temporalibus Principibus sęcularibus esse subiectū; adeoq; vtriq; Potestati congruam à se semper exhibendam venerationem, neq; vlli ex illis detrahendum &c. 14 *Morali Philosophiæ* antequam legum studium auspicetur, operam nauet diligenter; illa enim Iuris Ciuilis Parens est, illique subordinatur, siue subalternatur. Nullus vnquam excellens Legista erit, qui simul excellens Philosophus Moralis haud fuerit. *Vtile etiam foret*, vt in reliquis quoque Philosophiæ partibus operam impendisset; neque enim nisi Physicę, ac Metaphysicæ imperiti Iurisconsulti negare possunt, quin harum cognitio scientiarum aditum aperiat ad Leges faciliùs ediscendas, earumq; vim, ac potestatem percipiendam. Illi enimuerò, qui primas obtinuerunt, obtinentque sedes inter Iuriscōsultos, haud laude, quæ ex Philosophicis reportatur scientijs caruerunt, & carent. Breuiori tamen tempore Philosophicus Cursus, quam sit ex more, conficiendus esset, vel saltem confici posset. 15 *Est omnino necesse*, vt ante cætera in *Dialecticæ studium* incumbat, ac nominatim in illam, quæ Legistarum est propria; si laudem reportare velit e Scientia Ciuili. Nam illa docet Scientiam Ciuilem in certa diuidere genera, singulaq; genera rursus in suas species distribuere, singula membra definitionibus declarare; locos tradit rerum describendarum, argumentorum inueniendorum, tum ad nostra confirmanda, tum ad refellenda contraria: Illius ductu, quid apud Iudicem proponendum sit, faciliùs inuenitur, ac de inuentis, ac propositis certiùs iudicatur: Sine illa ab ip-

ſiſmet Iuriſconſultiſſimis Iuriſprudentia *Inanis eloquentia*, vel *Impoſtura* potiùs, *Rebuſque publicis pernicioſa magis, quam vtilis* dicitur. Maximis inter cæteras Dialecticas Inſtitutiones a nobilibus Iuriſconſultis editas digni ſunt laudibus *Libri Tres Dialectices Iuris Ciuilis* conſcripti à *Nicolao Vigelio* de *Dreiſa Heſſorum Iuriſconſulti* celeberrimi, quæ quidem euoluenda foret frequenter etiam ab illis, qui in Legibus non leuiter quoque profeciſſent; explicat enim adeò diligenter ea, quæ ad vtramq; Dialecticæ partem, hoc eſt, *Expoſitionem*, & *Argumẽtationem*, ſpectant, in materia Ciuili ſemper inſiſtendo, legibuſq; Ciuilibus ſemper ad rem allatis, vt nihil ferè addi, vel demi poſſe illi videatur. *Fieri* certè non poteſt; quin huiuſmodi Dialecticas ab aliquibus Iuriſconſultis conſcriptas ſi quis attentè perlegerit, eorum ingenium valde ſuſpiciat, nec in eo primas concedat Theologis, ac Philoſophis nonnullis, qui Dialecticas ediderunt; & quin etiam fateatur multa hos ab illis diſcere potuiſſe, ſuiſque Dialecticæ libris adiungere, ac nominatim exactiſſimam praxim exercendę Dialecticę in Philoſophicis, Theologicis &c. & non pauca etiam addi poſſe Dialecticæ ipſimet Ariſtotelicæ, illamq; in pluribus illuſtrare. Moleſtum quidem eſſe poterit initio huius ſtudium, ingenio pręcipuè minùs pręditis: Sed breui ſuſcepti labores iucundiſſimi erunt. *Neque inane* huiuſmodi ſtudium arbitretur, eò quòd nonnullos ſine Dialecticæ laudes, & multas in ſcientia Ciuili aſſecutos fuiſſe audierit, vel cognouerit: *Tum quia* hi maiores laudes fuiſſent aſſecuti, ſi etiam Dialecticæ cognitionem adiunxiſſent: *Tum quia* hi pręſtantiſſimo fuerunt ingenio, ac Dialectica naturali inſtructiſſimi, cuius ope compenſatus eſt fructus, qui e Dialecticę Artificialis ſtudio fuiſſet reportatus: *Tum quia* hi priuato in cubiculo potuerunt etiam Artificialis Dialecticæ libros euoluere: *Tum quia* ex peculiaribus obſeruationibus Dialecticæ Artificialis habitum ſibi comparare valuerunt; Neque enim nomine Dialecticæ Artificialis intelligitur ſolùm illa, quæ diſcitur in Scholis &c. Ex hac Dialectica diſcat nominatim, Quinam ſint præcipui loci inſeruientes *Expoſitioni*; tum illi, quæ *conſiſtit in Vniuerſorum, de quibus dicturus eſt quis, Diſtributione*; tum illi, quę *ſita eſt in ſingulorum deſcriptione*: ſimulq; *Argumentationi*, tum *Inuentiuæ*, tum *Iudicatiuæ*, cum iuis Regulis, ac Exceptionibus, exempla ab ipſiſmet Legibus Ciuilibus deſumens. In quibus ediſcendis ſi etiam tres, vel quatuor menſes impenderet, ſciat cum ingenti emolumento ſtudium huiuſmodi futurum. Experientia id declarabit. 16. *Iuſtinianæas Leges* in ſummo habeat pretio, tanquam enim Iuſtitiæ, ac æquitati maximè conformes ab anno 534. præcipuè, quo *Nouus Codex* a Iuſtiniano Imperatore fuit editus, & confirmatus, illæ, *tum* a Romanis, Romanoq; ſubiecti Imperio fuerunt ſeruatæ, *tum* etiam ab aliis Nationibus,

bus, quæ sub Romanorum ditione non erant, vel etiam illorum Imperio semet subtraxerunt, præ cęteris Vniuersalibus legibus fuerunt æstimatæ semper; vnde & locus illarum pręlectioni communiter in Vniuersitatibus concessus. Pijssimum *praterea* fuisse *Iustinianum Imperatorem* habetur dilucidè ex Epistola *Nicolai Papæ* ad *Michaelem Imperatorem*, & ex *Adriani* 4. Epistola ad *Federicum* 1. Illiusq; Leges ab ipsis Romanis Pontificibus & verbis, & vsu ipso approbatas fuisse, patet ex Historijs, Sacrisq; Canonibus. Cum autem aliqui postea Canonistæ, ac Theologi inuehere cæperint in *Iustinianum*, quod tulerit leges de rebus, in quas potestatem non haberet, earumq; legum nullam esse vim scripserint; imò & aliqui recentiores impietatis accusent hunc Imperatorem, punitumq; esse à Deo addant, eò quòd tales tulerit leges: *Iuris Ciuilis studiosi* erit *Iustinianum* suum tueri, eius laudes ex probatis Auctoribus, ac præsertim Ecclesiasticis, nominatimq; Romanis Pontificibus commemorando, illumq; excusando, quod complures tulerit leges, *vel* ex approbatione, & consensu Romanorum tunc Pontificum, *vel* ex eo quod censuerit sibi esse illas condendi facultatem, cum illas ad Fidem non spectare, nec Spiritualem Ecclesiasticorum Iurisdictionem à Christo Domino tributam tollere opinatus fuerit. An autem re vera aliquas ex illis, quæ ab imperitorum vulgo repreheduntur, condendi habuerit potestatem, est modò etiam inter pijssimos, ac Doctissimos Canonistas, atq; Theologos controuersia. 17. *Cum Codex nouus Iustianæus* simul cum *Digestis, Pandectis, Nouellis, Institutionibus &c.* modò prælegatur in Vniuersitatibus, ac Scholis; hosce libros quam emendatos habere curet vna cum *Glosis*. In antiquioribus quidem Codicibus multa asteriscis, & obeliscis dispungenda, multa inuertenda, pleraq; aliter interpretanda, quam superiorum ætatum Iurisconsulti docuerint, facilè intelliget, qui versatus erit in lucubrationibus *Bo ognini, Zazij, Alciati, Haloam &c.* Scriptorum, Correctorum, Impressorum, Interpretum &c. Vitio plurimi errores, sensum etiam immutantes, in leges ipsas irrepserunt; Vnde & datus plurimis nouis interpretationibus locus, ex quibus integri etiam libri conscripti. 18. *Norit, quo tempore à Iustiniano* quicumq; Legum libri editi, ac promulgati fuerint: Peculiariter verò animaduertat, *Nouellas* vltimo loco editas, ex quibus complures in *Codice* mutatæ fuerunt leges. Et has circiter 240. recenset *D. Oldendorpij Index*, in quo quinque sunt *Columnæ*; Quarum 1. *indicat Codicis Librum.* 2. *Titulum.* 3. *Legem Mutatam.* 4. *Constitutionem Mutantem.* 5. *Paragraphum*: & hæ, quæ in *Nouellis* habentur, alijs potiores, hisq; standum videtur. 19. *Perspectas etiam* habeat leges, quas potest, ex *Gregoriano*, & *Hermogeniano Codice*; integrumque *Codicem Theodosianum* euoluat; hinc enim exactiorem notitiam *Iustinianæi* Co-

dicis

dicis assequetur, prȩter priscarum legum cognitionem &c. 20. *Habeat etiam notas* Vitas *Cæsarum* sub quibus leges conditæ fuerunt, ac *Iurisconsultorum*, quorum consilio illi eas tulerunt leges, vel quorum *Responsa*, tanquam leges, approbarunt; nam ex horum inscitia factum est non semel, vt viri etiam cȩtera legum Ciuilium peritissimi decepti fuerint, & in labyrintheas difficultates inciderint, non *Iurisconsultorum fragmenta* ab *Appendiculis Compilatorum* distinguentes, sed *Appendiculas* huiusmodi *Compilatorum* eiusdem esse Auctoris, cui lex adscribitur, arbitrantes. *Hæ* verò *Appendiculæ* licet additæ fuissent ab his, qui *Iustiniano* iubente ex varijs *Prudentum Responsis*, varijsque *Responsorum fragmentis* Leges composuerunt, ac in ordinem redegerunt, nō tanquam leges habendȩ. Hinc emendi sunt libri Legum, in quibus huiusmodi Compilatorum *Appendiculæ* à legibus ipsis legantur distinctȩ. 31. *Cum Iustianeæ* leges *Græcè*, & *Eliganter* fuerint conscriptȩ, ad earum vim, ac energiam cognoscendam conducet valde Grȩci idiomatis cognitio, & *Græci textus* cum *Latino* collatio, neque enim hic semper illi perfectè congruit: Sin minùs linguam calleat Grȩcam, saltem exemplar Latinum habeat ex correctioribus; neq; parcat sumptui in emendo exemplari Latino ex correctioribus; secus enim multa ignorabit, ac in multis errabit. 22. *Iustinianæos Institutionum libros* attendat se haud posse intelligere perfectè, nisi post diuturnum cæterarum Legum studium, quarum quasi omnium videntur illi *Quatuor libri* esse *Summa*; adeoque earum Professorem non minùs saltem, quam cæterorum librorum Lectores, in legum Ciuilium scientia debere peritum esse, tanquam verissimum censeri possit. Ad ea, quæ illis Quatuor continentur libris, memoriæ mandanda, ac discenda erit opportunum habere præ oculis *Arborem Institutionum Iustiniani*, Titulorum seriem, ordinemq; exhibentem. *Aliqui existimant* quidem, maiorem in Ciuili scientia progressum forе, vt quicunq; faceret, si post *Dialecticæ Ciuilis* studium euoluens *Institutionum* libros edisceret tantùm significationes Vocum, quas Legistæ peculiariter vsurpant, & quarum ibi peculiaris mentio fit. Res hæc grauissimi est ponderis, & tum in Docente, tum in Discente diligens exigit studium. Aptior, ac laudabilior quidem erit Professor, qui harum vocum exactiorem tradiderit significationem; Ac se multum iam profecisse in Ciuilium Legum scientia arbitretur ille, qui Vocum, quæ in Iustianæarum Institutionum Libris leguntur, notitiam fuerit assecutus. Et hoc quidem tempore *Titulus de Significatione Vocum* repositus in ff. esset diligenter euoluendus. Nisi Significationes Vocum Legistarum proprias rite animo consignauerit, in Primis quidem errabit scientiæ Ciuilis Principijs. Aduertat verò, non solum eiusdem Vocis significationem sæpè *aliam* esse apud Dialecticos

lecticos Philoſophos, ***aliam*** apud Dialecticos Legiſtas ; ***aliam*** apud Canoniſtas, ***aliam*** apud Legiſtas ; ***aliam*** eſse ſignificationem Communem, ac Popularem, ***aliam*** Ciuilem, ac Legiſticam ; verùm etiam apud Legiſtas ipſos variam eſse eiuſdem Vocis acceptionem; ex quo variæ, ac multiplices inter Legiſtas Controuerſiæ extiterunt, ac exiſtunt, quæ in quæſtiones de nomine tandem reſoluuntur. Has vitabit facilè, qui ſignificationes Vocum, & quæ fuerint multiplices, notas habuerit ; ideoq; *Lexicon*, ſiue *Nomenclatorem*, qui ad eas indcandas confectus fuiſset, pręter *Lexicon vtriuſq; Iuris*, diligenter euoluendus, vbi ocurrit aliqua legiſtica vox. Ipſe autem cum ſapientioribus Legiſtis, & qui auctoritatem habuerunt imponendi voces rebus ad ſcientiam Ciuilem ſpectantibus, illamq; ſignificationem, vel minuendi, vel ampliandi, loquatur. *Lexicon vtriuſq; Iuris* iam editum, tum à Canoniſta, tum à Legiſta eſſet emendum. 23. *Vtile foret* valde, vt quis ante cætera ſtudio vacaret eorum, quæ in *C. lib. 1. tit. 17. de Leg. & Conſtit.* atq; in *ff. lib. 1. t. 3. de Leg & Sen. Conſ.* reponuntur, vnaque vacaret etiam ſtudio Tractatus *de Legibus in Communi*, qui Theologorum nobilium libris inſeritur; exactiorem enim hinc Ciuilium quoq; Legum notitiam acquireret. 24. *Caueat, ne in illa*, quæ ſunt *Theologorum* propria, ſemet intrudat, ac de illis iudicium velit ferre; pręterquam enim certę Sapientiorum illuſioni ſemet exponet, in multos, graueſq; errores facilè labetur, eoſq; alijs reddet communes. Nec ipſe diſcutiat, ſed intellectum ſuum ſubijciat illis omnibus, quæ ſinceri, pijq; Theologi vnanimiter cenſent pertinere ad Fidem ſiue eſse fidei Dogmata ; & ſi quando de nonnullis, quæ videntur ad Theologos ſpectare, interrogetur, vel etiam in Legibus reperiantur aliqua, quæ ſcientię Theologicæ viderentur propria, Theologos cōſulat peritiores, ac ſinceriores, magiſq; pios, ac præcipuè illos, qui verſati ſint in Sacra Scriptura, Diuinis Traditionibusr S. Patrum libris, alijſq; locis Theologiæ proprijs. *Si Chriſtianus eſt*, pro certo habeat, omnes planè ſcientias veræ Theologię ſubordinari, ita vt quæcumque effata Theologiæ verę Principijs oppoſita ſint planè Falſa; ac ſophiſticę ſint, apparenteſque ſolùm omnes, nedum *Iuris Ciuilis*, verū etiam *Canonici* ratiocinationes illi aduerſantes. 25. *Legum Ciuilium Principia* teneat exactiſſimè, & ante cętera, *Quid & Quale, & Quotuplex* ſit *Ius Naturale; Ius Diuinum*, ſiue hoc ſit *Naturale*, ſiue *Poſitiuum*; *Ius Gentium*; & *Ius Poſitiuum Humanum*, tum *Canonicum, tum Ciuile*; In Quibuſnam circumſtantijs *Aliquorum Iurium per ſe Naturalium* obligatio videatur ceſſare ; *Quondam* Ius *Naturale alteri* præualeat; Quænam ſint *Actiones Intrinſecæ Malæ*, ita vt in nulla prorſus circumſtantia poſſint eſse laudabiles, honeſtæ, bonæ &c. 26. *Ne in acquirenda* cognitione complurium, quæ in Ciuilium

Legum

Legûm libris leguntur, multum desudet ; aliqua enim sunt leuissimi ponderis; aliqua ad praxim modo nihil cõferunt prorsus, cum certi mores, ac ritus modo exoleuerint. In his legibus, quarum cognitio ad eruditionem solum spectat, tantùm impendat tempus, quod necessario, ac vtiliori studio subtrahi potest, horas subcesiuas &c. In præcipuis Quęstionibus, & quæ sunt veluti Cardines scientiæ modò Ciuilis, & quæ ad Praxim hodiernam conducunt, quam maximè operam collocet. Sicuti *Canonistæ* studium inter cętera versari debet in *Decret.* de *Constit.* de *Indic.* de *Rescript.* de *Probat.* de *Sponsal.* de *Diuort.* de *Præben.* de *Simon.* alijsq; huiusmodi : Ita *Legistæ* studium prę cęteris reponendum in Tit. de *Edend.* de *Offic. eius si cert. petat.* Qui *admit.* solut. *matrimon.* De *Verb. Obligat.* De *Legat.* & *Fid. Comm.* De *Testam.* De *Acquiren. Rer. Domin.* De *Acquir.* vel *Amit. Poßeß.* hisque similibus. 26. *Regulas* Iuris intelligere nitatur cum *suis Limitationibus.* Illę quidem benè perceptę prętter alia commoda arguendi, & concludendi materiam prębent multiplicem. Verùm prętter *Iuris Regulas* in *ff.* recensitas, alias ex ipsis legibus depromat, quas ad Capita quędam, siue Locos quosdam reuocet. Sin minùs, fruatur labore, quem Eruditissimus Vir iam suscepit in reuocandis Axiomatibus, quæ collegit pręcipuè (nam nonnulla desumpsit e Sacris Canonibus) ex Ciuilium legum libris, ad 27. locos, in quorum vnoquoque plura reposuit Axiomata. In *Voce Actus* 68. *Bonum*, & *Malum* 18. *Benignitas, Æquitas, Rigor* 15. *Causa, Causatum, Effectus* 62. *Correctio* 25. *Determinatio* 10. *Dispositio* 43. *Extensio* 22 *Exemplum* 14 *Expressum, Tacitum* 23. *Factum* 33. *Fauor*, *Odium* 20 *Forma*, *Solemnitas* 20. *Frustra* 18. *Genus*, *Species* 57. *Lex* 65. *Multa* 30. *Ordo* 15. *Par Paria sunt* 110. *Principium, Finis, Infinitas, Exitus* 57. *Publicè interest* 14. *Qualitas, Accidens subiectum* 33. *Ratio* 49. *Verbum* 108. *Veritas, Falsitas, Opinio* 42. *Voluntas*, Mens, *Intentio, Propositum* 62. *Vltimum, Extremum* 10. Ex hisce Axiomatibus, quæ sunt circiter 1030. si aliquis in singulos dies tria, vel quatuor edisceret, cum recognitione legum, à quibus illa sunt desumpta, vt intelligeret ad quem finem illa inducta, commodum ingens reportaret ad multa etiam ex improuiso propugnanda, vel oppugnanda. *His* pręmittenda videtur, Cognitio *Regularum* circiter 86. quæ ad verba, siue verbatim collecta sunt ex Imperatorum, siue Cęsarum, ac Prudentum *Responsis*; Quas licet quisq; posset facilè ex ipsismet Legibus, dum eas legit, seligere, ac describere: Cum tamen hic labor iam ab alijs susceptus fuerit, satis erit eas memorię mandare: Verum vt cum fructu id fiat, euoluendę leges, ex quibus illę desumptę. 27. *Hæc in cuiusq; fermè legis* studio attendat maximè. *Primò* intelligat significationem vocum, quibus talis lex comprehenditur; nam leges scire non est verba earum tenere, sed

vim ac potestatem. ***Secundò*** compendiosam totius materiæ, in qua versatur lex, declarationem, præ oculis habeat. ***Tertiò*** Connextionem, si datur, talis legis cum præcedenti teneat. *Quartò* scindat legem, siue diuidat, si separabilia insint, & maximè si varij Casus eadem lege deciderentur, ad confusionem vitandam. *Quintò* Casum, siue Casus legis planioribus, & clarioribus exprimat verbis. ***Sexto*** Vniuersam Legis sententiam in Epitomen reducat, siue Casum in lege latiùs narratum breuioribus comprehendat vocibus. ***Septimò*** Causas talis legis indaget; ***Efficientem***, siue Quis eam tulerit cum circumstantijs ***Temporis, Loci &c. Materialem***, siue materiam, de qua lex statuitur; ***Formalem***, siue Quid verè iubeat, vetet &c. ***Finalem***, siue propter quid, & propter quos talis Lex condita &c. ***Octauo*** In interpretatione legum vitet subtilitatem nimiam, vitiosam interpretationem, & quæ rei gerendæ inepta est, & quæ facit legem inutilem &c. ***Nono*** In dubio de Ratione, vel Mente legislatoris, quod verosimilius est, sequatur; sensumq; Iustiorem, siue Æquiorem, vel Humaniorem amplectatur. ***Decimo*** Mentem potius, quam Verba legislatoris attendat: Similiter etiam, magis Res, ac sensus, quam Verba spectet: At cum in Verbis nulla est ambiguitas, non admittat Voluntatis quæstionem, sed potius Rationem, siue Rationes inuestiget. ***Vndecimo*** Omnes Voces, ac particulas obseruet; neque enim Verba debent esse otiosa, sed ita intelligi debent, vt aliquid operētur; & hinc improprianda, si in propria significatione operari non possunt. ***Duodecimo*** In ambiguis verbis, cum saltem vt plurimum non vtrumq; intendat legislator, aliunde quid intendat solùm, indaget, eaq; semper iuxta intentionem loquentis accipiat. ***Decimo tertio*** Verba impropriet; ne Actus reddatur inutilis; vt Actus naturæ deseruiant; vt conueniant materiæ, de qua agitur; ne præiudicium tertio inferant; ne quid minùs iustum decreuisse, vel asserere videatur legislator. In dubio autem à propria significatione non recedat. ***Decimo quarto*** Verba Generalia non extendat ad incognita; Restringat verò ad omnem vitandam absurditatem; ex ratione & maximè in specie; ex verisimili mente disponentis; ad terminos habiles; ad casus verosimiles, ac minimè odiosos &c. 28. ***Ne ex eo***, quod in ***l. non omnium ff de leg.*** dicatur, ***Non omnium, quæ à Maioribus constituta sunt, Ratio reddi potest***, sibi suadeat, vnquam inuestigationem rationis in Legum studio omittendam esse: ***Tum quia*** ad summum lex illa ait ***non omnium***; quare non excludit in plerisque indagationem rationum: ***Tum*** quia in Legum earumdem Ciuilium libris legitur, ***Animam*** legis esse Rationem; ***Per*** Rationem haberi Veritatem; ***Cessante*** Ratione legis cessare legem; ***Omne*** dictum à sua Ratione regulari, ac per rationem ampliari, & limitari; hisque similia multa, tum à le-

gibus, tum ab vtriusque Iuris Consultissimis proferuntur. Quare illud pronunciatum intelligendum; *vel* de Rationibus, siue Caussis Impulsiuis; *vel* in quibusdam arbitrarijs omninò, vt in temporibus, ac numeris, & Glosa ibi affert exemplum de Vsucapione; neque enim potest reddi ratio, cur à lege ad hanc statutum fuerit potius triennium, quam biennium, aut quadriennium; ac præterea in quirea in quibusdam pœnarum generibus, siue pœnalibus legibus; *vel* significatur non posse reddi semper aliquã rationem Generalem, ac Necessariam; siue non posse assignari semper concludentem, aut euincentem Rationem &c. Quare Rationem, siue Rationes per se indaget illarũ legum, quę eam, siue eas non habent expositas: adeoq; *Causam Finalem*, siue Causas finales præ cæteris perquirat caussis: Nam ex Finali solet Ratio legis deduci. Sufficit autem, vt sit *Probabilis* Ratio; neque enim necessaria sæpè poterit apparere: nec in Moralibus his Mathematicæ, vel Physicæ Demonstrationes quærendæ, ideoq; etiam nimia subtilitas in Moralibus vituperabilis. *Meminerit* quidem, eos qui leges condiderunt, fuisse sapientissimos, & qui sciebãt eas imponi hominibus, qui non erant rationis expertes, imò & compluribus, qui Ratione plurimum valerent. 29. *Quamuis dicatur*, Cessante ratione *Finali* legis *Cessare ipsam legem*; videat tamen, an aliqua lex plures habeat Causas Finales, quod in dubio præsumendum; nam tunc non cessat lex saltem omninò, dum vna *Finalis* deficit, nisi ambas verosimiliter præsumatur, prout simul iunctas, solum mouisse legislatorem ad eam ferendam legem. Multò minùs, si cessent omnes *Causæ Impulsiuæ*, remanente vna tantummodò *Finali*, per se cessat lex. 30. *Nouerit, Non sine lege loqui*, qui *Rationem* adducit. *Nam lex* est quicquid in Ratione consistit: *Ratio* est ipsa lex: *Ratio naturalis* habet vim legis: *Dispositio* Generalis per Rationem restringitur: *Pręstantior* est lege Ratio: nam hæc illius Regula est. Istaq; hisque similia pronunciata non ne habent legum ipsarum volumina? 31. *Dũ alicui textui* videat aduersari vnanimiter Doctores, si illius cognitionem habuisse Doctores appareat, licet illi responsionem non attulerint apertam, cum aliqua Causa, & ratione ab eo recessisse præsumendum est; quæ inuestiganda. Si autem appareat illius cognitionem haud habuisse Doctores, tunc potius textui standum; cessat enim præsumptio veritatis, ac pręsumitur Doctores, si illum vidissent, futurum fuisse vt illi starent &c. 32. *Cum fatua sit Quæstio*, quæ *non habet rationem dubitandi*, ac Multis Legibus, illarumq; Rationibus aliqua, nec leuia, opponi possint sæpissimè; his vel ab alijs rellatis, vel etiam à se ipso excogitatis probabilem Responsionem afferre conetur. Id autem non præstet circa leges, quas sciret iam abrogatas, vel nulli planè vsui futuras; esset enim temporis dispendium,

dium, nullumque inde emolumentum &c. Mentem legislatoris tanquam iustam, ac rationabilem tueatur, licet Verba minùs iustitiæ, ac rationi viderentur esse cōformia. *Nunquā præsumitur* Princeps irrationabilia concedere, multoque minus statuere. *Menoch. lib. 6. Præs. 31. n. 4.* 33. *Ex Casibus specialibus*, siue *indiuiduis*, ac singularibus Legum Decisionibus, quę solas *facti* species respiciunt, Regulas Generales deducat ad omnes Casus similes; tum *Quæ* ex verbis ipsis Legum (quod est facilius) habentur; tum *Quę* solum ingenij viribus colligi queunt ex illarum mēte, ac ratione tacita, imitatus in hoc *Bartolum*, ac *Baldum*. Idem præstiterunt Antiqui etiam Legum Interpretes *Irnerius*, *Pileus*, *Martinus*, *Bulgarus*, *Lotharius*, *Placentinus*, *Hugolinus*, *Rogerius*, *Aldricus*, *Ioannes*, *Azo*, *Accursius &c.* Has autem omnes Regulas seponat, ac describat, sed quam breuissimas. Et in hoc quidem pręcipuam collocet operam scientiæ Ciuilis studiosus. 34 *Cum in Lege aliqua*, aut in *Glossis*, aut in celebrioribus Doctoribus *Regulam aliquam*, vel *Sententiam*, vel *Enuntiatum aliquod* singulare, vel opinionem aliquam non obuiam, vel quid simile calamo dignum, ac memorię commendandum legerit, calamo describat, vt memorię consulatur. *Materiarum sedibus* antea constitutis sub congruis locis, ac titulis, ita vt ad hęc, quę *Indices*, siue *Repertoria* solent appellari, pro re nata confugere possit. Reperiuntur quidem aliqua à Doctissimis Viris cōfecta Repertoria, in quibus est legere Doctorum opiniones, vel Regulas plures excerptas ex legibus, & celeberrimis Doctoribus nonnullis &c. Horum beneficio legitur *Cardinalem Seraphinum Oliuarium*, qui quadraginta tres annos Romę Romanę Auditorem siue Assessorem magna cum omnium commendatione egit, & cuius Decisionum libri editi in multo solent habere pretio, non dubitasse asseuerare, hominem vel mediocris ingenij, qui nihil nisi Ciuilis scientię propria Vocabula, siue Terminos intelligat, non triduo, quod de se Cicero promittebat, sed tribus horis Iurisconsultum se professurum. Nullus quidem insignis in hac scientia Vir huiusmodi Repertorio destitutus fuisse, vel esse videtur; Attamen vt vtilitatem quam maximam afferat, labore proprio contexendus, ac efformandus. 35 *Cum miserrimi sit ingenij*, qui nō nisi inuenta lege, aut decisione, propositæ sibi quæstionis nodos soluere nouerit, *Communes locos Argumentorum* in Materia Ciuili notos habeat, quorum plerıq; ab ijsdem legibus desumpti sunt, eosq; diligenter verset; sic enim leges alijs casibus prę scriptas nouo, qui proponitur Casui, applicabit, per locum nunc *ab absurdo*, nunc *ab identitate rationis*, nunc a *similitudine facti*, nunc a *speciali*, nunc *ab opposito*, nunc a *cessante ratione &c.* Hi loci plusquam 100. numerari solent, in quorum vnoquoq; plura plerumq; reponuntur Axiomata: Locum autem *à Paritate*, siue *similitudine facti*, vel

Rationis maximè attēdat; hunc enim frequenter adeò vsurpant etiam ipsæ leges, vt plusquam centies, ac vicies eas hunc vsurpasse iam locum nonnullus animaduertat. Et certè plurima nequeunt probari, vel impugnari, vel decidi, nisi attenta sedulò *similitudine* Facti, vel Rationis &c. 36. *Disputationem modestam*, cuius finis *sit Veritatis* inquisitio, amet; prçterquam enim disputando veritas inuenitur, vel saltem veritas hinc inde sçpius agitata, magis elucescit; ingenium obtusius acuitur, acutum magis intenditur, rerum memoria confirmatur, lingua politior redditur, promptitudo, & audacia quædam laudabilis acquiritur: Semper autē disputatio coram Viro Doctiore habeatur, qui propositas dubitationes clarius soluat, controuersiam solidè dirimat, legis rationem luculentius explicet &c. 37. *Cum tot sint* Ciuilium Legum interpretes, ac scientissimi, eos eligat, quibus primę deferuntur partes a cōmuni Iuris peritissimorū suffragio, prçter *Irnerium* scilicet, qui *Instaurator*, ac *Lucerna Iuris* appellatus fuit, *Bartolum*, & *Baldum*; *Castrensem*, *Alexandrū*, *Iasonem*, & *Ioannem ab Imola*, qui *Doctor Irrefragabilis* appellatus, ac nunquam hallucinatus dicitur, fuitq; *Alexandri & Aretini* magister: Et *Bartolus* quidem in *Iure Dicendo*, siue in *Digestorum legibus*; Baldus *in Forensibus Decisionibus*, siue in *Cæsarum Sanctionibus* imitatus Cinum; *Castrensis* in *Explanatione Iuris*; *Alexander* in *Opinionibus enucleandis*; *Iason in ordine*; *Imola* in *Causarum*, *ac Rationum cognitione*, *difficilium articulorum explicatione*, ac in *legum explicatione* excellere feruntur. *Baldum* secuti sunt *Salycetus*, *Faber*, *Corbetus &c. Bartolum Angelus*, *Imola &c.* Hos frequenter euoluat, videatq; in quo hi consentiant, ac dissentiant, & quid vnus ab alio acceperit. 38. *Inter antiquiores* Consiliorum libros præponat alijs cæteris paribus ab *Ancharano*, & *Romano* ob legum copiam, sermonisq; breuitatem, & ab *Alexandro*, *Romanoq*; editos propter opinionum cumulos. Animaduertat verò, minorem infidem dandam Auctoribus, dum Consilia scribunt, quam dum Ius interpretantur, siue Commentarios in Ius Ciuile scribunt; nam ad eorum videntur se accommodare genium, pro quibus Consilia dant, possuntque à pecunia, vel alia simili extrinseca causa aliqua compelli ad nonnulla interpretanda, vel asserenda non adeò legitimè; quod non solet præsumi, dum Ius interpretantur. In Pluribus quidem huiusmodi Consiliorum libris plurimorum Legistarum ingeniū mirificè elucet. 39. *Cum peculiares tractatus* de vnaquaq; ferme materia Ciuili à celeberrimis Iurisconsultis conscripti sint, eos habeat omnes, vel saltem illos, qui magis necessarij sunt, editique à celebrioribus præ alijs Iurisconsultis: Plures enim de eadem scripserunt materia, sed aliqui cum maiori, aliqui cum minori laude. Et Recentiores quidem nonnulli in hisce Tractatibus non paucis, multis præferendi

anti-

antiquioribus. Ab his quęstiones ad tales spectātes materias exactius solent examinari, quam ab alijs , qui ex instituto de illis non agunt. 40 *Enitatur benè vnā legem, eiusq. rationem intelligere*; nam facilè aliarū legum etiam cognitionem assequetur; similiterq; peritiam acquirere vnius materiæ Ciuilis exactam pro viribus, nam facilè in alijs materijs similem acquiret notitiam. Sciat autem, nunquam alicuius Ciuilis materiæ eam, quæ par est, cognitionem adepturum sine plurium quoque aliarum imperfecta saltem, & quandoque perfecta notitia; Multæ enimuerò sunt inter se ita connexæ, vt vna sine alia satis percipi non possit. 41. *Magni estimet Decisiones*, quę à *Senatibus*, *Parlamentis*, *Rotis*, alijsq; simul coactis Viris, ac illis, qui *Præfecti* fuerunt Senatibus, Parlamentis &c. habitæ sunt. Hæ particularium Decisionibus, ac Opinionibus per se præferendæ. *Leges etiam Municipales* celebrium maximè Prouinciarum, Ciuitatum &c. multi etiam faciendæ: Imò hę prę oculis habendæ simul cum illarum Praxi, & Rescriptis Particularibus Principū, vel Magistratuum ad eas spectantibus, vt quis particulares Casus in huiusmodi Prouincijs, ac Ciuitatibus occurrentes aptè soluere possit; *simul attendendo*, an illæ derogent Iuris Ciuilis Communibus legibus interdum, an illas limitent; *an leges* Iustianeæ ibi receptæ, siue omnes, siue aliquæ solùm (Nam & *Sextus Decret.* nō est receptus in omnibus locis, in quibus recepti alij *Quinque*) & secundum illas iudicetur; *Quinam* fuerit stilus iudicantium ibi &c. Recordetur tamen, leges omnes, si Leges sunt, Conformes rectæ Rationi esse debere. 42. *Sollicitè animaduertat* circa Auctorum Citationes. *Primo* An legitimæ illæ sint; *interdum* enim afferuntur aliqui, qui in contrariam potiùs abierunt sententiam; has autem auctoritates vnus ex alio describit: Quare nisi moraliter certus sit de fidelitate referentis, Auctoritates maximè grauiores in suis ipsismet Auctoribus recognoscat. *Secundo* Quorumnam sint; *nam* vnius auctoritas Viginti, & Quinquaginta præualere potest. *Tertio* Ad Quid. *Afferuntur* enimuerò nonnullæ, quæ ad propositā difficultatem haud spectant. *Quarto* An Auctores per transennam, & incidenter, an ex professo de tali egerint quęstione. *Quinto* An Auctores alibi eam retractauerint sententiam, ac in libris posterioribus alteri adhęserint sententię. *Sexto* An Auctores locuti fuerint secuti aliquam legem, vel consuetudinem particularem talis Prouinciæ, vel Ciuitatis, in qua scribebant &c. 43. *Sæpe animo euoluat*, Ciuilium legum scientiam non inniti Auctoritati vt sic celeberrimorum quorumcumque Iurisconsultorum, sed Rationi; & Rationes quidem plerumque saltem e Philosophia Morali desumi, quæ tandem in Principia Prima Moralia lumine naturæ nota resoluuntur: *Hanc præterea Scientiam* non mediocre ingenium, sed summum potiùs, ac vegetum exigere, quo præstan-

ſtantiſſimi Iuriſconſulti, ac præſertim antiquiores abſq; dubio fuere præditi, in quibus mirari eſt ſæpe non minus clara ingenij lumina, quam in multis etiam Philoſophis, ac Theologis illuſtribus. Poſteriores quidem nonnulli hanc quaſi infamiam nobili huic facultati inuſſerunt, vt iam a multis haud inter Scientias numeretur, Auctorum numero dumtaxat ſua dicta confirmantes, quod *Aſinini* potius *geny*, quam *Philoſophici ingenij* argumentum eſt. Vbi quis in horum lectione librorum diu deſudauerit, non niſi ad ſummum Humanæ fidei habitum acquirit. *Summam* enimuerò cōſequetur laudem ille, qui ſimul ad concludendum, vel decernendum affert Rationem, & Auctoritatem. 44. *Cum inter etiam celebriores Iuriſconſultos* de præcipuis quoque Ciuilium Legum materijs grauiſſimę ſint controuerſiæ, Opinionem eligat, Quę *melioribus innititur Rationibus*, Quæ *Iuſtitiæ*, ac *Æquitati Conformior*; Quę *verbis*, legum *mentiue* legiſlatorum Cōformior &c. Cum autem de his quoq; dubitatur, illa ſeligenda, quæ ſapientiorum ex communi Doctorum ſenſu Iuriſconſultorum ſuffragio magis comprobata. 45. *Vtile erit* habere notas Leges, quas ad Politicam gurbernationem ſpectantes in Veteri lege *Deus* tradidit; quas ante Chriſtum natum præcipui tulerunt legiſlatores, vt *Solon*, *Lycurgus*, *Numa &c.* & quas Romani nominatim ſeruandas decreuerunt. Ex his illuſtrare poterit leges Communes, vel Municipales &c. *Vtile quoq;* erit ſubceſiuas horas in *Poetarum, Oratorum*, *Hiſtoricorum*, aliorumq; eruditorum librorum lectione impendere. Celeberrimos quidem Iuriſconſultos multiplici eruditione ſuos de Ciuili materia libros adeo colluſtraſſe liquet, vt ſecerni nequeat, an magis in Ciuilibus legibus, an verò in Eruditionibus excelluerint; & ex illis quidem nonnullus fuit celebris Poeta: *Nec negari poteſt*, quin hæc ad illuſtrandas Ciuiles leges valde conducant: Imo in arbitrarijs Cauſis *Philoſophorum, Medicorum, Oratorum, Poetarum &c.* auctoritas afferri poteſt, vt id quod propoſitum eſt, probabile reddatur; Quod patet ex ipſis etiam Ciuilium legum libris: qui oſtendunt quoque, *Adagiorum*, ſiue *Prouerbiorum* Vſum apud Iuriſperitum laudabilem eſſe. Exempla quoq; Virorum, qui ob Actiones laudem, aut vituperationem ſunt conſecuti ſaltem publicam, ſi ad rem afferantur ab Iuriſperito, auctoritatem illius verbis conciliant: Caueat tamen, ne nominatim ita Poeſi ſe tradat, vt tempus Ciuilium legum, vel Cauſarum, quarum patrocinium ſuſcipit, ſtudio dicandum, in Poeſi impendat, vel impendere putetur, nam facilè amittet clientes &c. 46. *Quæ ſint Iudiciorum ſubſtantialia*, curet exactiſſimè intelligere; hæc autem plerumq; a recentioribus Iuriſconſultis ignorari illuſtriſſimi ſcripſere Iuriſconſulti; ac nominatim, *Quid ſit Litis contestatio*, ſiue *Quid litem faciat*, ſiue *Quis totius Cauſæ ſtatus ſit*; ex huius enim ignorantia

rantia

rantia lites euadunt diuturnissimę, multiplicantur &c. Nesciunt enim Iudices sæpe, *Quando* disputationes in Causa permittendæ, *Quando* inhibendæ: *Aduocatis* in *infinitum* disputandi licentia conceditur: *Non semel, sed sæpius*, ac leuissima ex causa *Dilationes* dantur, cum tamen leges concedere videantur semel Dilationem, aut bis ad summum, idq; magna ex causa, vt probationum, si videlicet instrumenta ex aliqua Prouincia deferenda sint, vel testes producendi &c.

47. *Animaduertat*, communem plane omnium Doctorum Iuris Ciuilis, imò & Glosatorum (licet hæc multi facienda, ac per se præ cæteris) opinionem haud vim legis obtinere, ita vt ab illa recedere non liceat, illi enim probabilem tantummodo reddunt sententiam, non vero certam, ac indubitatam; cui etiam cum laude aliquando poterit quis refragari, si rationem habuerit non leuem. Insertæ a *Iustiniano* Pandectis Iurisconsultorum sententiæ, aliaque sapientum responsa, quæ in Ciuilium legum libris leguntur, vim legis obtinent, eo quod Imperator sic statuit. Sciat autem à Iurisconsultis illustribus editos fuisse libros, qui continent *Opiniones Communes* contra *Communes, Singulares &c.* nec esse communem, vel communiorem opinionem, pro qua plures numero, sed pro qua plures sapientia Scriptores stant, ac *singularem* vnius celebris Doctoris sententiam posse meritò præferri interdum cæterorum omnium opinionibus &c.

48. *Quæ sint Iustitiæ Commutatiuæ, Distributiuæ, ac Punitiuæ* Partes edicat, harumq; virtutum actus tum exerceat ipse, tum alijs suadeat: Si vllus humanarum scientiarum peritus excellere debet in Iustitia, maximè Iurisconsultus. Quo minus iustum prębeat consiliũ, iustam ferat sentẽtiam, à nullo alliciendus est pręmio, à nullo deterrendus est metu. Si in publico aliquo constitutus sit munere, intelligat; iustitię limites nunquam se prætergredi posse, quos si prętergrediatur, restitutioni damnorũ, quæ illata sunt cuique, se coram Deo obnoxium fore: & non raro fieri posse, vt ipse tanquam Consiliarius teneatur magis principaliter, quam ille cui est à Consilijs, ad restitutionem damnorum omnium, quæ integris quandoque Ciuitatibus, ac Prouincijs, Regnisq; ne dum Familijs ex minus æquo consilio importari queunt: Atq; cum leges statuant plura in fauorem *Pauperum*, ac *Miserabilium Personarum, Viduarum, Orphanorum &c.* horumq; causas nominatim cęteris fauorabiliores esse decernant ipsæ leges, norit se grauiùs peccaturum adhuc, si magis Diuitum, ac Potentum Causis minus æquis contra illos, quorum a legibus ipsis *Piæ* dicuntur *Causæ*, sententiam ferret, vel illis haud fauendum consuleret: Caueat, ne illud comprobari possit a[illegible]pto gestis, *Iudicum sententiæ Venales; Omnia in Iudicio Venalia; Pecu[illegible] omnia obediunt.* Non solum ipse ius suum cuiq; tribuat, verum etiam vt ab vnoquoque idem præstetur, omni

opera

opera contendat, vt hinc tranquillitate vniuersa frui possit Respublica. Imò ita Iustitiam, Iusq; aliorum tueatur, vt nec *Motum Proprium* Principis, nec Clausulas ex *certa Scientia*, ex *Plenitudine Potestatis*, aliasq; similes, si dantur, efficaciores, insertas *Rescripto*, tollere ius tertio quæsitum (*multoq; minus* Ius Naturale, quod aliquis haberet, cui nulla plane lex positiua à quocumque legislatore lata derogare potest) censere plerumq; saltem debeat, sed presumere potiùs, tale Rescriptum per *Importunitatem*, vel per *Obreptionem*, vel per *Subreptionem* obtentum, teneaturq; illud, tanquam nullum habere: de quo inter cæteros e *Canonistis* legatur *Seraph. dec.* 1082. *n.* 9. qui ait, ita etiam decisum fuisse coram *R. P. D. Blanchetto* in vna Mediolanensi *Fructuum* 24. *Apr* 1592. Ac e Legistis *Vdalricus Zasius tom.* 6. *Oper. lib.* 2. *Consil.* 10. qui in Camera Imperiali Spirensi Imperatorum huiusmodi Decretum se de nullitate arguisse ostendit &c. Sola eorum taciturnitas, quibus Princeps non rescripsisset, vitiat *Rescriptum*, redditque nullum vt *Rot. in dec. nou. dec.* 32. *n.* 5. *de Rescrip.* habet: *Adeoque* tanquam Iniusti Iudices accusandi, imò & puniendi forent, qui huiusmodi literas, vel Rescripta executioni mandarent, vel vt executioni mandarentur, laborarent. *Numquam* non iustarum causarum patrocinium suscipiat, multoq; minus cauillationes, falsitatesq; ad tuendam minùs iustam causam adhibeat, memor se teneri posse tunc ad restitutionem damnorum quæ inferrentur, vel clienti non monito de iniustitia Causæ, si contra illum sententia ferretur, vel aduersarijs, si contra illos causa adiudicaretur. Moneat, suffragiumq; ferat semper, vt in probitate, in doctrina, vel alijs in artibus prestantes viri honoribus, premijsque sibi congruis afficiantur, & quo prestantiores, eo maioribus; improbis verò, & qui publicam perturbant pacem, debita decernatur pœna, ac nominatim illis, qui aliena rapiunt, alijsq; mortem inferunt, maximè si ex insidijs, vel quibusdam tormentorum generibus, à quibus nec præstantissimus in armis se tueri potest. Si Christianus, & Catholicus est, eniti debet, ne Christiana, & Catholica Religio eo nomine male audiret, quod in Catholicorum Terris minùs hominum vitæ consuleretur, illiusq; ratio haberetur ab illis, qui preessent, quam in Hereticorum, Infideliumque Terris, & in amplissimis Infideliū, ac Hereticorum Ciuitatibus paucissimi à priuatis occiderētur, plurimi verò in exiguis etiā Catholicorum oppidis. Nunquam verò suadeat vlli, tanquam licitum, graui pœna innocentem afficere, & precipuè Capitali, propter aliquod publicum bonum, quod existimaretur afferendum, si innocens re vera graui pœna afficeretur, vel capitis damnaretur; maximè dum vel in iudicio non probaretur crimen; vel hic præstitisset quedam non per se mala ad nutum, imperiumq; Magnatis: multoq; minus suadeat,

suadeat, tanquam licitam, *testium subornationem* ad hoc, vt aliquibus de Crimine conuictis (licet non legitimè) bona eorum sibi nonnullus adiudicare possit; aut *extorsionem* artibus minus æquis criminis reuera patrati; aut *vulgationem Criminis* alicuius grauioris, ac diuersi ab eo, pro quo iustè alicui vltimum infligendum esset supplicium, præcipuè si ad huius opes sibi cum maiori approbatione vindicandas, vt hæc fama in vulgus dimanaret, opera adhiberetur. 49. *In Ciuilibus Causis* litigantes inter se componere studeat; horteturq; ipse pecuniæ non auidus clientes suos, vt aliquod dispendium pati velint in transactione, quam incertis litium euentibus semet obijcere, in quibus ingens pecunia insumitur, ac sæpissimè sine fructu, & propter quas multi varias animi ægritudines contrahunt: *Si verò ipse sit Iudex*, breui litem dirimat; dum non est certum vllius ius, ac res est diuisibilis, vnicuiq; pro maiori, vel minori probabilitate maiorem, vel minorem partem rei adiudicet. *In Criminalibus* verò Causis, dum non sunt delicta notoria, publicoq; bono valde noxia, vel enormia, indignaue prorsus homine rationis compote, faueat potiùs *Reo*, quam *Actori*, humanæ compatiens fragilitati, maximè dum grauissima aliquis afficiendus esset pœna, multoq; magis, si vltimo supplicio; nec nisi probationes sint luce clariores, ac nominatim Testes sint indubitata fide digni, in vllum grauissimam decernat pœnam; caueatque, ne ab vlla animi passione ita perturbetur intellectus, vt *Præsumptiones* pro aliquio delicto, quæ sunt *Leues*, sibi appareant *Graues*; & quæ *Graues*, appareant *Violentæ*; & quæ *Violentæ vt sic* appareant de *Iure, vel Iuris*: aut e contra. Sit Parcissimus in quibusdam suppliciorum generibus ad Rei confessionem extorquendam decernendis, multoq; magis in extremis, cum quibus vehemens est periculum, ne simul cum corporis interitu anima etiam in ęternum inferorum carcerem detrudenda sit: *Præ oculis habeat*, Qualem, Quantamq; sibi, si in tale delictum lapsus fuisset, sincerè coram Deo vellet imponi à Iusto Iudice pœnam. Sicuti autem non præceps, sed lentus potiùs esse debet in graui pœna, & maximè mortis, cuique decernenda; ita intelligat, *Mortē vni illatam sæpè Millibus vitam afferre*; ac *Impiam esse Pietatem, quæ in aliquos Publicæ tranquillitatis Perturbatores, aliorumq; vitæ nominatim Insidiatores, exerceretur*. Si autem ipse solùm spontè patrocinetur Criminalibus Causis; *videat*; an delictum sit suo dignum patrocinio; an legitimè excipi possit contra accusatores, testes &c. nec minus æquis artibus Iudicij substantialia peruertat, vel Iudicem subornet &c. Sciat tamen esse opus Caritatis eximiæ, etiam coram Deo valde meritoriæ, liberare Reum, maximè innocentem; vel curare, vt pœna non grauior, quam re ipsa exigat delictum, in nullum decernatur, imò & merita mitigetur in quibusdam delictis &c. *Hoc*

præterea animaduertat, ſe quandoquæ Caritatis titulo, & ſub p.m. teneri poſſe ad aliquorum in Ciuili, atque Criminali Cauſa patrocinium, licet nullum inde lucrum reportaturus eſset. *Pauperum*, ac e-*rum*, qui *multos habent æmulos ex inuidia, odioque propter eorum ſupra alios aliqua in re præſtantiam*, quam commendatiſſimas habeat cauſas. Oratoriæ Artis præcepta, ac præcipuè ad Affectus excitandos, Iudicumq; beneuolentiam ſibi conciliandã attinent, teneat; ſi Romano more in publico coram Iudicibus in Cauſa ſiue Ciuili, ſiue Criminali ipſe perorare debeat: Id autem non præſtet, niſi corporis, ingenijq; vires ad id habiles re ipſa habeat. In Conſilijs potius priuatis, ſiue calamo, ſiue voce tradendis ſuam collocet tunc operam illis à natura deſtitutus præſidijs. 50. *Sibi ſuadeat*, Ciuilium legum ſcientiam valde aſſiduum exigere ſtudium, nec in illa laudes vllum pro merito aſſequi poſſe, qui leuiter in illud incumbat. *Si autem* nouerit, vel audierit, nonnullos inter celebres Iuriſconſultos habitos fuiſſe, aut haberi, qui nullum tamen, vel modiciſſinum tempus in legibus ediſcendis impendiſse videntur; *Aduertat* tamen: *Aliquos* poſſe non inter *Veros*, ſed *Adulterinos* numerari Iuriſconſultos; ſi nimirum pecuniarum acquiſitionem, patrimonijq; ampliationem ſibi propoſitam tantummodo habentes per Sophiſmata, & Cauillationes, per fas, ac nefas quaſcumq; Cauſas tuerentur; famamque celebrem conſequerentur, *vel* apud imperitos quoſdam, qui ſolummodo Vocis ſonum, in dicendo energiam, hiſque ſimilia attenderent; *vel* apud illos, qui mentis obtutum defigerent dumtaxat in Reportatas ex aduerſarijs Cauſarum victorias, non animaduertentes, quod illæ fuerint obtentæ propter varias ambages, multiplices cauillos, falſitates plurimas, Iudicum ſubornationes vafras &c. *Aliquos*, licet nunquam, vel breuiſſimo tempore fuerint in Scholis, priuato tamen in cubiculo ſolos, vel ſub priuati alicuius Pręceptoris diſciplina, frequentique, cum Ciuilium legum peritioribus congreſſu potuiſse illis operam nauare ſedulam: *Aliquos*, licet in legibus *Vniuerſalibus*, ſiue *Iure Cæſareo* nullatenus, aut leuiter ſint verſati, eſse tamen verſatiſſimos in Legibus *Municipalibus*, quibus ſolis in tali Ciuitate, vel Prouincia ſtatur, praximq; earum tenent exactiſſimè; & hos exiſtimari poteſt rationabiliter, maiorem quoq; laudem in Iure Ciuili municipali futurum fuiſſe vt conſequerentur, ſi notitiam etiam Iuris Cæſarei ſibi comparaſſent; illud enim proximè deduci ex Philoſophiæ Moralis Principijs communis Sapientum ſententia fert; eoq; Iura confirmare municipalia eſset valde laudabile; ac præterea iuxta illud, cum leges declaſent Municipales, tanquam iuſtiſſimo e communi totius Chriſtiani orbis ſuffragio, cauſas tueri, aut ſententiam dicere &c. non poteſt non eſſe commendabile. *Aliquos* Naturæ bonitate, ſiue Ingenij, Iu-

dicijq;

dicijq; præstantia adiutos eas sibi laudes in Ciuili Iure comparasse, quas alij longis etiam laboribus in illius studio haud compararunt; quas tamen comparassent ampliores, si optimæ naturæ studendi Legum Ciuilium libris laborem adiunxissent: *Aliquos* Iuris *Vsum* habere, nõ verò *Artem* Sicuti inter Cãtare, supputare &c. & artificiosè cantare, supputare &c. multum est discrimen; ita inter docere, & artificiosè docere, inter discere, & arte discere, inter exercere Scientias, & artificiosè exercere differentia haud est obscura: In illo casus, in hoc ars dominatur: illud præterquam sæpè est laboriosum, est incertum saltem plerumque; hoc facilè expeditur, ac via certiore. *Minus prudens existimabitur*, qui certam ad Ciuilium legum scientiam semitam dimiserit, vt dubiam prosequatur, maximè dum eo ingenio, ijsque naturæ dotibus à *Deo* non fuerit exornatus, quibus alij (qui tamen paucissimi sunt) sine valde accurato librorum *de Re Ciuili* studio laudes multas in ea fuerunt assecuti.



Illustrissimo Comiti

CÆSARI MARTINENGO

Cæsaresco Brixiensi,

Qui Plurimorum e Gentilibus suis

Omni æuo

In Belli, Pacisque Artibus Præstantissimorum

Fumosas Imagines

Aureis Virtutum Suarum Radijs

Splendidè Coronat:

Illustrissimoque Domino

ANNIBALI CAPELISTIO

Patauino, In Quo

Generis Nobilitatem, Diuitiarum Copiam,

Ac in Morbis, quibus assiduè vexatur,

Animi Constantiam

Suspiciunt Multi;

Animaduersiones Quinquaginta

PRO ILLO, QVI IN CONTEMPLANTIS

PHILOSOPHIÆ

STVDIVM INCVMBIT

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

E Comitibus Placentinis

Vt beneuolis eorum in se Animis

Par non nihil referat,

D. D. D.

Caput Octauum.

433

1 R*Oget Deum* etiam, atq; etiam: *Tum* ne permittat ipsum errare in illis, quæ Naturali lumine cognosci queunt; *Tum* vt supernaturali lumine Humani Intellectus infirmitatem coadiuuet, confortetque. 2. *Inter Sanctos* colat præcipuè *B. Albertum Magnum*, qui singulari *Deiparæ* beneficio singularem rerum Naturalium cognitionem est assecutus; promisisse autem illi fertur *B. Virgo* fore, vt in Naturali Philosophia adeò excelleret, vt nullus fuerit, vel futurus esset, qui comparari ei posset. Illius exemplum sequatur, qui dicitur *frequenter rogaße eamdem Virginem*, ne permitteret se Philosophorum rationibus à *Veritate Fidei auerti*, *Sed in fidei soliditate suam firmaret animam*; Quæ apparens ei dixit; *Esto fidelis* in studio perseuerans; quia Deus te tanta sapientię copia ditabit, quod per libros doctrinæ tuæ tota Ecclesia illuminabitur: *Tamen* ante mortem tuam à Te omnis *Ars sillogistica* auferetur, ne *in Fide Vacillare possis*, & vt in *Sinceritate Fidei perseueres*. Hanc Visionem de se ipso *B. Albertum Magnum* narrasse in postrema lectione, quam habuit, in qua etiam Visio comprobata fuit, ex *Ord. Prædic. Annalibus* habetur. *Cum idem* quoq; *Beatus*, si quando in aliquam incidebat in studendo difficultatem, ad *eamdem B.V.* confugisse, & quod proprio ingenio non poterat, precibus impetrare solitum fuisse ferant; pijssimis, ac saluberrimis hisce vestigijs insistat. 3. *Intelligat*; Tum *Nullam* opinionem adeò lumini Naturali dissonam fuisse, quam nonnullus e Philosophis, etiam non infimæ notæ, non fuerit amplexus; Tum Philosophum *Nullum* Supernaturali lumine destitutum communiter censeri, qui rectè, ac sincerè nouerit ea omnia, quę Naturali Ratione sciri, ac nominatim de *Deo*, possunt: *ideoq;* fatendum ingenuè, Supernaturali lumine opus esse, vt Philosophicas etiam Veritates, & maximè ad Diuinorum cognitionem spectantes, Naturali conformes lumini quilibet assequatur. 4. *Cum rerum sensibus obuiarum* sit nobis difficillima cognitio, imò rerum saltem plurimarum magis obuiarum cognitio magis difficilis, earumq; natura sit nobis verè incomprehensa, vt patet nominatim in *Quantitate Continua*, & *Successiua*, in *Rarefactione*, & *Condensatione*, alijsque non paucis similibus, in quibus adhuc certant pręclarissimi Philosophi, qui quò ingenio illustriores, eo magis ingenuè fatentur se adhuc non habere perspectam *Naturam Quantitatis &c.* Et nulla sit ferè opinio Philosophica, quæ non habeat Philosophos etiam celebres illius oppugnatores; *Haud miretur*, quod vis humani intellectus *Diuinæ Naturæ* quidditatem, *Mysteria Sanctissimæ Trinitatis*, *Incarnationis*, *Eucharistiæ &c.* non assequatur. *Causæ proximæ* plurimorum saltem effectuum Naturalium, ac nominatim *Metereologicorum* nobis latent plerumq; licet mentis aciem in eas intendamus sedulò: *Consiliaq; Diuina* nobis erunt

explo-

explorata? *In Natura* Intensionis, Motus &c. Philosophi nonnulli in indaganda omnes vitæ suæ annos impenderunt, quam nec perfectè assecutos profitentur; *Et* breui temporis spatio ea, quæ supra humanum sunt captum, comprehendi posse existimabimus? 5. *Quicquid Veritati Catholicæ* re ipsa repugnat, intelligat esse à veritate, adeoq; à vera Philosophia alienum. *Philosophia Vera* non potest non Veritatem docere; si Falsitatem doceat, erit *Adulterina, Fallax,* ac *Sophistica* Philosophia. Cum per nullam potentiam fieri possit, vt eadem res simul sit, & non sit; *&* *Veritas* sit conformitas intellectus ad rem prout est, vel non est; si Fides docet aliquid ita se habere à parte rei, & Philosophia doceat non ita se habere, hæc procul dubio decipitur; nam Fidei Diuinæ, quæ Diuinæ Auctoritati innititur, non potest subesse falsum, cum Deus, nec falli, nec fallere possit. Et licet multa, quæ docet Fides, sint *supra lumen naturale,* non tamen sunt *contra lumen* naturale intellectus, cui solummodo consonum obiectum est *Veritas,* dissonum semper *Falsitas.* Possunt quidem multa falsa apparere probabiliora veris, sed non rectè iudicantibus. *Non tamen videtur* arguendus ille, qui ita limitatè loqueretur, *Quantum est ex vi naturalis luminis,* siue *Quantum humana præcisè ratio assequitur, hæc res ita se habere videtur.* At *Quantum est ex vi superioris luminis;* siue *Quantum Intellectus supernaturali lumine informatus assequitur,* non ita se *habet;* Nam verissimum videtur, Physicas rationes nonnulla obiecta suadere esse talia, quæ haud talia esse Fides docet; & nos, nisi superius lumen affulsisset nobis, istis rationibus adducti Physicis fore vt assentiremus obiecti, sprout hæ suadent; nec ab illis, qui Fidei nostræ cognitionem non habent, e Philosophorum simpliciter numero ex hoc relegaremur, imò potiùs in eo cum laude reponeremur. Certè nos, non nisi eodem lumine adiuti, vel non nisi eo supposito, quibusdam argumentationibus, quæ contra nonnulla Fidei nostræ Dogmata, & pręcipua afferuntur, vel afferri queunt, aptam responsionem præbere possumus. *Apud Chistianos* Philosophia, & meritò, subordinatur *Fidei,* quæ magis certa, ac vera est, quam quæcumque omninò veritates etiam Metaphysicæ, vel Mathematicæ. 6. *Cum aliquę veritates,* quas fides docet, censeri quoque, & rationabiliter, possint esse iuxta lumen naturale; *laudabiliter* faciet, qui in Philosophicis talia obiecta proponet, vt à Philosopho amplectenda absolutè: & laudabilius faciet, si *vel* nouas rationes excogitet ad eas confirmandas opiniones; *vel* melius, aut copiosius Rationes, quæ afferuntur, explicet. Minùs *sapienter* (nam certum est, quod minùs *Christianè*) faceret; Qui contra huiusmodi Veritates, *vel* Rationes excogitaret; *vel* magis confirmaret Rationes, quæ iam contra illas afferuntur; *vel* soluere conaretur Rationes, aut illas infirmare niteretur

teretur, quæ fauent Veris re ipsa opinionibus; *vel* de obiectionibus soluendis, quæ contra huiusmodi effata lumini quoque naturali conformia fierent, non laboraret. Vtinam nulli inter illos, qui se Catholicos numerant Doctores, sint palliati *Alexandræi*, aut *Epicurei*, aut *Athei &c.* 7. *Quamuis aliqui scripserint*; nõ esse cuiusuis dignoscere, plusne emolumenti, an detrimenti Christianis attulerit, afferatque Philosophia; *Imò & magnæ auctoritatis vti & doctrinæ vir ediderit*, *consultius* esse Christianis ab hisce studijs abstinere, per quæ plerique de Diuinę veritatis orbita sæpe cernuntur turpiter, atque im piè deflectere; Attamen *operam Philosophię Contemplanti* (nam de *Morali* haud hic sensus est) dare non omittat; *quæ* per accidens talium malorum causa est, & laudata à Sãctis Patribus antiquioribus sęculis fuit; & *in qua* Sanctissimi Viri semet exercuerunt; & *cuius* studium in Ecclesia Catholica semper ad nostra vsque tempora perdurauit; & *quæ* multa secum affert bona; etenim, *prę terquam* necessaria videtur ad Gentiles edocendos, & ad Sophistas, Hæreticosque refellendos; *pręter* iucunditatem summam, quam intellectui affert rerum reconditarum, ac naturalium cognitio; *Illa* teste experientia, ac ratione suffragante (cui solummodò Philosophiæ imperiti, ne ipsi minùs periti videantur, refragantur) faciliorem aditum ad ceteras perdiscendas scientias aperit, illamque ignorans multis erroribus semet implicabit. Imò qui diligenter Philosophię studuit, non solummodò exactiùs, verùm etiam breuiori temporis spatio cæteras perdiscet disciplinas: *Pernecessaria* autem videtur etiam ad aliquarum scientiarum cognitionem naturalis Philosophia, ac nominatim Theologiæ, Medicinæ &c. *Si quis* enimuerò, vt par esset Christiano, in Philosophiam incumberet, Conditoris omnium *Magnitudinem*, *Bonitatem* ac *Sapientiam*, quæ in hisce creatis maximè enitet, suspiceret, laudaretque, illumq; deinceps vehementiùs, & diligentiùs diligeret. Inflammat Philosophia, si vt par est tractetur, ad Dei amorem, honoremq; Quis enim (exemp. gr. Nam similia afferri possent alia) non maiori amore, & honore Deum dignum censeat, quam proprios Parentes, à quo ex Philosophia cognoscit præcipuas sui partes immediatè creatas fuisse, & conseruari quoque, Parentesque proprios concurrisse solum ad quædam accidentia, vel formas quasdam substantiales imperfectas; nec sine simultanea cooperatione Diuina Parentes potuisse efficienter in hęc etiam influere, & quę præterea modo non à Parentibus, verum à Deo conseruantur; adeoq; potiori iure Deum posse dici Patrem suum, quam illum, quem simpliciter appellat Parentem, & cui summum honorem, ac amorem exhibendum esse ratio quoq; naturalis dictat? *Caueat ergo*, ne sit ex illorum numero Philosophorum, qui Christianam fidem, Catholicamq; Re-

ligionem oppugnarunt, armaq; ad veritatem tuendam, propagan-
damq; data contra eamdem adhibuerunt, adhibentue, quorum Phi-
losophiã acerrimè reprehendunt S. Patres, ac fuerunt, suntue homi-
nes leues, assentatores, inepti, mendaces, administri scelerum; ac
Sophistę; quorum mores vituperarunt Rhetores, Poetæ, Comici, &
Satirici. Nec permittat, vt in se illud verũ deprehendatur dictum. *Si
vis improbus eße, stude Philosophię*: Quod potuit comprobari in certi
Auctoris Philosophię, prout à nonnullis explicabatur, studiosis, nõ ve-
ro, in illis qui Philosophię simpliciter vacarent. *Imò potius* in moribus
ita se gerat, vt illius dicti aptioris veritatem ex ipso cęteri colligant,
Si vis probus eße, stude *Philosophię*. 8. *Paucissimas saltem* sciat esse
Demonstrationes perfectissimas in tota Philosophia; quod patere po-
test ex diuersitate opinionum, quæ inter eiusdem etiam sectæ asse-
clas frequentissimè, & circa ipsamet, quæ putant, Prima Principia,
agitantur; ex diuersitate Principiorum, quibus varię sectę Philoso-
phorum innituntur. *Nemo autem* dixerit illud esse certum, ac euidens
in Philosophia, quod celeberrimis ingenio quoque Philosophis, &
maximè, si hi nullo ducantur affectu, haud tale videtur. *Aliquę* qui-
dem dicuntur Demonstrationes, sed *imperfectę*, vel *ex suppositione* ta-
lium Principiorum, quæ quandoq; ad summum Probabilia tantum-
modò sunt; *aliquę* tali decorantur nomine à viris parum peritis, ac
nominatim ignorantibus conditiones perfectissimæ, perfectioris, ac
perfectæ Demonstrationis; aliquæ etiam appellantur à Professori-
bus tales, vt alliciant Iuuenes ad prosequendũ Philosophiæ studium,
ne dum assererent esse tantum Topicos, vel Probabiles Sillogismos,
ab eo se retraherent studio; quod tamen immerito facerent. Nec
deesse possunt, qui consultò fucum facere velint. 9. *Sicuti tanquam
imprudens*, imo & insanus haberetur ille, qui dum perfectæ valetudi-
ni restitui non posset, de minori acquirenda non laboraret; sic cum
vt plurimum saltem in Philosophicis Demonstratiua Veritas haberi
nequeat, si sapit, cur *Probabilem* non prosequatur intellectus, quæ il-
lius quoque Bonum est, licet non *Optimum*? Si Artes, scientiasque
mere *Coniecturales* cum laude discunt homines cordati; *An* non ęquius
scientias illas, quę *probabiles* re vera *cognitiones* intellectui afferunt?
10. *Cum Philosophia* ab omnibus scientia appelletur, ac *Scientia* dica-
tur *esse cognitio rei per causam, per quam res est, & non contingit aliter se
habere*: Caueat, ne loco scientię *Fidei*, & *humanę* habitum acquirat,
Philosophicis Principijs propter auctoritatem alicuius Philosophi
adhęrendo, ac Philosophicis conclusionibus assentiendo saltem vl-
timò ptopter eiusdem auctoritatem, ita vt licet addatur, reddatur-
ue ratio, hęc ratio tandem in auctoritatem resoluatur. *Hinc* in nul-
lum *Philosophorum*, vel in nullam Philosophorum sectam sit summè
pro-

propensus; iudiciũ enim rectum nimia propensio impediet, efficietq; etiam quandoque, vt quę planè falsa sunt, vt vera iudicet, excogitetq; etiam rationes, captiosas tamen, ad illa tuenda. 11. ***Nullum quoque Philosophorum Ducem***, vel Philosophantium sectam odio prosequatur; nam rectè, & sapientissimè quoque ab illis dicta, tanquam absona existimabit, inuenietq; rationes ad eorum veritatem obtenebrandam. *Imò* de quocumq; Philosophiæ Duce non nisi honorificè loquatur: Quis enim prudens arbitrari poterit, immeritò illum habuisse tot asseclas, qui illustres etiam Philosophi fuerunt? Quæ rectè dicta fuerint, admittat; perperam dicta reijciat; non tamen illum vnquam irrideat, vel aliorũ illusioni exponat, licet multa etiam minùs vera, imò & aduersantia Fidei Catholicæ protulerit; *tum quia* homo fuit, sicut cęteri, erroribus obnoxius; *tum quia* aliqua suo tempore explorata non erant, nec poterant esse satis explorata; aliqua verò supernaturali lumine indigebant: *tum quia* non illius Principia, quæ verborum inuolucris obteguntur quandoque, modò satis intelliguntur, & in peiorem sensum forsan trahuntur à nonnullis illi infensis: *tum quia*, cum multa etiam rectè protulerit, propter hęc laude dignus est &c. 12. ***Philosophantium sectas*** habeat notas simul cum earum *Duce*, *& asseclis pręcipuis*, ac *tempore*, quo inuectę; & ***Principia***, propter quę hæc varietas extitit, intelligere satagat, non ex aduersarijs earumdem, qui non nunquam haud sincerè illa interpretantur, sed ex ipsismet, vel alijs non infensis; Arcana quidem sapientiæ singularis in eorum vocibus sæpè deprehendet, & hinc summum eorum ingenium non rarò admirabitur. Pespectum quoque habeat; *Qua ratione illæ sectæ propagatæ*, & *Qua cum laude*; & *Quo modo* aliquæ extinctæ, & *nonnullæ*, quę in minori erant pretio, pluris postea ęstimatę &c. 13. ***Quamuis initio certum debeat quicumque seligere Philosophorum Ducem***, certamque sectam: vbi tamen satis in Philosophiæ studio profecit, cæterorum perlegat, euoluatq; doctrinam Philosophorum; eorumq; Principia, & conclusiones examinando, ex illis quoque fontibus sapientiæ aquam hauriat; *Caueat* tamen, ne minùs consequenter procedat: Eò quidem erit sapientior, si eamdem conclusionem ex diuersis Philosophorum principijs probare, vel iuxta diuersa principia diuersas de eadem re conclusiones tueri nouerit. *Id* alacrius prępstabit, si sibi (quod verissimum est) suaserit: ***nullum*** ex Philosophorum Principibus esse, qui in aliquibus etiam, quę lumine naturali cognosci queunt, non errauerit: ***nullumque*** esse e Philosophis etiam celeberrimum, cui Deus omnes sapientiæ naturalis thesauros communicauerit, & cuius scriptis, vel libris multa naturaliter cognoscibilia addi non possint: ***Nullamque*** esse Philosophorum sectam, quæ non in aliquibus præ alijs excellat, suasque prę alijs habeat laudes: ***Nec***

ex eo quod aliqui Philosophi ab alijs, & quandoque etiam illustribus Philosophis, quibusdam Censuris, siue nominibus minùs decoris notentur, illorum doctrinam cõtemnendam esse arbitretur: *Quia*, præterquam solent numero præualere illi, qui minus sapiunt, minusque ingenio valent, & hi soleant quoque lingua promptiores esse ad detrahendum alijs; ex inuidia, odioque in alios, quorum illustrior est Sapientia, ad deprimendam scilicet horum apud mediocris literaturę viros, ne dum imperitos, Auctoritatem, voces nonnullæ ad id opportunæ excogitari consueuerunt. Qui in Naturali Philosophia excellunt, possunt in Moralis maximè praxi multum deficere interdum, ideoque prauis agitantur motibus odij, inuidiæ &c. *Quæcumq;* autem à quocunque tradita Philosopho, siue Philosophantium sectis, si Diuino Verbo scripto, aut tradito discrepantia cognouerit, ea semper meminerit esse reijcienda, tãquam falsa, licet essent res Physicæ. Hinc necessarium fore videri potest, vt antequam quis hasce diuersas Philosophantiũ sectas adeat, in Theologia, nec leuiter, versatus sit, saltemque perspecta habeat illa, in quibus fides Catholica Philosophorum sensibus dissentit. 14 *Ne ex eo quod S. Patres* magis Diuinæ, quam Humanæ fuerint studiosi Sapientiæ, putet eos in Philosophicis floccifaciendos: Aliqui ex illis illustrissimi fuerunt Philosophi; ex quorum dictis nouam quoque Philosophiã colligi, & cum laude posse, nonnulli censent: Ideo horum quoque explorandus sensus; horum auctoritate non minùs quam multorum, & celebrium quoque Philosophorum, multa confirmari poterunt Philosophica asserta. *Animaduertat* tamen; *Tum* illos loqui aliquando iuxta sententiam Philosoporum, quorum sectæ erant addicti: *Tum* nullum teneri conformare se vnanimi etiam *S. Patrum* consensui in Philosophicis, dum illi *Sacras* non interpretantur *literas* de aliqua re Philosophica agentes, nec illi saltem tacitè innuunt illud ad fidei dogma pertinere &c. 15 *Ne multum temporis* ponat in quibusdam *Logicæ*, siue *Philosophiæ Rationalis* præceptis, ac subtilitatibus, quæ ad scientiarum consecutionem non sunt opportunæ, vel necessariæ, quibusque adeo onerantur multorum ingenia, vt tædio affecti scientiarum studium, quod alacriter auspicati fuerant, intermittant. Si quando reconditioribus quibusdam Regibus Logicis opus fuerit scientifico, ad eas pro re nata confugere licebit. Et negari quidem non potest, quin multa a multis doceri iam soleant initio Logicę non solum nulli ferè vsui futura in scientijs, verum etiam quę tenebras potius offundant, quam lumen impertiant. In *quibusdam* etiam *Metaphysicis* subtilitatibus non multum insudet; quarum non paucæ saltem solum ad exercendum ingenium conducunt, & aliquarum sola occupatio videtur esse pessima ingenijs ad alia habilibus. In his quidem, dum diu

ditine-

detinetur ingenium, minus tempus impendi necesse est in inuestigandis naturæ arcanis, causisq; proximis tot effectuum naturalium perscrutandis. *Quare eorum Philosophia* minori in pretio habenda, cuius maxima, & præcipua pars versatur in huiusmodi quęstionibus, omissis grauioribus, maiorisq; momenti, ac etiam magis iucundis. *Sciat autem* (licet imperitiores aliter sentiant) plurimas ex his, quæ dicuntur subtilissimæ, ac Metaphysicæ quæstiones, minus exigere ingenium, quam verè Physicas; minusq; præterea exactam exigere in studio operam: Et de hominibus quidem illarum studio deditis pręcipuè verificari posse videtur illud, quod Satyricè cōtra vniuersos Philosophos vsurpatum fuit olim, vsurpaturque, *Eße*, Scilicet, *Homines Otiosos, Ignauosque.* Vtinam saltem nulli Magnates à nonnullis Politicis huiusmodi studijs detineantur solertissimè, vt possint remotos illos ab ijs studijs, quæ illorum magis statum, ac dignitatem decent, faciliùs ad nutum regere &c. 16. *Ex Logica* pręsertim discat, *Quinam perfecti, Quinam imperfecti*, siue minùs *perfecti Syllogismi*; *Quæ* argumentationes proprię scintificorum; *Quænam* Demonstrationes perfectissimę, *Quæ* perfectiores, *Quę* minùs perfectæ; *Quę* imperfectæ &c. *Quęnam* sint Regulæ *Contradictionis*, siue *Propositionum contradictoriè oppositarum*; quas vbi exactè nouerit (neque breui temporis spatio id assequi credat) existimet, se non leuiter profecisse in Logica: *Topicos* locos, siue qui probabilem tantùm reddunt argumentationem cum *Fallacijs* maximè extra *Dictionem* teneat. *Ex Metaphysica vero*, præsertim *Distinctiones*, siue *Quomodo* res, siue entia dicantur inter se distingui, & *Quotuplex* admittenda distinctio &c. ex his enim variæ soluuntur quæstiones, nec multa possunt intelligi in vniuersa Philosophia. *In Physica* notorum maximè effectuum singulares, immediatasque inuestiget Causas. 17. *Vocum quarumdam*, quibus Philosophi vtuntur in *Distinctionibus peculiaribus* ad controuersiarum solutionem, notitiam assequatur; illę enim facilem aditum prębent intellectui, si rite percipiantur, ad percipiendas veritates Philosophicas, solùmq; illas in minori pretio habent, qui eas aut ignorant, aut earum vim non percipiunt: Ex huiusmodi distinctionibus illud quoque commodum reportatur, quod sępè controuersæ quæstiones inter se conciliantur. *Pręterea*, cum variæ sint vocum Philosophicarum acceptiones apud diuersas Philosophantium sectas, imò quandoq; etiam apud eiusdem sectę asseclas, eas tenere nitatur omnes; *Tum quia* eorum sensum nunquam assequetur, & absonum, dissonum, imò & ridiculum quandoque sensum tribuet Auctoribus; *Tum quia* sæpè in vocibus tantùm reperiet, tandem esse inter Auctores dissidium. Quare ex illarum significationis variæ intelligentia illud reportabit emolumentum quoque, vt tempus, quod in quęstionibus

nibus plurimis elucidandis tribuitur à non paucis longiſſimum, eò quod talium vocum intelligentiam non habeant, in grauioribus, maiorisq; ponderis queſtionibus collocari poterit. 18. *Caueat, ne* in opinionibus Philoſophicis ſeligēdis voluntas preueniat intellectū, ita vt quis *ante ſtatuat* certis adhærere ſententijs, *quam* cognouerit, *An* Veritas magis faueat illis; *an* experientia illis refragetur &c. *Ante ſtatuat* certo Philoſophorum Duci ſemet addicere, *quam* examinarit, *An* ille ſit inter alios preſtantiſſimus, *an* intimius Philoſophicas Veritates fuerit aſsecutus &c. Si ab amore, vel odio in opiniones, vel Auctores ſe duci permiſerit Philoſophiæ ſtudioſus, nunquam in Philoſophicis proficiet, imò facile Sophiſta euadet: nam ad tuenda nonnulla, alia verò oppugnanda, licet immeritò, varios excogitare cauillos intellectum Voluntas iubebit. Videat preterea, ne paſſiones eędem plus æquo laudes Opinionibus, ac Auctoribus *Electis*, aut vituperationes *Reiectis*, vel nō iuxta eorum meritum tribuant. *Certè ſubterfugiat* quam maximè haberi, vel eſse in *Sophiſtarum* numero, quibus propoſitum erat nonnullis cauillationibus rem quamlibet ſuſcipere propugnandam, vel oppugnandam ob glorię, vel lucri cupiditatem. *Nihil eſt* in vniuerſa Philoſophia tam abſonum, quod varijs cauillationibus, ac Sophiſticis argumentationibus non poſſit reddi apparenter ſaltem probabile, vel etiam quandoque probabilius illis etiam, quę tanquam indubitata propter experientiam quoque nō fallacem habentur. 19. *Contra Manifeſtam experientiam* intelligat nō poſse dari vllum Demonſtratiuum, vel etiam Probabilem Sillogiſmum; Sophiſticum tamen poſse afferri, qui à Sapientibus etiam Philoſophis difficilè ſoluetur. Experientię autem, quas aliqui dicunt ſe habuiſse, vel habere, non facilè admittendę, niſi ſint viri, *tum* fide digniſſimi, *tum* in experientijs habendis verſati; aliquando enim falluntur in his homines cæteroqui docti: eſset quidem nimis inhumanum, rectæq; rationi diſsonum nonnullis, quę ab hominibus ſinceræ fidei, cognitęque perſpicacię traduntur, aſsenſum pernegare, & eo maximè nomine; quod *vel* illę refragentur doctrinę alicuius Philoſophi; *vel* quis neſciat aſſignare cauſas talis effectus proximas. Indagandę ſunt illę, & cum non occurrunt idoneæ, ingenui erit Philoſophi, ignorantiam fateri propriam, ac ab alijs petendę. *Animaduertat autem*, multos effectus preſtantiſſimos a cauſis naturalibus produci, qui ſapientes etiam pleroſque latent. 20. *Ne ſit inſtar* Philoſophi cuiuſdam nonnullis ab hinc annis in aliqua Italię vniuerſitate celebri, & qui libros quoq; edidit Philoſophicos, qui petitus, *Cur oua dureſcant ad ignem, caro autem, aliaque ſimilia molleſcant*, reſpondit, *de hoc coquum eſſe interegandum*. Reddere cauſam enimuerò talis effectus nō pertinet ad coquum, cui ſatis eſt ſcire huiuſmodi effectum ad hoc, vt

suæ

443

ſuæ arti faciat ſatis, ſed ad Philoſophum, qui naturalium effectuum cauſas indagat: Et horum quidem omniũ cum reddere cauſas ad Philoſophum ſpectet; *intelligit* quiſquis ſe Philoſophiæ ſtudio tradit, quã amplum habeat exercendi ingenij campum, nec eſſe ſibi otiandum, cum licet centum & amplius annos in hoc ſtudio impenderet, proximarum cauſarum nec centeſimæ omnino partis illorum effectuum, qui naturaliter in mundo cõtingunt, cognitionem aſſequeretur exactam. 21. *Inter Philoſophandi Rationes*, ſiue Philoſophorum ſectas, illam potius amplectatur, quæ breuius, ac facilius Philoſophicas veritates explicat: Attendat verò; *tum aliquam* poſſe videri faciliorem, eò quod nonnullis iam illius effatis ſit aſſuetus intellectus, non verò quod re vera ita ſe habeat illa; *tum Metaphyſicis* ſubtilitatibus nonnullis potius ſæpè occultari, quam manifeſtari veritatem. 22. *A Philoſopho adhibenda eſt fides* quibuſq; peritis in ſua arte; illiberalis enim, ac minùs ſapientis Philoſophi foret, in Mathematicis non fidem habere Mathematicis, in Medicis Medicinæ Profeſſoribus &c. Nec ex eo quod Philoſophus ſit, cenſeat ſe poſse de reliquis ſcientijs iudicium ferre, eaſq; ad nutum ſuum diregere: Supponit Philoſophus quoſdam naturales effectus, quorũ exiſtentiæ cognitio ad alias perſæpè pertinet ſcientias; cauſas ipſorum indagare ad ipſum pertinet. Quare dum vnanimiter Mathematici v. g. conueniunt in aliquibus effectibus viſis in cælis, quorum obſeruatio ad ipſos propriè ſpectat, aſserendis, licet aliquod Axioma ipſorum ex horum admiſſione relegandum eſset, haud illos pernegare debet, vel excogitare cauillationes ad illud Axioma adhuc tuendum. Veritati manus dandæ, cum illa ſit obuiam, à quocumq; illa manifeſtetur. *Si dum tale Axiomata, vel talis ſententia inducta fuit* in Philoſophorum nonnullorum ſcholas, de hoc, vel illo effectu, qui poſtea notus fuit, conſtitiſſet, diuerſum quid ſenſiſſent ingenui illi Philoſophi, ac veritatis indagatores; Quare potiùs contra mentem talium Philoſophorum faciunt, quid ad illorũ verba, non mentem reſpicientes adhuc tueri volunt oppoſitas ſententias vnanimi conſenſui illorum, quibus ipſi viuentes nunc adhærerent. *Si tamen* aliqui e Mathematicis ingenuis, & nulli Philoſophorum ſectæ addictis, potiùs decipi Mathematicos in ijs, quorum notitia ad ipſos ſpectat, exiſtiment, quam Philoſophos, vel aliquem e Philoſophis Principem; aut ſint diſſentientes in tali effectu aſſerendo, dum fuerint e celebrioribus; *Philoſophus ſtante dubio*, ſiue *negatiuo*, ſiue *poſitiuo* hoc inter ipſoſmet Mathematicos, antiquã ſequatur ſententiam, niſi habeat aliquam aliam demonſtrationem: Nam demonſtrationi, ac experientiæ etiam vnanimis omnium Mathematicorum, ne dum Philoſophorum, conſenſus poſtponendus ſine dubio. 23. *Axiomata nonnulla*, quæ inter Philoſophos circumferun-

tur;

tur; ſicuti & Principia quædam Philoſophiæ ab aliquibus aſserta, non ſine delectu, ac diſcuſſione admittantur: *Tum quia* illa aliquando deſumpta fuerunt ex certo Duce Philoſophorum, non verò ab omnium ſectarum Philoſophis Principibus admiſsa; *Tum quia* huiuſmodi Axiomata aliquando, *vel* non ſunt quandoq; etiam certi Ducis Philoſophorum, *vel* ſolum incidenter tradita ab illo, aut in certa materia dumtaxat; at poſtea ab alij vniuerſaliter recepta, *Tum quia* multas limitationes admittunt, quæ cognoſcendæ ſunt; & hę aliquando tot ſunt, vt mirandum ſit, aliqua recipi inter Axiomata: *Tum quia* etiam *Prima*, quæ vocantur à nonnullis *Principia*, *vel* ſunt certi Principis Philoſophorum, *vel* ſunt talia tantum apud aliquam ſcholam, ſiue ſectam, quæ profitetur doctrinā talis Philoſophi, non verò apud alias omnes, quæ eamdem profitentur; *vel* ſunt particularia tantùm talis Vniuerſitatis, ſiue Academiæ, *vel* ſunt Prima Principia ex ſuppoſitione, ſiue hypoteſi aliqua. Si abſque animi paſſione aliqua ex his, quę à multis dicuntur Prima Principia, examinauerit ſedulò, vix probabiles eſse concluſiones deprehendet *Vir* ſapiens: exceptiſque pauciſſimis Metaphyſicę, vel Logicę Principijs in Phyſicis etiam nō multa deprehendentur, quæ ſint certa & euidentia, & ex terminorum cognitione intellectui pateant, ita vt imperturbabilis ſemper remanere poſſit. 24. *Attendat*, aliud eſse operam dare *Philoſophiæ vt ſic*, aliud *Philoſophiæ Ariſtotelicæ*, vel *Platonicæ*, vel *Stoicæ*, vel *Pythagoricæ*, vel *Ionicæ &c.* Neq; enim qui ſe tradidit ſtudio ſolius Philoſophiæ Peripateticę, vel Academicę &c. abſolutè *Philoſophus*, ſed cum addito dicendus eſt; elegit enim tanquam Ducem ſuum Ariſtotelem, vel Platonem &c. *Philoſophus* quidem *Peripateticus*, cum ex Ætimologia nominis dicatur ille, qui eſt *amator Sapientiæ*, *prout tradita ab Ariſtotele*, minori laude dignus eſse videtur, quam cum quis dicitur abſolutè *Amator Sapientiæ*; videtur enim reſolui illa locutio in *Fidem*, quæ eſt aliena à *Scientia*, & ſe paratum oſtendit ad tuendam Ariſtotelis Philoſophiam, etiam ſi minùs vera deprehenderetur &c. Præterea valde imperfectę eſsent illę cognitiones, quæ Philoſophi cuiuſque ſenſui inniterentur; nam inter *Topicos locos* ille, *qui eſt ab Auctoritate*, cęteris omnibus infirmior cenſeri ſolet. 25. *Ne eorum numero Philoſophorum aggregetur*, qui nuda dant verba; ſolumq; per ſynonimas quaſdam voces, quas conſultò excogitant quoque, ſolutiones quęſtionum grauiſſimarum prębent, peccantq; cum re ipſa reddunt pro ratione illa, quę re ipſa in quæſtione ſunt. Et nonnulli quidem Philoſophiæ Doctores ſolent huiuſmodi vocum communicatione aliquibus parum peritis, & maximè Philoſophiam auſpicantibus, illudere? *Sedet &* aliqui ſcioli ſibi ſuadent ſe multum profeciſſe in Philoſophia, *cum* multas ex his ſynonimis vocibus norint; vel *cum*

quaſdam

quasdam ex celebrioribus notas habent, quas frequentissimè vsurpant, & quasi oracula quædam videntur proferre; qui si vlterius vrgeantur à viro docto, idem per idem respondent, & tandem dicunt, *istud esse Primum* Principium. 26. *Mathematicæ studio se etiam tradat*; neque enim multa, eaq; præclarissima scire poterit, spectantia ad Philosophũ re vera, nisi multa nouerit ex *Geometria*, *Aritmetica*, *Perspectiua*, *Astrologia*, *Musica*, *& Mecanica*: Nec nisi illis informatus sciẽtijs de quæstionibus, quæ earum notitiam petunt, iudicium ferat; *Attendat verò*, licet possit supponere quædam ex principijs harum Mathematicarum sciẽtiarum, dum tamen ex Mathematicorum (qui sæpè discordes etiam sunt) auctoritate etiam vnanimi tantùm concludet, licet aliqua euidens quoq; pręmissa e Philosophia concurrat, se illius conclusionis non Scientiam, sed fidem habiturum. 27. *Licet aliqui verborũ* obscuritatẽ possint amplecti, vt cõcilient sibi opinionem illius scientiæ, cuius re vera non sunt compotes, nec possint redargui de ignorantia, sed ipsi potius alios arguere de non intelligentia; ideoque hi vituperandi: *Non damnandi* tamen Philosophi absolutè, qui dicuntur obscurè locuti; *Tum quia* eorum doctrina quandoq; est obscura hominibus hebeti ingenio non verò acutiori, & ad illos repellendos potuit obscuritas quædam consultò quæri; *Tum quia* ex interpretum vitio aliquando obscuritas orta; *Tum quia* sapientiæ arcana non cuiquam patere debent; *Tum quia* rerum ipsarum obscuritas sæpè non patitur dicendi genus clarissimum &c. *Inter hos*, qui solent obscurè loqui, reponi solent *Chymici* (haud horum nomine digni sunt fumidi quidam Alchimistæ, & alij furnulos adhibentes, quĩ quibusdam operationibus infamiam Chymicorum nomini pepererunt) *Qui re vera* sunt *præclari Philosophi*, & *à quibus ante cæteros* Physica videri potest discenda; nam nemo potest melius scire, ex quibus res Physicæ componuntur, quam qui in earum dissolutione versatur. Habent illi Vocabula propria suæ Philosophię, sicuti & Aristoteles, alijq; sueę; illa minus nota sunt, quam Aristotelica, quia magis his assuescunt, qui in Philosophiam incumbunt. 28. *Caueat*, ne inter illos numeretur, qui petiti, cur hi effectus, & non alij oriantur, v.g. *Cur cera liquescat ad Solem; lutum verò induretur &c.* dicunt, *Hæc est Natura Ceræ*, luti &c. Hoc etiam quiuis idiota scit. Non Philosophus erit, nisi particularium effectuum *particulares* causas cognouerit præter Vniuersales; nisi *proximas, immediatasque*. Non debet autem has inquirere, dum de effectibus non constat. 29. *Haud neget*, quæ experientia constant, licet nesciat reddere rationem, *vel* illa non intelligat; aut aliquos effectus *Dæmoniacas* operationes censeat ex eo quod causam eorum ignoret: *Imò* ingenuè potiùs fateatur *se ignorare*, qua ratione Natura in aliquibus operetur, quam proferre in medium ali-

qua à quibus sensus penitus abborret. 30. ***Numquam perfectus Physicus*** fore vt euadat, omninò arbitretur; si in cubiculo tantum naturas rerum speculetur: Naturę rerum non accommodantur istiusmodi speculat onibus; sed hæ illis penitus accommodandæ: Quare ***experimentorum*** amicus esse debet; ***Quæ*** tamen ***Tum*** pro viribus ab ipsomet fiant, ***Tum*** etiam caute fiant; & præsertim *dispiciatur*, ne quæ sunt contingentia, siue per accidens,, sumantur, tanquam per se à natura facta. Physica scientia per se *Physicis experimentis* innititur; non *Metaphysicis subtilitatibus*: quæ vtinam persępè non sint Metaphysicæ Chimeræ (& de ***Entibus*** quidem *Rationis*, inter quæ numerantur ***Entia*** huiusmodi *fictitia*, agere solent, & non rarò latissimè, complures Metaphysici recentiores) Physicarumq; passionũ Physicæ causę sunt assignandæ. ***Experimenta*** hæc, quantum fieri potest, sint Nota, nec semel, *oculis*, non *auribus*; & dum experimenta non respondent, nullis Auctoribus etiam grauissimis fides habenda: *Potior quidem* fides habenda in Physicis Auctoribus illis, quos nouerit fuisse versatos in Physicis experimentis. 31. *Sicuti rarissimè debet confugere* in assignanda causa Physica effectuum ad *Primam Causam*, ad *Occultas Qualitates*, ad *Naturæ diuersitatem*, ad *Magneticum*, vel *Sympathicum Consensum &c.* hæc enim meritò dicuntur sæpissimè *Asylum ignorantiæ*: Ita intelligat in multis non posse certò proferre, nisi *Coniecturas*, siue *Coniecturales*, in plerisque solùm *Probabiles, causas.* 32. *Caueat*, ne sit ex illorum numero Philosophorum, qui aliqua non potentia, nec sensu, nec ex terminis, supponũt, & *non* probant, voluntq; sibi adhiberi fidem, ac si essent Diuina informati scientia: *Tenaces*q; sunt in quibusdam sententijs eo solùm nomine, ne iacturam faciant *Honoris*, vel ***Famæ***, dum antiquas, siue præteritas, quas vel didicerunt, vel docuerunt opiniones, modò reijcientes, ignorantię prętеritæ redargui posse videntur; Cum tamen *Vera Sapientia longè à Superbia remota* sit; *Veraque Philosophia solam Veritatem indaget, & in illa conquiescat.* Simul *tamen* caueat, ne à Nouarum studio rerum ad Veritatem desereudam impellatur: ***Nec vnquam*** dimittat ***Certa***, vt *Dubia* sectetur. 33. *Quamuis videri possit*, non per se decere Philosophum esse fabularum amatorem, nec Metaphoricis quibusdam vocibus vti; *Animaduertendum* tamen: ***Tum*** celeberrimis ferme semper fabulis aliquam Veritatem locum dedisse; sub Fabularum tegumento; *sub Metaphoricis* Verbis, quæ consulto sicuti & *Ænigmata*, ac *Paradoxa* quędam à pręclaris vsurpata Philosophis, reconditam interdum latere Philosophiam, arcanosque sapientię sensus: ***Tum*** antiquissimos Poetas fuisse illustrissimos Philosophos, nominatimq; *Theologos naturales*. 34. *Intelligat*, in rebus multis, maximè si à sensibus remotæ sint, facilius esse explicare, *Quid non sint*, quam *Quid* sint; Ac præterea esse

facilius

facilius aliorum sententias oppugnare (præcipuè cum aliquorum ingenia ad id habeant propensionem à natura) quam propriam proferre sententiam. Ex *Impugnatione* autem aliorum, & ex *Cognitione Quid non sit res*, nunquam Philosophus quis euadet perfectus; Potest autem indicare causam, quę sibi occurrit multorum effectuum, donec alia melior occurrat, vel sibi, vel alijs, licet sibi non videatur planè adhuc satisfacere. Aggredi valdè ardua interdum summæ laudi tribui potest: Datur forsan hinc occasio alijs, vel eam rationem magis explicandi, confirmandiue, aut aptiorem aliam excogitandi. 35. *Cum aliqui Philosophi*, ex antiquioribus præsertim, *ænigmaticè*, & *quasi in mysterio* loquantur, nec exploratus possit haberi eorum sensus, haud eos certò pro aliqua sententia adducat; nec illorum dicta referat, quasi deliramenta, & quę risum excitent in vulgaribus etiam hominibus: Haud illi in Prouincijs, in quibus literarum studia florebant, famam sapientiæ sibi conciliassent, & summam, si ridiculam proposuissent Philosophiam. *Si plura ab illis tradita* non intelligit, suam fateatur inscitiam, & potiùs suspiciat, quam irrideat, vel irridenda proponat. *Si aliquis* Philosophus ita malè de Philosophis antecessoribus meritus fuisset, vel mereatur, dignus plane esset, cui par referretur. *Irridendi planè, qui ex aliorum sapientum irrisione famam sibi sapientiæ vindicant.* Minus etiam prudenter suæ famę cõsulunt; Nam quæ laus sapientiæ debetur illis, qui ab opinionibus vulgo etiam ridiculis recedunt, vel illas impugnant? Id e vilissima philosophantium fæce quiuis pręstare enimuerò potest. Eorum potiùs amplificanda scientia est, qui ex industria refelluntur, vt oppugnantis magis etiam innotescat sapientia. 36. *Sciat ad Philosophum Naturalem* spectare res prout de facto considerare, non de possibili; supponit enim hunc rerum statum, ac de inde causas horum effectuum, & extrinsecas & intrinsecas inquirit, cum illis proprietatibus, quas Auctor naturæ huiusmodi rebus communicauit. Quæstiones de possibili ad Theologum Naturalem, vel Supernaturalem potiùs spectant. Nomina autem sunt imposita rebus, prout de facto. 37 *Illas non amplectatur propositiones*, & *opiniones*, ex *quibus* impossibilia sequuntur; *Quibus* repugnat planè sensus; & *Quę* falsis, vel improbabilibus, vel fictis more Poetarum, & excogitatis tantummodò ad certos suos fines, vel ad aliorum sensibus semet accommodandum innituntur rationibus. Non defuerunt quidē Philosophi, qui quasdam opiniones à vulgo approbatas amplexi sunt, *vel* ad auram popularem captandam, *vel* ne à populo, aut magistratu aliquod paterentur damnum, siue illis redderentur infensi, licet re vera interius haud ita sentirent: hoc autem patere potest ex alibi dictis, vel ex eorum principijs deduci; Quæ cũ vulgo non paterent, non illius odium

incurrebant. Dum autem voluerunt gen um vulgi sequi, nedum contra sensatam experientiam aliqua, sed etiam inuerosimilia assumere potuerunt. Huiusmodi Philosophos, etiamsi essent e celebrioribus, haud quis imitetur. *Debet Philosophus*, vel tacere, vel veritatem proferre; Constantia, animiq; Magnitudo propria est Philosophi. A viro ingenuo mendacium longè debet abesse. Poterit quidem aliquando Philosophus aliorum referre sententias, qui contra id, quod ipse sentit, sentiunt, nec explicare suam opinionem: Quam si compellatur declarare, verbis ambiguis siue æquiuocis, si timeat aliquod sibi graue damnum, declarare etiam posse videri posset. Non fungeretur quidem boni Philosophi officio, si acueret ingenium ad aliorum falsas opiniones Philosophicas contra priuatum suum quoque sensum varijs Sophismatibus tuendas. 38. *Attendat*, licere Christiano Philosopho; *tum* Philosophi Ethnici sententiam repugnantem etiam Diuinis placitis indagare, ac ostendere esse talem, vel non esse; præterquam enim aliquando possunt alicui tribui opiniones, quæ reuera ab illo non sunt approbatæ, nequibit Christianus illius refellere errores, ac solidè, nisi eos cum rationibus, quę ad tale assertum impulerunt Philosophum, notos habeat: *tum* etiam supposito errore contra fidem Philosophi, siue *ex hypotesi*, siue *conditionatè* quærere, quid concedendum foret ab illo, siue admittendum sit. Potest enim quis v.g. cum laude quærere *primò*; An Aristoteles *populariter* solùm, an verò *philosophicè* Mundi, ac Motus ęternitatem admiserit; aliqui enim censent, illum ad auram populi captandam, iramq; legum effugiendam perterritum cicuta *Socratis*, ac mulcta *Anaxagoræ* æternitatem proposuisse in 8. *Physic.* ac *libris de Cælo*; iuxta verò principia, quę posuit, vt *definitionem Naturæ, Temporis, Mutationis &c.* illam exclusisse: *secundò*; an supposita æternitate mundi ab Aristotele asserta, consequenter necessariò admittenda sit animarum rationalium infinita multitudo, an potius circulatio animarum, siue illarum regressus ad corpora saltem eiusdem speciei &c. Et ex istis quidem sequelis factis *hypotesibus* potest argui sæpe falsitas, vel error, vel impossibilitas propositionum *absolutarum*. Errori autem, falsitati &c. quæ sequeretur ex hypotesi, Philosophus nõ assentitur, sed solum assentitur sequelæ, siue assentitur, quod sequatur talis falsitas, error &c. adeoq; non peccat contra Fidem, licet consequens esset cõtra illam. 39. Nec *ex eo præcisè*, quòd aliqua opinio sit *Vulgi*, eam Philosophus reijciat: licet enim in multis decipiatur Vulgus, ac nominatim in illis, quę sensum superant, aut sensui non sunt obuia; vix tamen vlla reperiri potest Communis opinio vulgi, quæ non habeat aliquam Veritatis speciem; An verò sit apparens tantùm, est Philosophi discutere. Eo quidem cæteris paribus probabilior opinio, quę à Philosopho examinata,

ta, admissaq; cum Vulgi opinione etiam consentit. 40. *Curet habere perspecta quam maximè*, quæ de *Deo*, tum *Physicè, tum Metaphysicè*, sciri queunt; quę enim dignior Philosopho notitia hac esse potest? Quæcumque vel probabilis cognitio de *Deo* videtur anteferenda Demonstrationi cuiq; de cęteris rebus creatis. *Existentiam autem Dei*, illiusq; *Efficientiam*, ac *Prouidentiam* præ cæteris, rationibus lumini naturali conformibus sibi suadere nitatur, vt contra *Atheistas*, tum *illos*, qui absolutè negant Deum existere, tum *illos*, qui concedunt quidem Deum existere, sed nullum habuisse, vel habere concursum in genere causæ efficientis ad productionem, cōseruationemque creatarum, nihilq; laborare de rebus creatis, & ab aliquibus nominantur *Athei Aristotelici* (licet immerito ista secta dicatur Ducem habere Aristotelem) hęc eadem probare possit, illorumq; errata euincere. 41. *Illas Disputationes* amplectatur, foueat, ac frequentet de rebus Philosophicis, in quibus disputantes propositam sibi habent inuestigationem veritatis, quam disputationibus placido animo factis persępè homines assequuntur: Euitet verò illas, quę ad imperitorum plausum fiunt, aliorumq; Victoriam, & Cōfusionem vltimò quærunt. Harum studiosi, licet conuincantur, clamore tamen, verbisq; multis ad rem non spectantibus sibi plausum fieri ab imperitis, qui adsunt, quandoque etiam curant, ne dum cupiunt; ac de Veritate nō solliciti solummodò pertinaciam in suis opinionibus, quas proponunt, affectant. Ex omnibus tamen huiusmodi quoque Disputationibus fructum aliquem reportabit semper prudens, ac sapiens Philosophus, si aderit: *Qui tamen* cum nullo disputet (nisi interdum aliquorum voluntati indulgendi, aut exercendi ingenij causa, breui aliquo tempore tamen, & dummodo disputantes sint modesti) qui in re controuersa certæ statuit iam adhęrere sententię, vel falsam omninò vult amplecti sententiam sophisticis quibusdam probationibus fulcitam; Hunc enim fructum reportabit ex huiusmodi disputationibus, & maximè longis, dolorem capitis, vocis, laterumq; debilitatem, & quandoq; etiam irrisionem, vel minorem etiam existimationem ab imperitis, qui pluris exstimant eos, qui voce magis sunt clamorosi; Et vtinam interdum non reportet contumelias a disputantibus huiusmodi hominibus, qui solent esse, quò magis imperiti, eò minùs modesti. 42. *Indigna Philosopho* prorsus existimet contumelias in quodcumq; hominum, & maximè eorum, qui in idem literarum studium incumbūt, iactas. Muliercularum, rusticorumq; hominū illæ potius sunt propriæ. Arma, quibus te *tueri* debet Philosophus, sunt validissimæ *Rationes*, quibus suam *propugnet* sententiam; quibus verò alios aggredi debet, sunt validissimæ *Argumentationes*, aliorum *oppugnantes* opinionem. 43. *Vt rectum ferat iudicium de Opinionibus*, æquus iudex sedeat

inter partes; & audiat, quid aduersantes inter se sententię in medium proferant, & illa examinet simul cum illis, quæ sibi pro vtraque occurrunt parte; *Neq;* sit instar eorum Iudicum, qui pecunia, promissis, vel metu &c. adacti, antequam partes audiant, iam statuerunt pro vna sententiam ferre, licet iustitia stet pro alia. Quæ firmioribus innititur rationibus, illam amplectatur; Cum opinio æquè probabilis visa fuerit, tunc amico Philosopho adhærere poterit; apud enim Ciuiles quoq; Iudices *aliquæ Amicorum Causæ dicuntur*. 44. *Animaduertat*, quamuis per se paucioribus Rationibus, & Vnica, si fieri potest, ratione firma suam stabilire sententiam eniti debeat Philosophus; argumentorum enim multiplicatio sententiæ infirmitatem indicare videtur, quasi multis indigeat fulcimentis: aliquando tamen illas multiplicatas, maximè si sint connexæ, euincere posse intellectum ad assensum alicui opinioni præstandum; ita vt ex illis *collectiuè acceptis*, non a *singulis distributiuè*, intellectus, & meritò, ad aliquam opinionem impellatur, & ex his omnibus integretur quasi vnica Demonstratio; quam nunquam satis oppugnabit, qui vnicam tantùm Rationem singillatim soluet quoque, sed qui virtutem earum omnium simul ad talem assensum necessariò concurrentium oppugnabit. 45. *Attendat vehementer, cũ sublimia ingenia* solitas nõ consueuerint calcare in philosophando vias, ne dum insolitas quærit, in *Labyrintheas* incidat, & nominatim in *Inconsequentias*. Quare licet aliqua Nouitas in quibusdam Principijs censeri posset per se laudabilis, nec illa vt sic veritati vlli præiudicium facerent; *Quam consequenter* tamen procedere quis possit, suas opiniones cõfirmando, & argumentationibus, quas cęteri Philosophi contra illum congererent, responsum afferendo idoneum, sollicitè videndum. Est quidem verum, quod aliqua, quæ alijs videri possent absurda, inconuenientia &c. ipse talia poterit non reputare: Sic enim quoque inter Philosophorum Peripateticorum, imò & Theologorum scholas non idem sensus est circa hęc absurda, inconuenientia &c. 46. *Licet conciliare* Philosophorum saltem celebriorum opiniones esset satis laudabile; caueat tamen, ne futilis sit hic labor, maximè cum aliqui videantur consultò discessisse ab aliorum sententijs: existimari tamen potest, plerosq; saltem Sapientioribus solùm in vocibus discrepare; aliquorũ sensus ab interpretibus, vel ab eorum successoribus corruptos &c. difficilè enim videri potest, quod in quibusdam Primis Principijs, & nominatim Physicis, non conueniant; Ideoq; non omninò improbabiliter sentire à nonnullis censentur illi, qui aiunt, *Aristotelem* cũ in *primo Physicorum* loquitur de *Materia Prima rerum omnium sublunarium*, eamq; definit, locutum esse de *Materia Metaphysica*, siue de Ratione Materiæ *abstractæ*, quæ est ratio metaphysica, in qua conueniunt omnes materiæ

teriæ Phyſicæ, licet differant notabiliter ſaltem aliquæ inter ſe, ſicuti dum loquitur de ***Forma***, eamq; definit, rationem cõmunem, Metaphyſicam. ***Formę*** definit, Phyſicè enim plures ſunt ſpecie; & volunt *Ariſtotelem* ſentire cum ***Democrito*** in compoſitione corporum, eorumque reſolutione ſolam ***Atomorum*** (quas aliqui appellant *Spiritus*, quos ſubdiuidunt in ***Craſſiores***, & ***Subtiliores***, alij alijs nominibus) compoſitionem, ac reſolutionem, quod videtur eſse magis ſenſibus peruium, admittente; idq; pręterea ex ipſomet *Ariſtotele* in Libris nominatim *Metheororũ*, vbi magis Phyſicè loquitur, quam in libris Phyſicorum, colligere ſe aiunt &c. Vtrum hæ, alięque ſimiles conciliationes iure merito fieri poſſint, ſatis accurata diſcuſſione opus eſt. 47. ***Non ſpernat*** lectionem Oratorum, Hiſtoricorum, Philoſophorum Moralium &c. Nam ab antiquioribus ***Oratoribus*** multis, qui fuerunt pręſtantiſſimi Philoſophi quoque, vt ***Cicero*** inter cæteros (ſicuti & Poetę) multa excerpere poterit valde opportuna Philoſophiæ. Et ab ***Hiſtoricis*** quidem, ſicuti à ***Geopraphis***, ***Coſmographis*** &c. multa neceſsariò diſcenda erunt, vt multa circa res Phyſicas ſtatuere poſſit. A ***Philoſophia*** etiam ***Morali*** ſępe non leuia deſumere poterit argumenta ad ***Naturalis***, ac ***Poſtnaturalis*** Philoſophiæ confirmationem: Imò nemo non peritus ignorat, aſserta Moralia, imò & exempla à doctiſſimis aſsumi ſępe ad explicanda quædam pronunciata Philoſophica, nedum Theologica ſpeculatiua: Nec negari poteſt, quin ſæpiſſime illa aditum aperiant ad rerum valde reconditarum naturam, ſiue notitiam perfectiùs, ac citiùs habendam; & quin Rationes Morales ad euincendas Veritates ſpeculatiuas quoque, ſiue ad confirmandum in illis intellectum multum ponderis habeant apud homines etiam Iudicio, Ingenioq; pręſtantes. Videtur argumentum certæ quaſi veritatis, cum rationes ex Philoſophia Naturali, & Morali in idem cõſpirant Effatum. Niſi Argumenta moralia haberent locum in Philoſophicis quæſtionibus purè ſpeculatiuis, multi loci ex ***Topicis*** iam ab *Ariſtotile* quoque aſſignatis, quoſq; docent omnes celeberrimi Summuliſtæ, e medio tollendi forent. 48. ***Ne ex illis***, quę ſcimus ex ***Fide*** tantum admittenda eſſe in ***Diuinis***, & quæ, niſi nobis pręiret ***Fides***, haud ita eſſe ſentiremus, arguat ad ***Creaturas***; imò potiùs propter perfectionem infinitam Diuinam, quę in Deo admittuntur, multa potius in creaturis, inter quas, & Deum nulla datur proportio Phyſica, non admittat. *Cur* v. g. confugiunt Philoſophi ad denominationes *iuſti*, ***miſericordis***, ***nolentis***, ***volentis &c.*** quę ſine vlla in Deo mutatione ſaluantur, etiam ſi ſint ſimpliciter denominationes intrinſecæ, cum explicare volunt ***Relationes Similis***, ***Diſſimilis &c.*** quas dicunt eſſe denominationes intrinſecas vni ex extremis, voluntq; ſentire nihil prorſus aduenire, vel deperire in illo extremo, quod modò eſt ſimile,

modò diſſimile &c. Nonne potiùs affirmandũ illas Denominationes, *vel* eſse extrinſecas, *vel* aduenire de nouo aliquid, ſiue ſit *Realitas*, ſiue *Modalitas*, ſiue *Formalitas &c.*? Per difficillima, & quibus ſola fide aſsentitur intellectus, explicare res naturales, ac frequentiſſimè, cum poſſint facillius explicari, parũ prudentis Philoſophi eſt. Nonne hoc apertè etiam eſt tranſcendere de genere ad genus? Non ſunt *Sacra prophanis* miſcenda. E Philoſophia explicari potiùs debent, cum commode fieri poteſt, quæ in Theologia, ac iuxta fidem difficiliora intellectui apparent. 49. *Philoſophus haud* amplectatur ſtilum ornatum, phaleratumque, *ſed* candidum, ſincerumque; *non* Amphibologicũ, Metaphoricum, & Ænigmaticum, *ſed* proprium, clarumq; quantum rerum natura patitur; *non* incomptum, riſumque excitantem propter Barbarum omninò, ſiue Solœciſmis ſcatentem dicendi modum, *ſed* Grãmaticorum regulis ſubiectum, *ita tamen*, vt eorum ferulę non ſubijciendus ſit, dum aliqua minùs Grammaticè, ſed tamen magis Philoſophicè, & clarè explicanda neceſſariò ſint; *non* verba vſurpantem aliena, ſed propria Philoſophię, licet minùs Latina; *non* copioſum, ſed breuem, ita tamen, vt obſcurus non ſit, imò in obſcuris rebus magis copioſum, quam breuem; *non* recõdita quędam vocabula, *ſed* communia vulgi, ſi apta ſint, *ſed* vſitata apud Philoſophos, vſurpantem; *non* ſublimibus, nec infimis prorſus, *ſed* mediocribus ingenijs accommodatum; *non* confuſè, *ſed* diſtinctè, & ex ordine cuncta proponentem; Phyſicas res, *non* per voces conceptus Metaphyſicos indicantes (ad hos enim ſignificandos peculiares quędam voces inuentæ ſunt à Philoſophis) *ſed* per voces proprias rerum Phiſicarum ſingulares, proximaſque Phyſicas cauſas declarantem; & e cõtra. 50. *Hæc peculiariter* attendat Philoſophię ſtudioſus. *Primò* Veritati cuiuſque Philoſophi etiam prętantiſſimi, ſibiq; amiciſſimi auctoritatem poſthabeat. *Secundo* Examinet diligenter, ac ſincerè rationes, quæ ſunt pro contrarijs inter ſe ſententijs Philoſophantium; illiq; adhæreat, pro qua verę, vel efficaciores, ſiue probabiliores ſtare viderit. *Tertio* Cum quęlibet ſcientia (ſi excipiatur Sacra Theologia, cuius Principia ſunt omnino Fidei Diuinę) in genere cognitionis naturalis habeat reſolutionem ſuam vltimò ad aliqua Principia naturaliter nota, in hæc mentis obtutum figat, & inter diuerſas philoſophantiũ ſectas eligat illam, quæ ſua propria Principia habet magis lumini naturali peruia. *Quarto* Ne inuchatur in antiquiores Philoſophos, ſi quid minus rectè re ipſa ſenſerint etiã in illis, quæ lumine naturali ſciri poterant: ſed potius gratias agat nõ ſolùm illis, qui veras tradiderunt ſententias, ac dignas, quæ à poſterioribus probarentur Philoſophis; verùm etiam ijs, qui cũ veritatem non attigerint, ipſa tamen inchoata, & imperfecta rerum tractatio-

ne subsequentium ingenia excitarunt, acueruntque; nam indirectè ad assequendam veritatem iuuarunt. Aliquorum error nostra cautio est. *Multò minus* ne solummodò in errata Philosophi alicuius antiquioris mentem defigat, illum verò auertat ab illis, quæ erunt quandoque plurima, imò pleraq; commendatione dignissima. Indignum verò putet Philosopho alteri Philosopho, maximè celebriori, tribuere aliquam opinionem, quę ipsius re ipsa non sit; & ad voces nonnullas, quas consultò adhibuit, non verò ad mentem illius potissimum attendere, vel in sensum minus congruum illas sumere. *Quinto* Tum *significationem* terminorũ exactè teneat, ignorantis enim terminis nequit confici propositio: *Tum* earum *significationem* haud innouet, siue immutet; nam diuersa propositio conficietur. *Sexto* Ne nouas Conditiones, vel Particulas *definitionibus* addat; alioquin definitio erit infinitio; nec vnquam rerũ naturæ innotescere poterunt. *Septimo* Ne illorũ, qui *multa* dicunt, *pauca* probant, vestigijs insistat. *Octauo* Regulas vniuscuiusq; figuræ proprias exactè teneat cum conditionibus Demonstrationum, & inter has maximè illius, quę dicitur Perfectissima. *Nono* Cum Physicæ res cõponantur ex illis, in quæ resoluuntur realiter, ac physicè, non assequetur earum singularium naturam Metaphysicis tantum conceptibus detentus. *Decimo* Non solum sępè Philosophi conueniunt in vna propositione, & non in alia, quamuis videantur aliquæ propositiones connexæ; verum etiam conueniunt quandoque in re ipsa, sed non in modo. *Non* confundendæ opiniones. *Vndecimo* Ex ijs, quæ *Supernaturali Lumine* sciuntur, *Naturales conclusiones* nec *probari debent*, nec *possunt*; nec quidquam ex supernaturaliter reuelatis tantummodo cõtra vllum Philosophum vt sic probari potest. Probationes debent esse ex *proprijs*, & ex *notis*. Longissimè distant lumen Naturale, ac Supernaturale. *Duodecimo* Ne Theologicas in Philosophia quæstiones examinet, vel afferat. Theologicę conclusiones per se tantum *Diuinę Auctoritati*, Philosophicę per se tantum *Rationi Naturali* innituntur. Theologiæ Principia sunt *Fidei Diuinæ*; Philosophię Principia patent, *vel* ex terminis, *vel* experientia. Supponit quidem Christiana Philosophia quędam e Theologię principijs, sine quorum intelligentia nullus germanam tradet, vel discet Philosophiam; *sed* haud illa probare debet, aut latius explicare. Nõ dimittat tamẽ Theologiæ quæstiones de *Deo*, *Intelligentijs*, & alias, quę iuxta naturale Lumen agitari iam consueuerant in Metaphysicis; sed iam multorũ Theologia sibi videtur vindicasse, limites proprios prætergrediens. *Peritia* in docenda, discendaq; Arte qualibet maximè laudabilis est. Eò laudabilior quicumq; Doctor, quò peritior. *Decimotertiò* Philosophia vt sic in falsitatem tendere non potest. Philosophia cuiusque hominis falsitati est exposita. *Decimoquarto* Dum

approbat aliquam *sententiam* tanquam *dubiam*; vel asserit esse alicuius Philosoph. *mentem dubiam* in aliqua quæstione, soluat argumenta, quæ pro vtraque afferuntur parte. *Decimoquinto* Dubitationes, quæ sibi occurrunt, videnturq; esse graues, circa aliquam sententiam etiam communiter receptam proponat, si earum solutio sibi non occurrit, ad *earum solutionem* ab alijs sincerè intelligendam. Potest esse laudabile aliquando alienum exercere ingenium; *vel* in maximis difficultatibus suum sensum afferre, iudicio alijs reseruato; *vel* etiam difficiliora tentasse. *Decimo sexto*: Quæ dicit probet: nolit sibi, tanquam *Deo* præstari fidei assensum. Superbia esset hæc quam maxima. *Decimoseptimo* Si ipse omninò statuit, siue vult quibusdam adhærere sententijs, nullę Argumentationes etiam Demonstratiuæ in alias inclinabunt illius animum. *Decimo octauo* Laborandum esse sibi existimet magis sępius saltem in *probanda*, quam *reprobanda* veritate. At indignum Philosopho putet prę ignauia sucumbere, eo quod nõ audet contra Philosophica veritates argumentationes dissoluere; atque sic imbecillitatem suam fouendo, grauioribus insuper fallacijs decipere. *Decimo nono* Ne maximam temporis partem impendat inquirendo, an Philosophus *aliquis* sit in hac, vel illa sententia; nam Philosophiæ habitum non acquiret. *In aliquibus quæstionibus* id erit vtile quandoque. *Vigesimo* Illum fore esse aptiorem philosophandi modum, qui *Primas* tribuit Partes fidei. *Secundas* sensuum iudicio satis explorato. *Tertias* Rationi. *Postremas* Philosophorum Auctoritati.



455

Vbique Terrarum Illustrissimis

ACADEMIIS
PARISIENSI, SALMATICENSI, BONONIENSI, LOVANIENSI, ET CRACOVIENSI

Generosis PROFESSORVM Altricibus,
Qui Humana omni, Diuinaque Sapientia
Semper Armati
Inuictissimè Catholicæ Religionis Castra
Propugnarunt, ac Propugnant;
Ac Fœcundissimis Parentibus
Virorum
Qui summa Vitæ sanctimonia Floruerunt;
Quique in Sacris, Profanisq; Scientijs
Principem obtinuere locum;
Christianam Fidem constanter tutando
Latè etiam propagarunt;
Et Qui Amplissimos
In Ecclesiastica, ac Sæculari Republica
Honores consecuti sunt;

Animaduersiones Quinquaginta
PRO ILLO, QVI IN ARISTOTELICAE
PHILOSOPHIÆ
STVDIVM INCVMBIT
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
E Comitibus Placentinis
Virtutum adeò singularium Admirator.
D. D. D.

Caput Nonum.

1 P*Recibus assiduis* ab inexhausto omnis penitus Sapientiæ Fonte flagitet, ne in *Peripateticorum Principis Philosophiam* incumbens, in errores veritati dissonos, & in mores Ethnico homine, ne dum Christiano, indignos, labi ipsum permittat; sicuti contigisse, & contingere non paucis experientia satis declarat; adeoq; magis *sollicitè coram Deo ambulet*, *meditans in Lege Domini, mandataq; eius* custodiens. 2. *E Sanctis* inter cæteros colat S. *Bonauenturam*, ac *S. Thomam Aquinatem*, e Beatis *Albertum Magnum*, & *Io: Duns Scotum*, aliosq; similes viros e *Mendicantium* maximè Ordinibus Sanctitate illustres, qui Aristotelicæ Philosophiæ studio deditι, morum tamen pietate fuerunt insignes. *Ex quo* intelligat, talis Philosophiæ studium non obesse, quo minùs quis etiam pijssimis ornetur moribus, ne dum Christianè viuat, sit vt par est, tractetur. 3. *Nunquam Aristotelicam* doctrinam *Diuinis* præferat effatis; hęc nequeunt non esse omnis expertia falsitatis; illa vt pote humana, falsitatibus obnoxia est. Si ea est Aristotelis auctoritas apud aliquos, vt quicquid Aristoteles censuerit de rebus naturalibus, tanquam verum putent, ac vt verum propugnare conentur; *An* non æquum est, vt Diuinæ Auctoritatis saltem tale pretium apud *Cordatos* viros sit? 4. *Si Deus docuit*, vel *tradidit* aliqua ad res Physicas etiam spectantia, cum has ipse condiderit in *numero, pondere, & mensura*, omnisq; humana sapientia sit Diuinæ riuulus, ab eaq; originem trahat; *Quis*, nisi mentis inops, non videt maiorem *Deo*, quam Aristoteli fidem habendam? 5. *Errores* in fide, qui Aristoteli tribuuntur, siue illius pronunciata contra fidei Dogmata communiter recensita nota habeat, ne erret; ex his autem sciat nonnulla à multis existimari esse contra lumen naturale ipsum; alia supra lumen naturale. Non mirandum, si hęc Aristoteles non agnouerit, maximè cum si per Physicas rationes, & sensata procedendum sit, ex his nonnulla videantur inclinare intellectum potiùs in sententiam Aristotelis. Si Aristoteles tali in Deum pietate fuit præditus, qualem nonnulli recentiores in eo prædicant; *Quis non censebit*, si sciuisset, vel modò viuens sciret, Deum aliter docuisse, vel docere ac ipsum, retractandas ab eo sententias, quæ Diuinæ Auctoritati essent difformes: Si peritis in arte quacũq; ac nominatim Mathematicis, in ijs, quæ ad eorum disciplinas pertinent, voluit habendam fidem ab ijs, qui sunt minus in hisce artibus periti: *An non* multò magis existimare debuit, cum Deus perfectiori modo quascumque scientias teneat, quam quicumque intellectus creati, collectiuè etiam accepti (quod lumine naturali sciuit, vel scire potuit Aristoteles) *Magistro Deo* potiorem a cęteris omnibus, adeoq; etiam a se, auctoritatem tribuendam? Quare contra ipsius Aristotelis, si pijssimus, ac prudentissimus existimetur, mentem, quæ potiùs atten-

attendēda, quam voces peccare videntur, qui contra fidei Dogmata
eum apertè sæpius sentientem proferunt. 6. *Cum negari non possit*,
quin sępè saltem dubia sit Aristotelis mens circa illa, quæ docere
fidei aduersantia existimatur, & nō rarò sit probabilis expositio *Ari-*
stotelici textus fauens Catholicis veritatibus; *examinet*, an malè de
Aristotele mereantur illi, qui cæteroqui se illius studiosissimos profi-
tentur, qui contra *Fidem*, hoc est contra *Veritatem* illum interpretan-
tur, imò omnes ingenij neruos intendunt, vt illum contra fidei Dog-
mata interpretentur. 7. *Cum Aristoteles* maximo sit in pretio apud
plerosque Catholicos, & ex his non pauci sentiant, perfectissimam
rerum naturalium cognitionem illum obtinuisse; *Videat* an e re Ca-
tholica foret, si ipse operam ponat, vel id suadeat alijs peritioribus, sal-
in ostendendo, Aristotelem contra fidem nihil apertè scripsisse, fal-
temq; probabili tribuenda expositione textibus illis, qui communi-
ter repugnare fidei Dogmatibus dicuntur; Certè non deessent cele-
berrimi etiam Interpretes, qui secum sentirēt. 8. *Antiquioribus Eccle-*
siæ sæculis nouerit, non solum *Stoicam*, & *Platonicam* Philosophiam
fuisse prælatam *Aristotelicæ*; verum etiam S. Patres illam acriter re-
prehendisse, ac Aristoteli se summe infensos exhibuisse; Inter hos
autem S. Patres multi erant Philosophicis disciplinis singulariter eru-
diti: Præ cęteris S. *Iustinus Martir* Philosophus valde insignis, & qui
accuratam omnium suo tempore philosophicarū sectarum notitiam
habuit, cōtra Aristotelem peculiariter scripsit, illiusq; errores etiam
in Philosophia multos peculiari libello comemorat. Erant illis tem-
poribus *nonnulli Peripatetici*, non tantùm valde infensi Christiano no-
mini, verùm etiam quibusdam argutijs, & cauillationibus simplices
Christianos decipere, & à Christianis veritatibus auertere conaban-
tur; ac præterea minùs accedere ad Christiana Dogmata putaue-
runt illi *Aristotelica* effata, quam *Stoica*, vel *Platonica*, adeoq; magis
illa censebant obstare, quo minùs Gentiles Christianam fidem, quam
ipsi amplificare cupiebant, amplecterentur. Talis videtur perdurasse
se sensus circa Peripateticam Doctrinam per mille, & amplius annos
in Catholica Ecclesia; nam à quinque circiter sæculis illa in pretio
maiori præ alijs cæpit haberi: Occasio fuisse à multis fertur, quòd
cum ex bellis frequentibus, & acerrimis maximè, intermissum fuisset
Scientiarum studium, illudq; renouandum nominatim *Reges Galliæ*
Parisijs præsertim contenderent, nec alij Philosophorum libri apud
Latinos extarent, nisi Aristotelici, qui apud *Arabes* seruabantur, &
tamē certus Auctor in Philosophia prælegendus foret in Academijs,
quæ institutæ erant, coacti fuerunt Catholici tunc Aristotelis libros
prælegere: Ex vnius autem Academię celebrioris, ac primariæ mo-
re idem mos in alias deriuauit Academias; Cum autem postea Do-
ctores

ctores insignes ex Academijs insignibus prodijssent, ac nominatim ex *Parisiensi Academia* omnes Theologorum Principes, quique Scholarum antesignani Theologicarum, Peripatetica informati doctrina eamdem asseclis suis tradiderunt; & sic deinceps hic mos adoleuit, modoq; etiam viget in omnibus Academijs, & in omnibus etiam Theologorum Scholis. Quare si fides Christiana, & Catholica per tot sæcula absq; doctrina Peripatetica viguit, moresque Christianorum, in primis maximè Ecclesiæ sęculis, Christianæ legi conformes fuerunt, nō videtur dubitandum, quin Catholica Religio, ac Pietas suas etiam modò habere laudes posset, licet fideles talis Philosophiæ studio operam haud darent. 9 *Vbi Philosophia Peripatetica* inducta est in scholas, animaduertat aliquos extitisse illius Sectatores, qui impia Dogmata inter Catholicos euulgare studuerunt; Qua de Causa coacti fuerunt Ecclesiæ Pręsules in Concilijs, etiam Generalibus, congregati anathema his dicere, eosq; hæreticos declarare, ac vetare, ne in certis quæstionibus Aristotelis, si quæ foret, doctrina afferretur à publicis nominatim Philosophiæ Professoribus absq; illius, vel alterius cuiusuis illius asseclæ, vel Philosophi argumentationum solutione. *Hinc minori studio in Aristotelem* videntur esse, qui passim, vel *in præcipuis quibusdam controuersijs* interpretari illum conantur contra Fidei Dogmata, *aliquando* contra, *aliquando* præter illius mentem, *aliquando* contra dubiam, siue negatiuè, siuè positiuè, eius mentem: potest enim quis, nec irrationabiliter suspicari, quod cogatur aliquādo *Ecclesia* prohibere, ne Aristotelis Philosophia pręlegatur, ac pręcipuè in Academijs, Scholisque, propter grauissima, quæ videret importari damna fidelibus, quorum animarum saluti tenētur ex munere suo prospicere *Ecclesiarum Præsules*, ac præcipuè *Romani Pontifices, Vniuersaliaq; Consilia.* 10. *Auctoritatem*, quam habet modò Aristotelis Philosophia apud Christianos, Catholicosq; *perpendat*, habuisse ab *Ecclesia*, quæ eam admisit: Quare posset, si id expedire censeret, eam relegare ab Academijs, Scholisque; vel loco illius, vel potius simul cū illa admittere alias Philosophorum sectas pręcipuas. Certè si tot Theologorum Scholæ habentur, & in Vniuersitatibus discrepantium inter se Theologiæ Principum Doctrinæ leguntur, & approbantur quoque à summis Pontificibus, earumq; Professores Ecclesiasticis, ac Supremis etiā Dignitatibus decorantur; Cur Ecclesia iubere non poterit, vt saltem simul cum *Aristotelica* legatur *Philosophia Platonica*, vel *Ionica*, vel *Pytagorica* (demptis semper illis, quæ veritatibus fidei repugnent) *Stoica, Democratica, Chymica &c.* Si verò ex to quod Peripatetica relegaretur e scholis, non fieret, vt Theologia vera deficeret in Ecclesia; nam secus non extitisset illa in Ecclesia, nisi in quinq; posterioribus sæculis, & illa non innititur vlla ratione

Peri-

Peripateticis effatis, sed Diuinæ tantum Auctoritati: *multò minus* id timendum, dum plures Philosophorum sectæ admitterentur in Scholis, & Academijs. 11. *Nouerit, Ecclesiam* haud reprobare cæteras Philosophorum sectas in ijs, quæ non sentiunt contra Fidem; nec damnare, aut respuere, si quis *vel* antiquorum reuocet pronunciata Philosophorum, eaq; modò latius explicet, *vel* etiam nouam excogitet philosophandi rationem; licet peculiariter modò videatur probare Philosohphiam Aristotelis in Scholis Theologorum, & Academijs. Ac in his quidem si Sęculares etiam Principes vellent, vt prælegerentur Dogmata, siue Doctrinæ reliquorũ Philosophorum, siue distributiuè, siue collectiuè acceptorum, siue etiam prælegeretur Philosophia nulli addicta, id præstare possent. *Quod quidem* salutare futurum aliqui existimant; *tum quia* Peripatetici ex æmulatione magis sua principia stabilire conarentur; *tum quia* hinc cum maximo animarum emolumento discerent quamplurimi, Peripatetica effata non esse infallibilis veritatis, sed ad summum probabilia spectato etiam naturali lumine; adeoq; nonnulli tam firmiter illius pronunciatis non adhærerent cum æternæ salutis dispendio. *Addunt*: si prælegeretur etiam simul cum *Peripatetica, Platonis*, & *Stoicorum* nominatim Philosophia, futurum vt antiqui mores reuocarentur facilius, quando illas duas nominatim Sectas, maximèque *Platonicam*, S. Patres Peripateticæ prætulerunt. 13. *Sciat*, quando Aristotelis Philosophia inducta est in Academias Catholicas recens institutas, simul quoque *Auerrois* interpretationem admissam, adeoq; *eo ignorantiæ* (sic scribunt nonnulli) *sæculo* laudatam, vt *Commentatoris* nomen illi delatum fuerit. Carebant tunc studiosi Philosophiæ Commentatoribus Græcis, ideoq; *Auerroem* eligere coacti sunt, hominem *Impium, Atheumq;* & *Christianæ Religionis*, quæ suo tempore (floruit enim à Natiuitate Christi anno circiter 1150) valde dilatata erat, ipsiq; cognita *valde infensum*. Itaque (*subdunt*) ex defectu aliorum Aristotelis interpretum, nominatimque Græcorum, Primæ Partes *Auerroi* delatę, illiq; laus *Interpretis* absolutè tributa; non verò quia hac laude verè dignus foret. *Negari* tamen non potest, quin *Auerroes* suas etiam habeat laudes, licet multis aspersas vitijs: inter quas recenseri potest, quod omnes fermè Aristotelis libros fuerit accuratè interpretatus. *Fatendum etiam* ingenuè; *Christianis* debere magis Aristotilem, quam Gręcis, & Auerroem illis quoque, quam Arabibus; nam nunquam solus inter Gręcos Philosophos regnauit Aristoteles, nec Auerroes à suis Arabibus vnquam *Commentator* absolutè dictus fuit. 14. *Accuratè perpendat*, licet vna ex Impulsiuis Causis, siue etiam Vnica fuisset ad inducendum primò Aristotelem in Catholicas Academias, scholasque, tanquam omnium in Philosophicis magistrum,

gistrum, defectus tunc librorum, qui ab alijs fuisent scripti Philosophis celebrioribus, plures tamen assignari posse Causas ***Finales***, siue ***Motiuas***, propter quas in subsequentibus etiam doctioribus sæculis cæteris Peripatetica Philosophia fuerit prelata, & licet Platonis, aliorumq; Philosophorum à Græcis ad nos fuerint delati libri, adhuc tamen Aristotelis loco haud alius e Philosophis repositus in Academijs, Scolisque, & pre cæteris etiam sanctitate, ne dum doctrina præstantissimi Viri illũ in Philosophicis tanquam Ducem secuti fuerint. Nan ***Primò*** nullius Philosophia est adeò Methodica, sicuti Aristotelica. ***Secundo*** nulla agit de tam multis. ***Tertiò*** nulla tam breuis, & sine verborum lenocinio plurima comprehendens. ***Quarto*** nulla afferre videtur rationes meliores, responsionesque solidiores. ***Quinto*** nulla magis clara, suumq; explicans sensũ, cũ cæterorũ Philosophia Metaphoricas, vel etiam Ænigmaticas voces, vel Paradoxa quoque adhibeat; ac nominatim ex ***Platonica*** dicatur non posse vnquam colligi certò illius Philosophi sensus. ***Sexto*** Aristotelis errores, vel sunt manifesti; vel probabilem aliquam interpretationem admittere queunt illius dicta, quæ Catholicis veritatibus censentur aduersari; & quoad ***Diuina*** præsertim benè scripsisse censeant multi, afferantque ad id etiam **S. *Paulinum*** monentẽ ***Iustum*** sic. ***Esto Peripateticus Deo***: Nec Platonis Philosophia multorum etiam contra fidẽ errorum expers censeatur. Preterea opportunum Ecclesie commodis censuerunt illi, si ijsdem armis, quibus ex Aristotelis Codicibus depromptis Ecclesiæ hostes Ecclesiam oppugnabant, contra eosdem illam Ecclesiæ Filij propugnarent. Negari enimuerò haud potest, quin si Ethnici Philosophi, & vnius prælegenda sit in Scholis Philosophia, preferenda sit Aristotelis. An verò expediret Vniuersali modò fidelium bono aliam prelegere, vel collectam e Diuinis literis, Sanctisque Patribus, vel excerptam ex alijs quoque illustribus Philosophis; ***aut*** vna cum Peripatetica prelegere etiam Platonicam, Stoicam &c. ***aut*** aliquorum, quæ multis videntur, Aristotelis placitorum lectionem publicam vetare omnino &c. diuturna meditatione, ac discussione opus est. Quando aliter non decernatur, communi standum consuetudini in Academijs, Scholisque. Nec Aristotelis Philosophia Veritati Catholice, aut moribus Christiano homine dignis præiudicium inferet, si insistatur vestigijs Virorum pietate, prudentia, ac doctrina insignium in illa tradenda. 15. ***Cum Aristoteles*** fuerit in sæculis ante, & post ***Christum*** natum omnibus inter celeberrimos habitus Philosophos, illiusque doctrina celebres etiam asseclas habuerit semper; ***dignos*** irrisione censeat illos omnes (hi enimuerò non possunt non esse homines, nisi leuis ingenij, nulliusq; iudicij) qui Aristotelem passim vituperant, floccifaciunt, irrident, & alijs etiam exsibilandum proponunt. Laudibus multis, ac meritò, extulerunt il-

lum doctissimi semper Viri, ac pietate, ingenioq; singulari præditi à sæculis præcipuè quinque: Quorum omnium iudicium fuisse veritati dissonum non nisi mendacissimus, vel potiùs insanus affirmare potest. *Ita tamen æstimet* Aristotelem, vt non putet illum heroicis omnibus virtutibus fuisse exultum, adeoque inter Cęlites referendum; vel pręscripsisse sibi Deum in producendo Aristotele omnes suæ potentię fines, ita vt rerum omniũ naturalium perfectam cognitionem illi tribuerit, plusquam forsan etiam *Salomoni*, vel *Adamo*, & postea non condiderit, vel condere potuerit, aut possit hominem, qui sit par Aristoteli in Philosophicis. Has quidem laudes ab animo non minùs impio, quam assentatore oriri, nemo non prudens videt. Qui hæc in medium protulerunt, proferuntque, videntur de ipsomet Aristotele male mereri; nam ad petulantes horum retundendas voces alij, consultò omnia, quæ in Aristotelis moribus vitia deprehendi potuerunt, possuntq; ex Auctoribus, qui res ab illo gestas conscripserunt, siue de illo meminerunt, omnesque errores, quibus obnoxia videtur illius doctrina, in vnum collegerunt, aut colligunt, publicique Iuris fecerunt, faciuntque: Idq; ad summum *tum* Catholicæ, *tum* literarię Reipublicæ bonum pertinere existimant; imò nonnulli ex Lege Diuina ad id se teneri arbitrantur. *Nimia laus sæpe laudatis obest.* Potius errores quidam, siue in Moribus, siue in Doctrina, quos per ambages tantùm, siue Cauillationes tueri possumus, manifestandi vltro potiùs, ne alij ingerant, amplificentque. 16. *Sedulò perpendat*, an laudabile foret, & in Aristotelicę beneficium Philosophię (quando iam conantur aliqui in Scholas inducere aliorum doctrinas Philosophorum, quas existimant esse magis Ecclesiæ commodis opportunas) si eadem Aristotelica methodo seruata, ac demptis quibusdam Aristotelicę Philosophiæ Principijs, siue effatis, quę Catholicę fidei communiter repugnare censentur, noua quędam Philosophia cuderetur, quę quidem Aristotelica simpliciter appellari posset, *tum* propter seruatam illius methodum, *tum* quia quęcumq; Aristotelis pronunciata fidei Principijs non repugnantia contineret; quam Philosophię Professores explicare, ac Discipuli audire tenerentur in Catholicis omnibus Prouincijs constituti. 17. *Nunquam S. Scripturæ Voces contra* earum communem, ac literalem sensum, receptum maximè vnanimiter ab antiquioribus Patribus, ad Vocum Aristotelicarum acceptionem interpretur, impropriosque, ne dum repugnantes, sensus illis tribuat, eo quod Aristotelis effatis aduersentur, vel non conformentur, siue minùs consentiant. Hoc enimuerò est *sensus Hominis, ac Ethnici Diuinis præferre* sensibus. *Haud Peripatetica doctrina* Diuinarum Vocum Interpretationis Regula esse debet. Nunquam sic pius, prudensq; Aristoteles de suis Vocibus sentire potuit. 18. *Nunquam Ari-*

stoteli adhæreat ita, vt propter illius auctoritatem sensus relinquat, experientias neget; Demonstrationes aliorum Philosophorum reijciat; & ad id cauillationes excogitet. Profectò haud Aristotelis ipsius insistet vestigijs. 19. *Si propter auctoritatem Aristotelis* alicui propositioni assensum præstet, etiamsi addatur ratio, dum tamen illius rationis assensus vltimò resoluitur in auctoritatem Aristotelis, intelligat se non *Scientiam*, sed *Fidei* habitum acquirere, iuxta ipsius quoq; ab Aristotele traditã scientię definitionem. *Nunquam* Aristoteles voluit, vt Peripateticus sibi in acquirenda scientia fidem haberet tantummodo. Ab Aristotelicis moribus, ac pronunciatis recedunt illi, qui Peripateticam doctrinam vltimò resoluunt in Aristotelis auctoritatem. 20. *Cum Probabiles* duntaxat afferat Aristotelis persæpe saltem rationes ad probandas suas conclusiones; eiusq; Principia nonnulla Physica sint ad summũ probabilia: ineptè *sciat* facere illos, qui vt Demonstrationes, ac Certa, Euidentiaq; Principia illa assumunt, ac tueri tentant; iniuriamq; simul inferre Aristoteli; quasi ipse non viderit eorum Euidentiam, ac Certitudinem. 21. *Cum Aristoteles* quandoq; non apertam proferat sententiam, sed ambiguis vtatur verbis, dubitetq; an ita sit; parum sapienter ille faciet Peripateticus, qui affirmatiuam, vel negatiuam partem ex professo tueri velit, tanquam ipsius Aristotelis. 22. *Cum aliquando ad populi captum*, & secundum vulgi sententias loquatur Aristoteles, Peripateticus illius mente aliunde inuestigata huic, & non illis sententijs, quas vocibus tantum est interdum amplexus, adhęreat. 23. *Cum Coniecturis* interdum vtatur tantummodo ad aliqua suadenda, ne illas, tanquam Rationes Euidentes, vel summè Probiles tueatur. 24. *Si ipse Aristoteles* censet fidem habendam in ijs, quæ ad eorum scientiam pertinet, Mathematicis, illius vestigijs haud insistet, dum Mathematicis nunc illam perneget, & ad tuenda Aristotelis nonnulla pronunciata, quibus non repugnabant tunc Mathematici celebriores; Mathematicos decipi, Mathematicorum recentiorum axiomata inniti occulorũ illusionibus &c. assereret. 25. *Contra Rationẽ*, & Peripateticã doctrinã 1. *Moral. c.* 4. peccabit, si quæ nõ vera protulisset Aristoteles ex apparenti quadam in illum beneuolentia (ille enim semper *Veritatem esse Amicis præferendam docet*) tanquam adhuc vera tueri voluerit. 26 *Cum fuerit Aristoteles* a nonnullis, quibus, vt *pote peritis in sua arte, fides habenda erat*, deceptus aliquando: iniquum esse putet illius asserta ab hisce habita, quę falsa deprehensa sunt, tueri; maximè cum errores in *Geographia*, *Cosmographia*, *Perspectiua &c* Sint potius alieni, nec proprij Peripateticæ Doctrinæ vt sic, nec Philosophicæ Demonstrationes, siue Argumentationes per se Principijs talium scientiarum innitantur, multoq; minus earum Professorum

dictis. 27. ***Cum Ariſtotelicæ propoſitiones*** complures ſint ſolum verę vt plurimum, & ita ſumantur ab Ariſtotele, vel ita illas ſumpſiſſe abſq; dubio cenſendum ſit, niſi falſitatis arguendus ſit; minùs ſe ſapientem Peripateticum putet, dum illa ita vehementer propugnabit, vt neque *per accidens*, nec *aliquando* minùs eſſe veras velit. 28. ***Animaduertat,*** Ariſtotelis ingenium maximè ***Metaphyſicis ſubtilitatibus***, & ***abſtractionibus*** accommodatum fuiſſe ; Quare ſtatim confugit ad Rationes quaſdam ***Communes, Vniuerſales &c.*** & in huiuſmodi quidem Metaphyſicis videtur cæteris pręſtare Philoſophis ; & propter hoc forſan à ***Platone*** Magiſtro ***Mens*** dictus fuit. 29. ***Haud illorum*** ſtet ſententiæ, qui in Phyſicis parum Ariſtotelē excellere dictitant; nam contrarium euincunt libri ***Meteorologici quatuor***; de ***Generatione***; de ***Partibus***, ac de ***Hiſtoria Animalium***, ***Parua Naturalia &c.*** Eſt Verum quidem, quod in his ſæpe deceptus fuit; Sed mirandum, quod non ſæpiùs, cum de tam multis Phyſicis egerit, quæ ipſemet viſu explorare omnia nō potuit, ſed alijs, & aliquando re ipſa parum peritis, fidem habere debuit. 30. ***Maximo*** habeat in pretio ***Logicos***, ac ***Morales*** conſciptos ab Ariſtotele libros. Naturam ***Sillogiſmi***, ac ***Demonſtrationis***, ***Virtutum***, ac ***Vitiorum***, nemo exactius indagauit, indicauitque. In ***Phyſicis*** mirificè illius Ordo, ſiue Methodus commendatur, ac meritò. Eſt verum quidem, quod octo Phyſicorū libri poſſint videri ad Metafiſicam potius ſpeculationem pertinere; eo quod quidditates rerum in Vniuerſali indaget, explicetque, per vniuerſalia philoſophetur, nec vt Phyſici, plurimum innitatur experientijs &c. Inſcribantur autem Phyſici quia verſantur circa ***Principia***, ***Cauſas***, ac ***Proprietates*** rerum Corporearum, ac ſenſibilium, licet Metaphyſico more. 31. ***Ariſtotelis mores***, eiuſq; ***Vitæ Hiſtoriam*** ex probatis Auctoribus notam habeat; horum multorum enim intelligentiam, quæ in eius libris leguntur, & ſcientia conducet. 32. ***Cognoſcat***, quinam fuerint illius diſcipuli, & qui illi in Schola ſucceſſerit immediatè, & qui ſubinde; ab illis enim aliqua cognoſcet ad Ariſtotelis doctrinam ſpectantia. 33. ***Notas habeat*** ſectas Peripateticorum, & qui in illis pręſtare iudicati ſunt; nam Inter Gręcos videtur pręſtare ***Alexander***, Inter Latinos ***S. Thomas***, Inter Arabes ***Aueroes***. Secta autem Arabum minoris facienda, quam aliæ. 34. ***Nulli ſectæ***, vel ***Aueroiſtarum***, vel ***Alexandræorum*** ſe addicat, ita vt tueri velit quæcumq; ab illis aſſerta, tanquam Ariſtotelica, certò : ***tum quia*** cum illi in multis errauerint cōtra fidem, ipſemet contra eamdem peccabit, ſi eas propoſitiones vt veras tueri voluerit; ***tum quia*** nec in omnibus ſunt ipſi Ariſtotelis ſenſum aſſecuti; ***tum quia*** ſi nec ipſius Ariſtotelis ſententia amplectenda, quando fidei, ***vel*** ſenſui, ***vel*** rationi repugnat, ***vel*** quando clarior in aliorum dictis appareret veritas; multò minus alicuius ex illius ſectatoribus; ***tum quia***, cum

inter

inter liberales artes recenſeatur à Peripateticis Philoſophia, haud cum ſeruitute edilci debet. 34. *Notas quoque habeat ſectas aliorum Philoſophorum*, quæ ſubſecutæ ſunt Peripateticam, & maximè illas, quæ Peripateticam anteceſſerunt cum opinionibus celebriorum ante Ariſtotelem, vel viuente Ariſtoteli Philoſophorum, etiamſi aſſeclas non habuerint, vel ſectarum Principes non fuerint; Nam qualis ſit Peripatetica doctrina, & quæ ab aliorum Sectis, doctrinis ue acceperit, in quibuſnam ab ijs diſcrepet, an in vocibus tantum diſſonantia ſit &c. hinc percipiet. *Simul* quoque antiquiorum Medicorũ ſectas perſcrutetur, ac perpẽdat, quænam ab illis, ac nominatim *Hippocrate*, didicerit. 35. *Intelligat* inter Argumentationes, quarum ſpecies quatuor enumerantur ab Ariſtotele, duas quidem eſſe Peripateticæ tantum Philoſophiæ proprias, *Sillogiſmum*, & *Inductionem*: Quare Peripateticus, *vel* cum tuetur propriam ſententiam, vel *alienam* differens aggreditur, non alias adhibeat argumentationes; ſecus enim Ariſtotelis menti haud ſe obſequentem oſtendet; nec perfectiſſimo ad Veritatis indagationem Peripatetico inſtrumento vtetur. Quare entymema quoque ad Sillogiſmi formam reuocabit, eo etiam nomine, quod tres Sillogiſmi propoſitiones magis Veritatem explicant, nec fallacijs adeò ſunt expoſitæ, ſicuti entymemata. *Ariſtotelis etiã Argumentationes*, ac Rationes ad Sillogiſticam omninò formam reuocet. 36. *Inter Sillogiſmorum figuras*, quas ingenioſiſſimè, ac exactiſſimè Ariſtoteles explicat, adhibeat maximè *Primam*; hæc enim Veritati indagandæ, ac habendæ eſt omnium opportuniſſima, cum eius modi, ac præſertim duo Primi, euidentiſſimè concludant; aliæ verò duæ ſint Imperfectæ reſpectu huius, & niſi earum Modi ad primæ modos reuocari queant, non habeant vim: In Primæ enim figuræ Principijs, Quæ ſunt *Dictum de Omni*, ac de *Nullo*, continentur, vel *Potentia*, vel *Actu* omnes modi rite concludentes. Quare rationes, quas adhibet, in aliquo ex primæ figurę modis conſtituat, vt vim earum perſpicacius cognoſcat, & ad eorum normam Ariſtotelicas rationes examinet, ac reuocare conetur. 37. *Sciat*, inter *Argumentationes* Mathematicas aliquando *Analyſim* adhiberi ab Ariſtotele, ſiue *Methodum Reſolutiuam*; Interdum enim alia ratione directè non videtur poſſe conuinci, vel meliùs oppugnari aliorum ſententia, quam oſtendendo ex illa ſequi aliquod impoſſibile, vel abſurdum, nec propria melius probari, quam ſi oſtendatur, ex illa nullum impoſſibile, vel abſurdum ſequi; & hinc talis argumentatio diuiditur in *Probationem*, ac *Reprobationem Analiticam*. Equidem hic modus argumentandi dicitur merito *egregius*, & *Philoſophiæ opportunus*, maximè cum verſatur circa res inſenſibiles, remotaſq; a ſenſibus, quas nequimus per propria, ſed per extrinſeca tantùm principia cognoſcere.

38. *Inter*

38. *Inter Demonstrationes* sciat aliquas esse *perfectissimas*, alias *perfectio-
res*; alias *perfectas*; alias *minùs perfectas*. quarum etiam plures assi-
gnari queunt species; & si ritè examinentur rationes omnes, quæ ab
Aristotele afferuntur extra *Logicæ* præsertim *Libros*, vix vllam reperie-
ri Aristotelis propriam, quę sit perfectissima, pleraſquę esse minùs
perfectas, vel imperfectas; alias solùm Demonstrationes ad ho-
minem, vel ex suppositione. Demonstrationes Morales facilius est
reperire in Ethicorum libris. Cōferat quæ dicuntur Demonstratio-
nes Aristotelicæ cum conditionibus, quas ipsemet Aristoteles exigit
ad illas in libris *Posteriorum*, qui diligenter perlegendi. 39. *Cum inter
libros*, quos reliquit Aristoteles absolutiores, *Octo Topicorum libri* nu-
merandi sint, eorumq; notitia quam maximè vtilis sit ad Scientia-
rum acquisitionem, maximè cum Demonstrationes ad summum
paucissimas habere quiuis possit celebris etiam Peripateticus, illi di-
ligenter euoluendi simul cum *Elenchorum* libris, *tum* ad argumentatio-
nes captiosas, quæ fierent contra Aristotelicam Doctrinam, elu-
dendas, *tum* ad perfectionem Demonstratiuorum, ac Probabilium
Silogismorũ cognitionem habendam; pręcipuè cum in fine *Elencho-
rum* Aristoteles cupiat sibi referri gratias pro his, quæ docuit de
Sillogismis &c. 40. *Licet aliqui existiment Porphyrij Isagogen* esse rele-
gandam e Scholis, vt pote hominis de Christianis pessimè meriti, ac
plura tradentis impropriè, superuacaneè, prolixè; *Vsque dum tamen*
id fiat, eius auctoritas haud est spernenda in ijs, quæ ad Isagogen per-
tinent; in illam enim Commentarios nobiles Philosophi, sicut & in
Aristotelem, etiam Catholici, & Christiani ediderunt; imò fuerunt
nonnulli, qui tantummodo in illam *Isagogen* eos conscripserunt. *Illius
tamen Auctoritas* solùm æstimanda in ijs, quæ pertinent ad *Quinque
Prædicabilia*; nam in cæteris, quę docet, vel innuit, in nullo ferè ha-
beri solet pretio; *Imò* si circa definitiones Pręďicabiliũ, aliaq; ad hęc
spectantia non iuxta Aristotelẽ, vel minùs cōformiter Aristoteli quid
proferat, haud est auscultandus. Certè dum assignauit nominatim
duplex genus Accidentium, *Separabile*, ac *Inseparabile*, sensisse potiùs
cum Platone, cuius sectæ erat, quam cum Aristotele, qui non agno-
uisse dicitur *Accidens* inseparabile, aliqui scribunt. 41. *In Metheororum
libros* maximè incumbat; iucundissima enim est, vtilissima, ac hone-
stissima, illorum, quæ ibi traduntur, contemplatio; nec leuem labo-
rem, nec mediocre ingenium, sed summum vtrumque exigit asse-
cutio causarum proximarum, ac particularium effectuum illorum,
qui in his libris leguntur. Et experientia quidem patet, quò magis hi
Physici effectus pertractantur, eò difficiliores cognitu esse; cum
singulorum singulares, ac immediatæ sint assignandæ causæ, nec ad
Metaphysicos conceptus confugiendum. Certè *In Quarto* nomina-
tim

tim *Meteororum* res, quę tractantur *Subtilium antesignanus Scotus* aperte fatetur *esse difficillimas*. Et in hoc quidem libro peculiaris reponenda opera; nam in eo traduntur Principia quædam, e quibus solutio multorum aliorum effectuum, qui ibi non explicantur, haberi potest. *Mirandum*, quod alicubi *horum librorum*, sicuti & *Paruorum Naturalium*, aliorumque similum lectio omittatur, cum nulla maiore afficiat animum voluptate, & quæ sola alliceret complures ad studium Philosophiæ, quod in quibusdam minoris momenti, & quæ tedio afficiunt Auditores, potiusq; eos reuocant à studio Philosophię, impenditur. Nobiliũ maximè studium in his Quatuor libris deberet collocari. Difficultates maximas, quæ vrgent illos, qui sedulam volunt operam ponere in libris Meteorologicis, in assignandis causis Physicis singularibus, & proximis eorum singularium effectuum, & experientias, quas debet facere plurimas, qui exactam illorum cognitionem habere debet (alioquin si experientijs ab alijs traditis ipse fidem habeat, ipsemet non erit perfectè sciens) credi potest multos retardasse, ac retardare ab eorum studio; quibus videtur iucundius, ac salubrius in priuato cubiculo extra Solem, & aleam subtilitates quasdam venari, ac suo Marte naturam fingere, illamq; suo intellectui, non verò intellectum rebus ipsis, quæ de facto existunt, accomodare; & non ex effectibus priùs visis causas colligere Physicas, ac singulares proximas, omnia, quę concurrerunt ad illos, solerter perscrutando, & quęnam per se, à quænam per accidens; sed causas quasdam vniuersales, & insensibiles quasdam rationes animo sibi fingere &c. 42. *Libros de Cælo*, non nisi Mathematicorum celebriorum, ac recentiorum, maximè si Aristoteli non fuerint infensi, adiutus præsidio euoluat; Nec ad saluanda Aristotelis dicta quædam, *vel* experientias neget, *vel* contra communia planè Mathematicorum hoc tempore illustrissimorum pronunciata Philosophetur, *aut* illos decipi asseueret, *aut* cauillationes quasdam excogitet. *Pro certo habeat*, Aristotelem aliqua ad Cęlum attinentia iam asserta retractaturum, si hisce postremis vixisset temporibus, ac eadem instrumenta ad *Cælorum* cõtemplationem (ob quæ fælicia magis in eorum consideratione sæcula nostra existimari queunt, & propter quæ peculiariter recentiora ingenia non palmam cedere antiquioribus putant multi) adhibere potuisset. *Præterea videat*, *An* ea, quæ tradit Aristoteles *Quoad Cæli substantiam, eiusq; Ortum, ac Interitum*, sint conformia *S. Scripturæ, S. Patribus antiquioribus*, placitisque celeberrimorum etiam Philosophorum; & *An* quæ in Aristotelis doctrinę defensionem afferuntur, sint cauillationes, aut ad summum probabiles aliquæ rationes, & quæ innitantur alijs eiusdem Philosophi pronunciatis ab eo non probatis, sed suppositis, licet tamẽ accurata indigerent, indigeantq; discus-

discussione, & vel falsa sint, vel non vniuersaliter accipienda: Et
quamuis hæ argumentationes à nonnullis Peripateticis Demonstra-
tiones appellentur, *An* peccent etiam cõtra Regulas Logicas, sintq;
obnoxiæ pluribus Fallacijs, quas in Elenchorum libris ipsemet re-
censet Aristoteles. Quare cum faciliorem viam videt sibi aperiri ad
eas, quæ sunt de *Cælo*, quæstiones soluendas; ne illam deserat Physi-
cus, dum illa maximè innixa est experientijs; nec vllius auctoritas
Philosophi illi præiudicium inferat, vnde cogatur negare experien-
tiam; Veniat illi in mentem, quod ad Philosophos, vt sic, solummodo
spectat indagare *Naturam*, & *Causas Cæli*; Mathematicorum,
autem propriũ munus esse, explicare Magnitudinem, Numerum,
Choræas, Conuersiones, Reuolutiones, Oppositiones, Coniunctio-
nes, Accessus, Recessus, Apparitiones, Occultationes, siue Abscessus,
Denuntiationes, Portenta, Euentus &c. Vtrisq; autem esse Com-
munia, Motum, Tempus, Lucem, Situm, Ordinem, & Figuram:
Non poterit autem Philosophus Causas, Naturamq; Cęli declara-
re, vt par est, nisi e Mathematicorum proprijs effatis plurima desu-
mat. Præsuppositis enimuero obseruationibus, quæ per se spectant
ad Mathematicum, cuique philosophandum est de Cæli substantia,
eiusque causa materiali, ac formali. Non obseruationes accommo-
dandæ nostris opinionibus, quas animo iam concepimus. Inanibus
quidem verbis eludi illæ poterunt, at nunquam veris. *Præterea*, si
Aristoteles ipse in ijs, quæ ad res non sublunares pertinent, vltro, &
expresse fatetur se probabilia sequi; cur Demonstrationes nonnulli,
qui se illius asseclas profitentur, appellent Doctrinam in libris de
Cælo traditam? Præferunt se ipsos Aristoteli, quem vt omnis Na-
turalis Veritatis oraculum se habere dictitant: Hoc enim verò est
illum in oculis ferre? Rationes quidem illæ, quæ afferuntur ab Ari-
stotele, potuerunt illi, alijsque eo ac subsequenti tempore aliquas de
Cælo opiniones reddere probabiles, quæ nostris sęculis potuerunt, &
falsæ deprehendi. 43. *Secundum, Tertiumque Librum* de Anima, &
hunc præ *Secundo* diligentissime verset (nam in *Primo* fermè totus est
in referendis antiquiorum de Anima Opinionibus, ac in Varijs Du-
bitationibus proponendis &c.) & cum Græco textu, ex correctiori-
bus tamen editionibus illos conferat, celebriores adhibeat Interpre-
tes, qui emendato textu fuerint vsi, & non ex industria aliqua addi-
derint, vel demerint textui, vel non contra sensum Aristotelis ferme
clarum Voces illius hisce repositas libris violentè omnino fuerint in-
terpretati: Nunquam quis certè euincet, Aristotelem apertè animæ
mortalitatem asseruisse, vel negasse immortalitatem, cum tamen
aliquid immortale præter materiam primam posuisse in homine ma-
nifestum sit. Si illud esset certum, ac euidens; *Quomodo* pleriq; Peri-
patetici

patetici ex omnibus etiam sectis, ob doctrinam, peritiamq; Aristotelici textus celeberrimi, asseruissent, ac assererent d sertè, *Stagyritam* stare potiùs pro Animæ Immortalitate? *Quomodo* qui Aristoteli in Schola successerunt eamdem de Immortalitate sententiam fuissent amplexi? *Quomodo* non pauci etiam in Aristotelico textu versatissimi profiterentur, dari potius Demonstrationem, quod Aristoteles huiusmodi asserat immortalitatem, idq; probari euidenter ex rationibus, quas in *Tertio* nominatim *Libro de Anima* in medium profert? *Quomodo* quidam adderent, post diuturnum, accuratumq; in euoluendis Aristotelicis libris, certum esse, Aristotelem sæpè Immortalitatem, nunquam verò Mortalitatem affirmare, & ex illo afferri solum Principia quædam vel *Communia*, vel *Aliena*, e quibus per contortas consequentias id deducitur? *Cum ergo*, nisi mentis inops, negare possit, quin saltem sit probabile, quod Aristoteles Animę Immortalitati faueat; *Christianus*, qui vel leuiter prudentia sit præditus, cognoscens e contraria opinione multiplicia inferri incommoda, *tum Catholicæ Religioni*, cui nulla esse videtur pernicisior doctrina, *tum Ciuilis quoque Republicæ* tranquillitati, cum ad omne scelus aditum aperiat; non contra illam stare Aristotelem, cuius auctoritas in summo solet esse pretio, saltem probabiliter, non asserat? Dignus haud est inter homines numerari ille, qui cum possit se ipsum rationabiliter supra Belluarum sortem efferre, cum illis tamen Communem sortem amat, fouet, & curat &c. 44. *Libros de Generatione, & Corruptione* ita euoluat, vt tamen intelligat, non omnino efficaciter probare Aristotelem, aliqua de facto dari, nec nonnullis experientias omninò suffragari; multa quidem solum probabiliter suaderi, quę verus Peripateticus, non tanquam Demonstrata habere, vel tueri debet. 45. *Libros Aristot. Metaphysicos*, saltem qui ad nos peruenerunt, norit esse mancos, ac imperfectos; ex aliquibus nec posse haberi, quid ille senserit, cum dubitationes tantum in illis proponantur; & licet multa scitu digna, ingenioq; Aristotelico dignissima ibi tradantur, sæpiùs tamen solas explicationes Vocum nonnullarum ibi haberi: Vt ex hoc ipso possit intelligi, quantum ad Sapientiam (hoc nomine insignitur Metaphysica) conferat vocum acceptionis notitia. 46. Cum *Aristot.* profiteatur aliquando *se leuiter nonnulla tangere*; non omnia, quæ possent à Philosopho dici, in quibusdam quæstionibus dixisse: immeritò quis Peripateticus sibi suadebit, se non indigere altero Magistro, quam Aristotele, alterius libri lectione, quam librorum Aristotelis, si perfectam Philosophiam acquirere velit. *Et nemo* quidem sanæ mentis negare potest, quin valde manca nunc sit Philosophia Aristotelis, quam præ manibus habemus, *tum* quoad illa quæ de *Deo*, *Intelligentijs*, ac *Anima* lumine naturali co-

gnosci queunt, ***tum*** quoad illa quę pertinent quoque ad res Physicas, ***tum*** animatas, tum inanimatas, & nominatim quoad plantas, metalla, lapides, ac pertinentia ad externos Sensus &c. *Verum* id Aristotelis intellectui, vt pote finitæ virtutis, condonandum; est ad integram enim de horum vnoquoq; tractationem nec centum annorum hominis ingeniosissimi vita sufficeret, etiamsi diu noctuq; in habendis experimentis, & lectione assidua desudaret. ***Suspiciendum est Aristotelis ingenium***, quod cum vitam ille produxerit dumtaxat ad annum *63.* tam multa tamen, & tam latè, ac methodicè, tractauerit, addideritque propria industria antiquorum Philosophiæ ingeniosissima complura. 47. *Conetur*, quantum fieri potest, à *Contradictionibus* Aristotelem, de quibus Aristoteli infensi accusare illum non rarò enituntur, vindicare; est maximum enimuerò vitium hoc in Philosopho, & maximè, si contradictoria sint obuia, & in illa appareant materia, quam ille mordicus tuetur, & quę videtur esse vnum ex principijs suæ Philosophiæ. 48. ***Ne sit ex eorum numero***, qui initio docendi, vel legendi Philosophiam, ***Peripateticam doctrinam*** valde commendant, eam se profiteri publicè etiam prædicant; At postea in temporis decursu, non solùm ab his, quæ vel ***Fides***, vel ***Experientia***, vel *Aperta Ratio* contra Aristotelicam doctrinam docet, verũ etiam ab illis quæ probabilia, vel probabiliora sunt in doctrina Peripatetica, possuntque laudabiliter propugnari, apertè recedunt, sibiq; plausum in hoc quærunt ab auditoribus, si Aristotelica minus probent. ***Simulatorium*** hominum genus, qui fucum imperitis facere volunt, à Viris ingenuis, quales esse debent Philosophiæ studiosi, detestandum. 49. ***Sedulus sit in euoluendo***, & attentè, libros Aristotelis; sæpius verò euoluat libros *Acroamaticos*, quos antemeridianis horis dicitur solitus fuisse Aristoteles explicare, hoc est, libros *Logicos*, de *Physico Auditu*; de *Cælo*; de ***Generatione***; de *Anima*; ***Metereologicos***, ac ***Metaphysicos***; præ ***Exotericis***, quos vt potè faciliores, pomeridianis horis explicabat, hoc est, de *Rethorica*; de *Poetica*; de *Moribus*; de *Historia Animalium, Partibus &c.* Discet vt plurimum noua, vel confirmabitur magis in Aristotelis sententia. ***Meminerit*** tamen, esse *Consequentis* Vitium asserere, *Quod* Aristoteles in suis libris affirmat, vel negat, idem Peripatetico affirmandum, vel negandum est: *Si autem* in illis non affirmat aliquid, nec negat, non affirmandum, vel negandum est Peripatetico. *An* omnes Veritates in medium protulit Aristoteles? *Quot* in aliorum quoq; libris etiam ad Philosophiam spectantes est inuenire! *An* non multi ex illius libris perierunt, in quibus aliæ Veritates præter iam repositas in libris, qui ad nos peruenerunt, occlusæ enimuerò erant. Argumentũ ***ab Auctoritate negatiuè*** fallax. 50. ***Tunc se Peripateticum putet***, cũ (præcisis ijs, quæ Fides, vel

vel *Experientia*, vel *Euidens Ratio* contra Aristotelicam doctrinam doceret) illius effatis ita adhærebit, vt nõ propter Illius Auctoritatem vltimò, sed propter Rationes ab eo allatas, siue probabiles fuerint, siue probabiliores &c. Illis assensum præstet, eaque confirmare, vel explicare magis conetur; doctrinamque Peripateticam contra illi infensos, & qui eam ex legitimo suæ Dignitatis solio deturbare niterentur, studiosè enitatur tueri, non inanibus, multoq; minùs in alios contumeliosis vocibus, sed solidis rationibus. *Optimè autem de Aristotele merebitur ille, qui Aristotelis Axiomata, siue Pronunciata animo retinens, si quid noui moliri, si quid reconditi proferre velit in medium, operam adhibuerit, vt omnia ex illis deriuet, aut deriuare videatur.*





Præstantissimo, ac Illustrissimo Viro

ALOYSIO QVIRINO

Veneti Senatus à Secretis
In extrema Ætate
Acerrimum adhuc exhibenti Ingenium,
Iudiciumque;
Ne dum Mitioribus Literis,
Sed & Philosophicis, ac Theologicis
Polito Disciplinis:
Illustrissimoque Marchioni

BARTHOLOMÆO BRVSANTINO

In Ferrariensi Academia tredecim ab hinc annis
Suo in Philosophicis Auditori;
Quem Maiorum Nobilitas,
Ingenij Splendor, Morumque Humanitas
Singularis exornat;
Animaduersiones Quinquaginta
PRO ILLO, QVI IN ARISTOTELICI
TEXTVS
STVDIVM INCVMBIT

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

E Comitibus Placentinis
Amoris, & obseruantiæ in illos
Testimonium.
D. D. D.

Caput Decimum.

1 INter Calites singularem deferat venerationem *S. Thomæ Angelico Doctori*, qui Vniuersos Aristotelis libros multa cum laude est interpretatus. *2. Curet habere perspectum*, *Quinam* sint ex vnanimi Peripateticorum sensu libri ab Aristotele conscripti; neque enim cum nobiles, nec pauci Peripatetici sentiunt aliquos haud esse Aristotelis libros, illorum auctoritas, tanquam certa ex Aristotele, afferri potest, sed tantummodò tanquam probabilis, vel probabilior. *Illi videntur* absque controuersia recipiendi, qui à *Diogene Laertio* proponuntur, & contra quos, vel nihil, vel leuissimum quid re ipsa obiectum. Eadem autem styli similitudo non necessario indicat Aristotelem; reperiuntur enim aliqui perfectè alienum imitantes stilum; id tamen cum alijs adminiculis satis quandoq; erit ad prudens iudicium de Auctore libri efformandum: *Nec* ex eo quod aliqui Aristot. libri sint clariori stilo, censendi sunt non Aristotelici; aliquæ enim materiæ obscuriorem, aliquæ clariorem exigebant; ideoq; etiam Aristot. difficiliores, & obscuriores matutinis horis, in quibus intellectus videtur magis aptus, vt pote non ex cibis grauis, minusq; aliarum rerum speciebus præpeditus, ad intima scientiarum arcana peruadenda; faciliores, & clariores pomeridianis horis explicabat. *Aristot. stylus* solet esse breuis, acutus, concisus, antiquorum dictis conspersus, vniuersalibus propositionibus fœcundus, prægnans rerum varietate, argumentis exæstuans, ordinatus. *3. Habeat libros Aristot.* quam maximè *emendatos*, & iuxta originales, vt dicitur, libros ab eodem editos, & *Græca* conscriptos lingua; habet enim materna Auctoris cuiusque, & maximè celebris, lingua peculiares quasdam sensuum proprietates, quæ aliena lingua nequeunt explicari; Id verò multò magis præsumendum de Aristotele, qui fuit multiplici scientiarum genere mirificè exornatus. *Si Græcam ignoret linguam*, illamq; perfectè ediscere haud sit animus, vel nō adsit tempus illi ediscendæ opportunum, *Latinam versionem* Græco texui legitimo quam maximè consonam habeat. Sciat tamen, non solùm cum celebres Aristotelis interpretes, ac Græcæ linguę periti inter se diffident circa aliquos textus, & cum coniecturis solùm quibusdam vtuntur, non posse afferri tales texus tanquam indubitatè Aristotelicos; verum etiam non omnes (si candidè, vt par est Philosopho, loquendum sit) tanquā indubitatę fidei posse afferri ex ijs, qui communiter recipiuntur modò à Peripateticis; *tum quia* non adhuc certò exploratum est, inter ipsos quoque, an aliqui libri sint Aristotelici; *tum quia nō solùm* e *Strabone*, & *Plutarco* nominatim scimus, Aristotelis libros partim tineis corrosos fuisse, partim humiditate labefactatos; *Apelliconem Teium*, qui voluit corrosiones emendare, eos dedisse transcribendos, ac edendos erroribus plenos; ac *Tyrannionem Grammati-*

cum plerosq; Aristot. libros compilasse; ab eo adeptum exemplaria *Andronicum Rhodium* in medium protulisse, atq; edidisse ea, quæ Plutarchi tempore circumferebantur volumina: qui addit, *Neque omnes* Aristot. libros, neque accuratè ab eo lectos: *Verum etiam* quia hi plenè non consentiunt cum relatis, tum à Laertio, tum ab alijs antiquioribus; imò non pauca ab istis relata apertè dissentiunt illis, quæ in nostris leguntur Codicibus. Cum ergo vel à rudibus, ac sordidis hominibus in plurimis emendatos fuisse Aristot. libros habeamus, vel saltem plerosque, ac in multis haud consentire ijs, qui vt Aristotelici tam priscis temporibus habiti sunt à doctis, peritisq; Viris: *Quis* saltē tamquam omninò certum affirmare poterit, hos numero textus esse ipsius Aristotelis, has numero Voces ab eo fuisse adhibitas, has particulas ab eo repositas? Probabilibus enimuerò coniecturis dumtaxat, vt plurimum saltem, vti possumus. 4. *Inter Versiones* Aristotelicorum librorum minori in pretio habeat *Arabicam*: *tum quia* ab hominibus minùs peritis, quam fuerint Latini, facta; *tum quia* nec ex Latina versione ad vnguem reddita: *Inter Latinas* maiori habeat in prætio, quę magis Gręco texui videtur congruere, & ab hominibus Græcę linguę peritioribus facta est; Cæteris autem paribus præferenda, quę à Gręcis hominibus Latinam callentibus linguam exactè facta est: Cū autem *Græca exemplaria* inter se variant, per se præferenda, *Quæ* antiquiora; *Quæ* in selectis Bibliothecis, & apud selectæ eruditionis viros, candideq; fidei asseruantur, vel asseruata fuere. *Cum autem* dubium est, *Quænam* Versio pręferenda, *Quænam* Exemplaria sint præponenda; Quomodo ex vlla huiusmodi versionum, ex vllo huiusmodi exemplarium auctoritas, tanquam omninò certa, afferri poterit? 5. *Cum adhuc sint*, qui textus Aristotelicos cōmuniter receptos emendent, *nō solùm* Latinos ex Gręco, *verùm etiam* Gręcos ipsos, *vel* ex alijs exemplaribus, *vel* ex alijs Aristot. locis, *vel* ex coniecturis nonnullis &c. idq; circa alios in posterum efficere possint alij Philosophi, ac præsertim linguę Gręcę periti, ex quibus cęteris paribus primę partes deferendæ illis, qui in eadem regione, in qua natus est, vel scripsit Aristoteles, orti sunt; *fierine poterit*, vt Aristot. auctoritati Peripateticus in compluribus suis pronunciatis, tanquam indubitatæ penitus inniti possit? 6. *Magnifaciat* Aristotelicum texum; hunc enim in maximo habuerunt pretio semper, vbi in Academias, Scholasq; inductus est Aristoteles, viri ob pietatem, doctrinamq; eximiā celeberrimi ferè omnes; illiusq; sensū pro viribus assequi conati sunt. 7. In*telligat*, se, dum nititur tantum cognoscere, *Quinam* sint verborum Aristotelis sensus, *Quænam* rationes ab eo afferantur, *Quænam* sit germana Aristotelis mens; Grammaticorum, vel Historicorum fines præter gressum, nec dignum esse, qui in Philosophorum album referatur.

ratur. Fidelis poterit esse interpres, non verò Peripateticus re vera Philosophus: Haud est Orator, vel Poeta, qui bene interpretatur Ciceronem, Virgilium &c. *Ac præterea se*, Dum propter rationes pręcise, quia ab Aristot. proferuntur, assensum pręstat philosophicis illius pronunciatis, Topicum habitum, & Fidei, qui inter Topicos habitus videtur esse imperfectissimus, solummodò aquirere, nõ verò scientificum. *Philosophi partes exequetur*, si, vbi percepisse sibi videtur Aristotelis sensum, secum examinet; *An* verum sit, quod Aristot. dicit; *An* Aristoteles benè probet; *An* illius Ratio *Demonstratiua*, An *Probabilis*, An *Coniecturalis*, An *Fallax*: Ac denique, si ratio suadeat, certum, vel probabilem assensum pręstet Aristotelicę sententię; Ac *se* Peripateticum Philosophum esse, si propter rationem ab Aristotele allatam quidem assentiatur, sed non dumtaxat prout ab Aristotele allatam. 8. *Ne velit* ex eorum numero esse, qui *vel* tantum vt *Aritmetici*, siue potiùs tanquam *Pueri* librorum apices enumerantes supputant, quoties vox aliqua ab Aristot. vsurpata fuerit; & post multorum annorum studium compererunt v. g. Vocem *Entelechiæ quinquages septies* ab Aristotele vsurpatam fuisse, *Materiam centies* appellatã *Subiectum*, *quadragies* verò *Potentiam*; *duodecies Homerũ* fuisse laudatum; nomen *Demonstrationis* pro *Syllogismo practico* non nisi *quinquies* acceptum; *Parentheses* ducentas, & quinquaginta; *Pleonasmos*, non nisi *quatuor, & viginti*; *Hyperbatorum octingenta millia*; *Hellenismos* nõ tot quin plures, in Aristotelicis libris reperiri: *vel* qui reponunt solummodò studium, aut in Notis quibusdam *Marginalibus* Aristotelicis libris inserendis, *aut* in examinando, *An* hæc Vox, vel particula sit aptè disposita, *An* ex alio resarcienda loco; *In quot* capita nonnullus Aristot. liber, & *In quot* textus caput tribuẽdum sit; Hi enim comparantur *Textoribus*, vt pote qui in Aristotelicæ orationis tela *texenda, continuanda, distinguenda* vniuersum Peripateticæ artis opificium ponunt; *pro* vno Aristotelis vocabulo, *pro* vna interpunctione Aristot. addenda, vel demenda integros cõscribunt libros; *corruptos* Aristot. libros corrigunt; *verborum* lacunas coniecturis explent; *Sententiarum* scissuras suis cõmentationibus cõsarcinant: *Vel Qui* vt *puri Grãmatici Grãmaticaliter* verba Arist. intelligentes, ac explanantes in sententias abierunt *immanes*, *agrestes*, ac planè *barbaras*, Grãmaticorum enimuerò acerba dignissimi ferula: *Sed potius*, dum illo haud est genio, siue ingenio, vt vlteriores Philosophiæ Peripateticæ recessus peruadere non possit, *Græcorum*, *Arabum*, Latinorumq; Interpretum Volumina euoluens, similis *Odorarijs*, siue *Venaticis Canibus*, Aristotelis mentem inuestigans, eam *vel* rudem expoliat, *vel* distinguat ambiguã, *vel* latentem educat, *vel* confusam aperiat, *vel* occæcatam illuminet, vt ipsemet Aristotelis animus innotescat; sic enim, si non Peripatetici,

& Philosophi, certè boni interpretis Peripateticæ doctrinæ laudes obtinebit. Et aliquorum quidem intellectus solummodò, vel præcipuè idoneus est ad explorandam Aristot. mentem; non autem eo politus est acumine, vt possit examini subijcere effata Aristot. ac de illis sententiam ferre, illaq; ex animo sentire, quæ sensit Aristot. ijs conuictus experientijs, ac rationibus, quibus conuictus fuit Aristot. & ita vt licet Aristot. eas primus nō protulisset in medium, adhuc ex vi earum assensum præstaret talibus pronunciatis. *Dum potest* quis multas laudes sibi comparare in Aristot. interpretatione, quas nō compararet, si vt par esset Philosopho, Aristotelica Principia, rationum Aristotelicarum vim, ac pondus examinare vellet &c. cur illas assequi nō conetur? 9. *Nullum*, qui in Aristot. libros aliquid scripserit, etiamsi leuissimum per se videatur, spernat; cognoscet enim teste experientia hęc sibi fore opportunissima, multoque temporis dispendio se fore obnoxium, nisi huiusmodi scriptores præ manibus haberet: Ac nominatim ad indagandam significationem alicuius Aristotelicæ Vocis, ex cuius significatione legitima graues quandoque controuersiæ solui queunt, nonne vtilissimum foret habere Scriptorem, qui indicasset fideliter omnes locos, in quibus Aristot. illam affert? Si hos indagare ipse velit, quale, quantumq; temporis dispendium? Præterquā vt plurimū tam exactè locos illos nō assequetur. *At maiori in pretio habeat puros Aristot. interpretes*: nam recta Aristot. librorum interpretatio est fundamentum Peripateticæ doctrinæ; ac *mutila* valde, ac *manca* censetur eorum Philosophia, qui textū Aristotelicum non solum ignorauerint, verum etiam nō bene interpretari nouerint: Experientia quidem dicitur patere tot sęculorum visu comprobata, quo magis accedunt docti ad Aristot. eo esse meliores, quò plus obseruant, acutiores, fertiliores, robustiores esse. 10. *Aristotelis libros* ita in pretio habeat, vt tamen ab homine scriptos, & qui in multis deceptus est de facto; nec credat in singulis eius periodis, vel vocibus ea mysteria reperiri, quæ nonnulli interpretes illi tribuunt, pluribusq; abundantiorem sensibus illum faciunt, quam sint hactenus Sacræ Scripturæ verba ab interpretibus consecuta; nec illos vllà in re præferat Sacris Codicibus, aut Veraciores putet, aut literalem eorum sensum ad Aristotelicum pertrahat. 11. *Non solum* Aristot. Mores, eiusq; vitæ Historiā ex probatis Auctoribus nota habeat; ad multorum enim intelligentiam, quæ in eius libris leguntur, horum notitia conducit: *Verum etiam* Cognoscat, *Quinam* fuerint illius discipuli, & *Quinam* in Schola illi successerint immediatè, & *Qui* contectis temporibus; ab illis enim haurire poterit plura ad Aristot. mentem intelligendā opportuna. *Hinc Theofrasti* libri euoluendi. 12. *Notas habeat* sectas Peripateticorū; Celebres sunt *Græcorum*, *Latinorum*,

Arabum:

Arabum: Inter *Græcos* interpretes primę deferuntur *Alexandro Aphrodisæo*, cuius aliqui libri recipiuntur à nonnullis, cum fauent sibi; aliqui respuuntur, qui nō sibi fauent, tanquam spurij: Inter *Latinos* *S. Thomæ*, cui facem prætulit *Albertus Magnus* illius præceptor; diciturq; *Angelicus Doctor* in vertendis aliquibus Aristot. libris fuisse opera vsus nonnullorum Græcę linguæ valde peritorum: Inter *Arabes* *Auerroi*, quia omnes Aristot. libros est interpretatus, licet Auicēnam inter Arabes Philosophos Aristot. sectatores nō pauci principē locū obtinere existiment. 13. *Norit, Quinam* in Aristot. Cōmentarij sint taliū interpretū verè *Quinam* falsè, *Quinam* dubiè, *Quinam* Probabiliter &c. 14. *Sciat nullum esse* ex hisce celebrioribus Aristot. interpretibus, qui in aliquibus circa Aristotelici textus intelligentiam nō errauerit. Ipsius *Alexandri* non pauci errores ab illis, qui admodum versati sunt in Linguæ Gręcæ cognitione, vel qui etiam in Græcia nati sunt, denotantur. *Auerrois* errores sunt plurimi, in quos maximè lapsus est, quod esset Gręci idiomatis imperitissimus; *In S. Thom.* quoque aliqui deprehenduntur. Quare nulli addicat se interpreti, ita vt omnem planè illius interpretationem iuxta Aristot. mentem esse certò existimet. 15. *Esset vtilissimum*, si quis haberet Catalogum eorum, qui Aristot. interpretati sunt à primo vsq; ad vltimum, eosque omnes, vel saltem celebriores, & nominatim, cū aliqui incidunt texus difficiliores, & agitari magis soliti, ex ordine legeret, & quid vnus ab alio sumpsisset, vel illi aduersatus fuisset, adnotaret &c. 16. *Obseruet*, celebriores quosq; interpretes habere aliquam dotem in qua cęteris pręstent; obseruarunt enim aliqui dicendi rationem in *Alexandro* Constantem, in *Theophrasto* grauiter elaboratam, in *Simplicio* locupletem, in *Themistio* Compendiariam, in *Ammonio* facilem, & gratam; in *Auempace*, & *Alpharabio* grauem, aut meditatam, in *Auicenna* Platonicam, in Auerroe *firmam*, sed aliunde sumptam sępè, in *S. Th.* solidam, ęquabilemque, in *Alberto* copiosam, & sublimem, in *Scoto* vegetam, ac discussam, in *Maironio* acrem, in *Ægidio* tersam, & exactam, in *Henrico* sublimem, ac venerandam &c. 17. *Attendat* etiam, aliquos ex hisce Commentarijs ab eodem interprete factis pręstare alijs: Sic dicuntur excellere inter Commentarios *S. Thomæ* illi, quos in *Libros, de Interpretatione*, atq; *de Cælo, & Mundo* scripsit; nam homo iam prouectioris ętatis, diuq; in Philosophicarum rerum, ac Aristot. Philosophię cognitione versatus, & ex ipsis fontibus Græcis, non ex Auerrois lacunis illorū interptetationem deriuasse fertur. 18. *Sciat*, *Aristot. Interpretem* vt sic, non teneri defendere Aristot. rationes, ac sententias, vel illas confirmare, aut refutare, sed tantum illas explicare. 19. *Attendat*, Aristot. propositiones sæpissimè solū esse aliquādo, vel vt plurimum veras, neque aliquid amplius Aristot. cōtende-

re; ideoq; vituperandos interpretes, qui vniuersaliter, ac semper veras ad Aristot. mentem interpretari illas conantur: Quod vt præstent, in sententias quandoque etiam experientiæ manifestæ repugnantes abeunt. 20. *Animaduertat*, Aristot. aliquando loqui ad vulgi captum, sensumq; etiam; ideoque illius Philosophicam mentem aliunde indagandam. 21. *Cum aliqua* exempli causa, siue per modum exempli interdum afferat Aristoteles; nō sunt illa, tanquam Aristot. doctrina Philosophica, afferenda. 22. *Attendat* Aristot. consueuisse rationes Metaphysicas vniuersalissimas rerum etiam Physicarum considerare more Metaphysico; adeoq; ab interprete, non tanquam Principia Physica rerum, quæ singulares existunt, eas rationes assignandas. 23. *Sciat*, Aristot. aliquando locutum fuisse solummodo de effectibus contingentibus in Gręcia, ac in illa nominatim regione, in qua ipse viuebat, siue scribebat; *Quare* non est interpretandus, quasi fuerit locutus de omnibus vniuersaliter; illius enim dictis experientiæ non responderent; *Imò quandoq;* locutus est solum de effectibus, qui illo dumtaxat anno, siue certo quodam tempore cōtigerunt: Quod pręcipuè ad libros Meteororum est obseruandum. 24 *Perpendat Aristot.* aliquando loqui ex persona aduersariorum, & iuxta eos afferre interdum exempla: Quare illorum sensus non sunt interpretandi, tanquam Aristotelici; *Preterea*, cum loquitur de rebus propriè spectantibus, ac per se ad alias scientias, loqui more eorum, qui in illis versati sunt; sic cum de re ad *Pespectiuam* attinente loquitur, loquitur more *Pespectiuorum*, quasi visio fiat per extra missionem: sic de *Quantitate* loquens loquitur more *Geometrarum*, quasi in illa sint re vera puncta, lineę, superficies &c. Quare aliunde illius explorādus sensus. 25 *Haud debent Interpretes* Aristot. asserere plurima, quæ dicit Aristoteles, ita esse, cum experientia cōtrarium euincat; *sed solùm*, quod Aristoteles ita sensit, scripsitque. Si enimuerò ipsi in Physicis philosophari velint, auertant oculos a libris, eosque ad res ipsas conuertant; Dum fieri rationabiliter potest, Aristotelicę Voces rebus accommodandæ, non res Vocibus. 26 *Sententias* Antiquiorum habeat notas, vt possit rite interpretari illa, quæ circa eorum opiniones docet Philosophus. Dum Aristot. errasse in afferendis illis, vel explicandis contra eorum Philosophorum mentem, vel Aristot. ex studio longe recedendi à reliquorum Philosophorum sententijs, easue à Philosophia relegandi, vel alia de causa in alterum extremum videri inclinare interdum, vt aliqua etiam patentia videatur illis negare, scriberet; iam puri Interpretis fines egreditur, ac Historici potius partes obit, sicuti, & quando diceret, illum fuisse deceptum ab *Historicis, Geographis, Anatomicis &c.* Debita autem, si hæc præstiterit, laude non carebit. 27. *Ne sit* ex illorum numero, qui cum nesciant

respon-

responsum afferre loco alicui Aristot. contra textũ, quem ipsi explicant, librum illum, licet probabile, vel certum sit moraliter esse Aristotelis, illius haud esse pernegant absolutè. *Videat*, ne talis responsio sit *refugium miserorum.* Potiùs ex textu, qui opponitur, poterit haberi verè mens Philosophi, quam ex textu, quem ipse interpretatur. *An non* etiam potuit Aristot. oppositas opiniones ex diuersis Motiuis, siue *Extrinsecis*, siue *Intrinsecis*, probabiles aliquando iudicare? An nõ potuit retractare priores opiniones? Hac de causa iuuaret scire, quinam libri primo, quinam secundo &c. loco fuerint ab Aristotele conscripti. An non ex vitio illorum, qui primò libros Aristot. corruptos &c. emendarunt, hi oppositi textus inseri potuerunt? Si enim uerò attentè oppositi texus circumspiciantur cum omnibus circumstantijs, difficillimè in libris etiam, qui communiter recipiuntur in Scholis, contradictio vel vna apparebit. 28. *Nullum interpretetur* Aristot. textum, nisi in libro eum perlegerit, aut perlegat; sæpissimè enim nec fideliter, nec ad vnguem refertur; præterea antecedentes, subsequentesque Voces aditum aperiunt ad exactam illius loci intelligentiam. *Ipse verò* nullam afferat Aristot. auctoritatem, nisi non solum simul cum libro, verũ etiam cũ Textu; vaga enim citatio textuum incõmoda est lectori, siue auditori, & non nihil fidelitatis detrahit Auctori, siue Professori. 29. *Aduertat*, Aristot. aliquando afferre sententiam aliorum, etiam Propriæ contrariam, & ex ea probare nonnulla; quare malè faciunt illi, qui eam vel impugnant, vel tuentur, quasi Aristotelicam. 30. *Caueat*, ne sit ex illis interpretibus, qui *obscurius* loquuntur, quam *Auctores.* Quam tetræ offunderẽtur humano intellectui tenebræ, si ipsomet Aristotele, cuius stylus? dicitur communiter esse valde obscurus, interpres esset obscurior. *Quid* si aliquorum expositio esset potiùs obscuratio textus, quam declaratio! 31. *Interpres* haud demat, vel addat vllas voces particulas, vel clausulas absq; aliquo Codice fideli, certoque argumento: *Secus* enim nouum cuderet textum Aristotelicum; nec illum dici posset interpretari. In quo aliqui etiã ex antiquioribus, ac celebrioribus Peripateticis lapsi esse dicuntur. 32. *Exploret* Aristot. sensum circa quæstiones e locis, *Tum* expressis, non tacitis, vel ambiguis: *Tum & maxime*, ex illis in quibus ex professo de illis agit; *Si enim* ex occasione, vel per transennam de illis loquatur, *Si exempli causa* illam producat; *Si breuì* illam attingat, nec locus exactam illius discussionem exigat, Nihil certi equidem circa Aristot. mentem poterit deduci. Loquitur non raro Aristot. ex alterius Philosophi, vel communi aliorũ Philosophorum sententia: *Nec* licet discrepantem habeat sententiam, cõtra aliorum sensum tunc loqui prudenter existimat; nam tunc vagandum sibi esset ex proposita sibi tunc quęstione, ad quam parum referre putat,

an illa

an illa tunc concedantur, nec est locus tunc afferendi causas, propter quas à tali opinione discedat. Quare diligenter Interpres legens, vel audiens locos Aristotelis, qui contradictionem in Philosopho videntur arguere, *cõsideret*, In quibusnam ex *Instituto de quæstione* agat, & ex his Aristot. sententiam hauriat dumtaxat; cæteras auctoritates ex alijs desumptas locis, tanquam ineptas ad Aristot. mentem assequendã, in nullo habeat pretio. 33. *Interpres nõ* ex *Dubitationibus*, sed ex suis *Resolutionibus* Philosophi sensum indaget. 34. *Vitet*, ne priùs sibi suadens aliquam Opinionem esse Veram, vel in illam propensus, verba Aristotelis, licet tali haud congrua opinioni, vel etiam repugnantia pertrahere conetur. Hinc Particulas ipsasmet *Aduersatiuas* inter *Dubitatiuas* reponet &c. *Dubitatiuè* loqui in aliquo libro, si quid ex illo contra ipsum afferatur, asseret; *Resolutè* verò, si quid aliqualiter illi fauens habeatur &c. ac persepe non tantùm ineptæ, verùm etiam apertæ cõtra Aristot. mentem interpretationes fient. 35. Cũ *Dubia* est Aristot. sententia, haud illam, tanquã *Probabilem*, multoq; minùs tanquam *Certam*, explicet. Cum etiam est *Probabile* tantùm, quod talis sit mens Philosophi in tali loco, id fateatur; non verò absolutè, tanquam *Certam*, illam proferat. Cum alicubi *Dubia* est mens Philosophi, e locis alijs, in quibus *Probabiliter*, vel certò illius mens apparet, declaranda: Dũ est *Probabilis* alicubi, sed alibi *Certa*, ex hisce explicanda. Semper tamen attendendi loci, in quibus ex professo ab Aristot. agitantur quæstiones. 36. *Aduertat*, Aristot. argumentari aliquando ad *hominem*, vt dicitur, contra alios Philosophos; quare *Consequentiæ*, vel *Sequelæ* ab Aristot. admissæ, simpliciter non sunt in Aristot. sententia admittendę, quasi censuerit illas esse veras reipsa & *absolutè*, sed *conditionatè* tantummodo, & suppositis aliorum opinionibus: ex sequelis autem Impossibilibus sapienter arguitur positiones aliorum esse impossibiles. 37. *Norit*, Aristot. non rarò in quæstionibus præcipuè, quas circa res à sensu remotiores agitat, vti *Analytica argumentatione*, quæ est Mathematicorũ propria: & ex Mathematicis quidem tum exempla, tum doctrinam sæpe afferre, ac in Logicis nominatim libris, quia adolescentes illius ætate Philosophicis instituendi disciplinis *Geometriæ* priùs operam nauabant; ac prætereà e Mathematicorum Principijs Physica nonnulla quandoq; probare. Quare Aristot. interpres; *vel* sit in Mathematicis peritus, *vel* saltem Mathematicos Aristot. locos ab alijs cũ laude explicatos cognoscat, intelligatque; alioquin in Aristot. interpretatione errabit sępius, aliorumq; meritæ irrisioni semet exponet. 38. *Animaduertat*, non solùm cum aliqua propositio non est Aristotelis, aliqua verò est controuersa inter Peripateticos, maximè celebres, verum etiam cum aliqua certò foret Aristotelis, alia verò dubia; non posse conclusionem ex

his

his deductam certò, vel probabiliter etiam tanquam Aristotelis; cum verò vna esset probabilis, conclusionem haud certò tanquam Aristotelicam habendam. 39. *Videat An*, dum Aristot. aliquando negat, vel non admittit aliquas propositiones, quę videntur veræ, & ad sensum patere, solummodo id præstet, negando, vel non admittendo illas *iuxta* sensum illorum, cõtra quos agebat, vel aliorum. 40. *Numquam interpres antiquos Philosophos irrideat*; imò potius illos suspiciat, quorum si principia nosset, & non iuxta verborum corticem, vt facit quandoq; Aristoteles, eorum verba sumeret, suspiceret eorum ingenium, ac non minùs forsan in multis, quam Aristotelicum. In eorum ergo gratiam, si peritus sit Philosophiæ ipsorum, dum interpretatur Aristotelem nuda eorum verba explicantem, vel quandoq; contra eorum mentem aliqua proferentem, *dicat*, Aristotelem, *vel* Grãmaticaliter, *vel* iuxta id quod vulgus censebat, *vel* iuxta id quod nonnulli eorum discipuli imperitiores censebant, celeberrimorum Philosophorum sententias explicasse; re autem ipsa haud eos in tali fuisse opinione. 41. *Non tenetur Interpres* aliorum interpretationes redarguere: satis est illi, si suam proferat, stabiliatq; si sit maximè contra communem: Est tamen sæpè laudabile aliquorum interpretationes, & maximè, *si* ex illis celebrium quæstionũ solutio pendeat, vel *si* datę fuerint à Viris, quibus immeritò à Viris parum peritis summa laus in Aristot. interpretatione tributa est, consultò oppugnare. 42. *Cum non soleat Aristot. occultare se*, dum recedit ab antiquis, alijsq; Philosophis; vbi id non indicat, potius sequi aliorũ Philosophorum sententias, dicendus est; ac iuxta illos explicabit peritus interpres, cum dubium verè sensum ipsamet Aristot. verba indicant. 43. *Quando Aristot.* ad finem sibi propositum, vel arguens antiquos ponit aliquem numerum determinatum pro ignoto indeterminato, vt quod v. g. *Elementa ad inuicem habeant decuplam proportionem*, non debet interpres asserere, Aristot. sententiam esse, quod Elementa habeant decuplam proportionem; potuit enim Aristotelis alium quemlibet numerum maiorem, vel etiam minorem proferre contra eos, qui asserebant Elementa esse æqualia &c. 44. *Attendat Aristotelem* aliquando afferre rationes pro captu eorum, cum quibus agit; cum Logicis enim agens debuit faciliores proferre rationes, licet non essent adeò efficaces; sicut nec semper afferre rationes omnes, quæ afferri queunt: Pręterea in Physicis quoque interdum apertè profiteri, se faciliores quasdam rationes proferre, ad captum scilicet auditorum, vel vt ex his facilè intellectum eorum peruadentibus ipsi deinde alias facilius quoque intelligerent &c. *Quare* ad intentum Aristotelis aliquo in loco nonnullæ rationes potuerunt esse satis opportunæ; quæ tamen alio in loco haud tales censendæ, sed tanquam minoris

ponderis

ponderis habendæ. Idque ab Ariſtot. interprete notandum diligenter. ***Nihil tamen*** ab Ariſtot. ſine aliqua ratione aſsertum fuiſse perſe præſumendũ. 45. ***Cum*** Aliqui ***videri poſſint libri*** ita obſcurè ſcripti ab Ariſtotele, vt niſi ipſemet eos explicans audiatur, non poſſit eorum ſenſus clarè percipi; ideoq; reprehendendus dicatur ille interpres qui cenſebit ſe, quæ Ariſtot. ***de Phyſico auditu*** ſcripſit, clariſſimè poſse interpretari iuxta Ariſtot. mentem ipſiſſimam (***Hic*** *enim* plus ſe, quam Ariſtotelem ſapere, declarabit) ***Satis exiſtimet*** eſſe aliquorum Interpres librorum, ſi probabilem in medium protulerit interpretationem. 46. ***Conetur interpres*** aliquam nouam interpretationem textui Ariſtotelis, vel ſaltem præcipuis quibuſdam textibus dare, quæ tamen ſit congrua menti Ariſtotelis; neque enim abbreuiata eſt manus Domini, quò minùs hoc ſæculo etiam nouæ aliquæ, & laudabiles interpretationes poſſint prȩberi aliquibus locis Ariſtotelicis contra communem etiam interpretum cæterorum ſententiam. ***Nonne*** illæ, quæ modò habentur, laudanturque, omnes aliquando fuere nouæ? Interpretatio certè à celebri quoq; Interprete facta non obſtitit, ne alius aliam excogitaret, quæ quandoq; magis priori approbata fuit. Indignos ſe Philoſophi nomine declarant illi, qui haſce interpretationes eo nomine, ***quod ſint Nouæ,*** & ***contra*** *alios* ***Interpretes,*** exſibilent. Inaudita parte iudicium non eſt ferendum, maximè cum à Viris valde doctis, & in Ariſtot. textu verſatis, & qui aliorũ interpretationes attentè perpenderunt, proferuntur; nec Philoſophus prudens exiſtimabit temere, & ſine graui fundamento ab huiuſmodi viris prolatas in medium: Si minùs placent, non tamen contemnendæ: Indicandum certè, cur ſaltem illȩ cenſeri non poſſint probabiles. Peregrina poteſt eſse aliqua interpretatio aſſuetis iam in quibuſdam interpretationibus, licet ſit genuina Ariſtotelis, illi familiaris, ac nata in Lyceo. ***Laus eſt Ariſtotelis ſumma,*** quod egregij in literis Viri tam diuerſas illius verbis interpretationes dare conentur, & in ſuam attrahere ſententiam omni ope cõtendant. 47. Licet ***Paraphraſim*** in Ariſtot. textum inſtituere poſſit eſse quandoque laudabilȩ; Cauendum tamen, ne paraphraſis texus loco habeatur, vel loco illius proponatur: In vocibus ab Ariſtotele allatis, earumque contextu multa detegunt ſæpè Philoſopiæ arcana Interpretes, ac Philoſophi: Quæ occultari ab aliorum libris Philoſophorum etiam recentiorum, interdum multi exiſtimare poſsent, ſi eadem propenſio aliquorum eſset in eos, quæ aliquorum in Ariſtotelem. Particulæ quædam peculiariter attendendæ; earumq; ſignificatio, ſi quando obſcura, ex alijs clarioribus deſumenda: ſicuti & quando ambiguæ ſunt Voces apud eumdem Philoſophum, antecedentes, & cõſequentes cum totius textura orationis diligenter notandȩ &c. Nec Para-

phrasi à quocunq; factæ fidendum, nam priuatos etiam sensus suos in illa sequi potuit, maximè si sit alicuius libri, vel capitis continuata &c. & ab hac quidem celeberrimos Aristotelis Interpretes abstinuisse compertum est. Haud tamen aliquę huiusmodi Paraphrases iam editæ floccifaciendæ, maximè si sint similes illi, quam *Io: Picus* Mirandulæ Comes in omni ferme scientiarum genere versatissimus, ac ingeniosissimus Vir factam à *Laurentio Medico Lib.* 1. *Ep.* 3. valde commendat. 48. *Munus boni Interpretis* esse in vniuersum norit; *explicare dilucidè*, de quannam re agat Aristoteles, & an ex *professo*, an verò *incidenter*; deinde Aristotelis *sensum claris* indicare *verbis* collectum ex illius vocum acceptionis cognitione; *At* cum *Librum* aliquem Aristotelis interpretari vult priuatim, vel publicè; *Primo* libri (idem proportionaliter de *Capite* aliquo dicendum) titulum vbi explicauerit, ostendat e *Titulo* (quem tamen aduertere debet sępè saltem ab Aristotele non fuisse pręmissum) præsertim, quæ sit intentio Philosophi in eo Libro, & quam connexionem habeat cum alijs, & maximè, si ad eamdem scientiam, vel eumdem tractatum pertinet. *Secundo* Quid proponat Philosophus in primo Capite v.g. exponat; & cum de multis agere possit, declaret Aristotelē tria, aut quatuor v.g. ibi peculiariter tractare singula recensendo. *Tertio* Singulorum explicationem aggrediatur, animaduersis prius, ac singillatim enumeratis illis, quæ ad singula seorsim explicanda spectant. *Quarto* E Tribus Peripateticorum sectis interpretationes aliquas, sed celebriores, afferat: Neque enim in omnibus referendis, multoque minùs singulis peculiariter refutandis detineri saltem diu debet; nam modica hinc vtilitas. *Quinto* Eligat ex interpretationibus allatis, quæ conformis quidem Textui, sed quæ magis conformis Aristot. menti visa fuerit; eamq; confirmet nouo aliquo textu ab alijs non allato, vel ratione deducta ex Philosophi Principijs. Proponat etiā Propriam Interpretationem post alias, non solùm si eam præstare cęteris senserit, sed etiam si tantummodo probabilis visa fuerit, illius probabilitatem manifestando. *Sexto* Varias etiam lectiones eiusdem loci, ac præsertim, si huiusmodi Varietas contingat in ipsomet Gręco Textu, exponat; & eam quoq; eligat, quæ Aristot. menti videtur conformior, maximè si illa alibi subindicata fuerit. Et has quidem Interpretationes, lectionesque confirmare ex alijs eiusdem Philosophi locis interpretis in Aristotelicis libris versati partes erunt. *Septimo* Caueat: tum ne nimius sit in diuidendo, ac subdiuidendo; potest enim hinc oriri confusio in intellectu, nec leuis: tum ne operam ponat in explicatione illorum, quę solùm ibi incidenter proponit Philosophus; sed ad eum locum, in quo ex professo de illis agit quæstionibus, auditorem remittat. *Octauo* Rationes Aristotelis inuestiget, quæ non ra-

rò latent, easque dilucidè exponat. Has ex *Fine* desumit vt plurimum
Philosophus, cum ex *Materia* antiquiores illo Philosophi desumere
consueuerint. Illas autem ad formam Sillogisticam, ac perfectiorem
pro viribus reuocet. *Nono* Si Arist. rationes nouerit esse tantum vel
Probabiles, vel *Coniecturales*, vel *Populares*, vel ad *Hominem*, vel *Commu-
nes*, & nō *Proprias*, vel *Accomodatas* tantum pręsenti loco, ac *Tempo-
ri* &c. id omninò insinuet. Si has nouis alijs rationibus confirmare,
non ex Aristot. textu deductis, si obiectiones non ex ipso Aristotele
erutas soluere tentauerit, iam puri Interpretis fines pręteregredietur,
sed Philosophi Peripatetici partes suscipiet; Ille tenetur solū exhibi-
tam interptationem ita tueri, vt nunquā verè possit euinci eam cōtra
Arist. mentē esse. *Decimo* Cū eiusdem loci plures afferri queant *Proba-
biles* Interpretationes, satis est quidem Interpreti in rigore, vt ea,
quam tuetur, sit re ipsa probabilis, licet alia sit probabilior. Verùm
hanc maiorem probabilitatem *attendendum* est non desumendam ex
maiori numero interpretum præcisè, sed ex maiori conformitate,
illius menti Aristotelis. Fungetur munere Philosophi Peripatetici,
si contra rationes, quæ afferri posent, vel afferuntur contra Ari-
stotelis sensus, vel rationes, tueri illas cōatus fuerit, aut norit. *Vndeci-
mo* Distinctiones quasdam, & Voces nonnullas, quas frequentissi-
me, vel frequentius præ cæteris vsurpat Aristoteles, animaduertat;
non temerè enim id factum esse à Philosopho existimare debet; & ip-
se interpres voces, ac distinctiones à Philosopho adhibitas vsurpare
maxime debet: earum autem distinctionum (inter quas sunt celeber-
rimæ *Per Actum*, & *Potentiam*, *Per se* & *Per Accidens*) vocumq; signi-
ficationem ab eodem Philosopho, vel illius nobilissimis interpretibus
accipiat, nec sibi eam ad libitum fingat. At cum non rarò voces
etiam non paucę apud Arist. sint æquiuocę; earum multiplicem
sensum indicet, & in quo sensu vno in loco, in quo in alio. Quæ pro-
priæ Aristotelis, siue quæ ab illo excogitatæ, & in Philosophorum
Scholas primò inductæ, peculiariter attendendæ, ac significandæ:
& in schola Aristot. ad placitum ipsius primò imponentis Vocum si-
gnificatio accipienda est quidem. *Duodecimo* Nunquam irrideat ce-
lebriorum quorumdam maximè Peripateticorum interpretationes,
etiam si minùs cōsonæ textui, vel dissonæ reperiantur, & præcipuè si
alias eiusdem textui consonas tradiderint, sed potius illos excuset eò
quod habuerint textum corruptum, non solliciti fuerint in illo textu
enucleando, sicuti in cęteris ex aliqua extrinseca causa &c. Si qui
autem consulto textum corrupisent, vel corruptum edi voluissent,
præcipuè si ex odio erga Christianam Religionem, vel ex eo quod
sibi minùs placerent quædam Christianæ Fidei Dogmata, id præsti-
tisent; haud horum scelus occultandum. *Magis breui in declarandis*

textibus Aristot. quis hunc ordinem tenere posset. Primo *Vniuersaliter colligat sub compendio totius textus sententiam.* Secundo *Ex hoc colligat scopum Aristot. in eo textu, nec non nexum cum præcedentibus, & sequentibus.* Tertio *Ex his colligat Diuisionem ita vt ob oculos ponantur omnes, & singulæ illius textus partes.* Quarto *Singulas diligenter explicet &c.*
49. *Perpendat* diligentius præ cæteris *Textus* quosdam Aristotelicos admodum celebres, & in Scholis frequentius agitare solitos, & quorum plerique Doctrinæ Peripateticæ videntur Axiomata, eorum m interpretationem pro viribus exactiorem colligendo, vel ex vi Græci sermonis, vel ex similium obseruatione locorum, vel ex nobilioribus Interpretationibus, vel ex efficacioribus rationibus. Videat autem, an multa, quæ circunferuntur tanquam ipsius Aristotelis Axiomata, sint re vera ipsius, nam nõ pauca referre vt aliorũ potest, quæ tamen à parum cautis tanquam Aristotelis recipi potuerunt; *Qua* occasione illa in medium prolata; *Quibus* verbis; *Quo* sensu; *Quas* limitationes admittant &c. Cognoscet enim multa, vel nõ esse Arist. vel nõ explicari iuxta Arist. mentẽ, vel esse ampliata &c. 50. *Textus nonnullos* Aristotelicos, qui fauẽt valde quibusdã Fidei nostrę Dogmatibus, accuratè obseruet, celebrioresque interpretes, maximè Græci sermonis peritos, ad eos textus euoluat cum textibus, qui videntur his Dogmatibus aduersari, vimq; horum eneruare, illorum corroborare studeat, omnibus diligenter obseruatis, quæ ad id conducunt: Inuestigetq; an alij textus ad idem opportuni afferri queant; sic enim non *solum* de Christiana *Fide*, cui non leue præiudicium infertur a nonnullis, qui quędam in Philosophia contra Christiana effata innixi textibus Aristotelicis diserte affirmant; Verum etiam de ipsomet *Peripateticorum Principe* optime merebitur, *quando eum maximè stare pro Veritatibus*, quæ *etiam* lumine *naturali* sciri *poterant, euincetur.*

Multa ex his desumi poterunt ab interprete *S. Thomæ, Scoti, Hippocratis*, aliorumque siue *Theologorum*, siue *Philosophorum*, siue *Medicorum &c.*

Perillustri, ac Reuerendissimo Domino
TOLDO CONSTANTINO
Protonothario Apostolico, I. V. D.
Tam Eximio Iustitiæ, ac Æquitatis Cultori,
Vt illius Iudiciũ, quod *Romæ, Venetijs, Patauij, ac Taurisij*
In cõpluribus tulit causis, nunquam fuerit reuocatũ;
Qui in summa senectute illa *Ingenij*, *Iudicijq;*
Argumenta dedit *Sophocle Oedipi* Scriptore felicior,
Vt celeberrimi DANTIS insistens vestigijs
Integrum Poema scripserit, ac ediderit;
Quod satis commendant laudes illi tributæ
Non semel ab eruditissimo LEONE ALLATIO,
Et à præstantissimis Politiorum Literarum Academijs
In Italia Constitutis:

Admodumq; Reuerendo Patri Don
HIERONYMO BENDANDO
Rauennati, Priori Casinensi, in Bononiensi Lyceo
S. *Theologiæ* iam duodecim annorum spatio Professori,
Ac Sacræ Inquisitionis Bononiensis Consultori
Modò in *Pat. Gymnasio Sacrarũ Literarum* Interpreti,
Viro Religiosissimo, Ingeniosissimo, Disertissimo;

Animaduersiones Quinquaginta
PRO ILLO, QVI IN MEDICÆ FACVLTATIS
STVDIVM INCVMBIT
IVLIVS CLEMENS SCOTVS
E Comitibus Placentinis
Eorum Vitæ ad Patauinæ Vrbis, & Academiæ Decus
Prorogandæ studiosissimus
D. D. D.

Caput Vndecimum.

INter
que
diu
dit
beat; contra
cumque e co
ciat esse ina
diosus, dum
dit, facilè in
Medicus pe
effundere p
cepta, quæ
rale, præc
na Medici
mala nunq
terisq; The
stantia aliq
rum refrag
sunt passim
præceptum
detur, poter
lus corporis
studioso pra
culiares Me
earum, qua
enim aliqua
siue ex toto
stantissimu
cæteris om
et ad publi
tur; grauis
patraturus
deinde exer
Medicam c
aliorum int
mæ Feritat
An non ter
tis, tum fa
ditate anim
est, & fier
torum De
tium mort

1 INter Sanctos peculiariter colat S. Lucam *Euangelistam*, Sanctosque *Cosmam*, ac *Damianum &c.* 2. *Caueat*, ne Medicinæ studium in hæreticas, erroneasque opiniones, vt non nullis accidit, ipsum inducat; ideoq; *Catholica Dogmata* prę oculis habeat; contra quæ si aliqua potulerint *Hippocrates*, *Galenus*, & alij quicumque e celeberrimis Medicis, vel suggesserit proprius intellectus, sciat esse inania, falsaque. Nisi *superius lumen* attendat Medicinæ studiosus, dum aliquorum libros legit, vel aliquorum pronunciata audit, facilè in Atheismum incidet: Quod solertiùs præcauendum, quò Medicus pessimæ doctrinæ semina cũ quouis hominum genere agens effundere potest facillimè. 3. *Animaduertat*, omnia illa Medica præcepta, quæ aliquid statuunt contra *Diuina præcepta*, vel contra Ius *naturale*, præcipuè si *Diuinum* quoque sit, esse illicita, nec posse à legitima Medicinę arte pręberi. *Quænam* autem sint illa, quæ intrinsecè mala nunquam possunt laudabiliter exerceri, discat à pijs, doctis, sincerisq; Theologis: Cum autem probabile fuerit in aliqua circumstantia aliquid non esse illicitum, licet communior pars Theologorum refragetur, qui quandoque animi sui sensus, & prudenter, nolunt passim cuique indicare; cum posita illa circumstantia præceptum Medicum à peccato excusetur, vt illud executioni mandetur, poterit, imo & interdum debebit Medicus iubere. Animæ salus corporis sanitati à Catholico, ac sapiente Medico, siue Medicinæ studioso præferenda semper. 4. *Vt Ecclesiæ Catholicæ filius*, si quas peculiares Medicis præscripserit leges, eas custodiat. Praxim tamen earum, quam viderit communem apud pios Medicos, seruet; possunt enim aliquæ esse, vel non receptæ, vel per consuetudinem abrogatę, siue ex toto, siue ex parte. 5. *Cum sanitas* inter Corporis bona sit pręstantissimum, bonisq; Fortunæ pręferatur, & post animæ salutem cæteris omnibus præferat cordatus vir quicumq; in hac arte excellere ad publicum commodum quicumq; huic studio operam dat, enitatur; grauissima tum contra *Caritatem*, tum contra *Iustitiam* quoque patraturus Crimina, si leuiter in illud incubuerit, officiumq; Medici deinde exerceat. 6. *Tanquam quasi inexpliabile crimen putet* praxim Medicam discere ex industria cum aliorum sanitatis detrimento, cum aliorum internecione, cũ aliorum morbi procrastinatione &c. Summæ *Feritatis*, nedum *Inhumanitatis* apertum id esset argumentum. *An* non tenebitur ad restitutionem damnorum, quæ inde tum ægrotis, tum familijs integris importari queunt? 7. *A pecuniarum auiditate* animum habeat remotissimum; & qui ad auaritiam procliuis est, & fieri non posse moraliter, quin huic propensioni obtemperet, coram Deo existimat, huic non se applicet studio; nam facilè aliquorum mortem procurabit; morbis pluribus sanitatis restitutionem

differet;

differet; prętiosiora, pluraq; pharmaca pręscribet, quã opus esset,
vt Pharmacopolis ipsis multa donãtibꝰ lucra afferat; pauperibus in
extremo, vel graui vitæ discrimine positis, à quo posset commodè il-
los eximere, haud opem feret; nullam personarum, quibus medetur,
sed solã pecuniæ, quæ sibi traditur, rationem habebit; & hanc prę-
stantissimam artem omnino vænalem reddet &c. Hinc qui minus
fortunis valent, videri possunt etiam minus apti ad hoc munus cum
laude exercendum. 8. *Modestiã amet*, eo quod cum quolibet persona-
rum genere agendum illi sit, ac exploranda quædam quandoque ad
libidinem irritantia. Hinc Iuuenes hoc nomine etiam minùs ad hoc
munus apti. Sapienter faciunt illi, qui nolunt certum ęgrotorum
genus inuisere, nisi adsit aliquis ex ægroti familiaribus. *Tum in ver-
bis, tum in factis* hæc virtus eluceat. 9. *Sit benignus, humanusq; in ver-
bis*; hilaritatem in vultu præferat; mirum enim ex his solatium ęgro-
tus recipit, & ad recuperandam citiùs sanitatem non leue ex his ad-
iumentum reportat. *Hinc Rustici, siue Rusticorum morum, & Rusticani*
quidam vultus minùs idonei ad hanc artem cum laude exercendam.
Aptiores sunt huic muneri hoc nomine etiã viri Nobiles, Honestoq;
nati loco; nam humaniorum morum, ac verborum solent esse. De-
bent hi enimuero suo se conformare nomini; dicuntur enim *Gentil-
huomini*: Et vt his quidem tantummodo Medicinę Doctoratus confe-
ratur, pluribus in Ciuitatibus statutum est; Nobilissimos certè Viros
hanc exercuisse artem ex historijs patet. 10. *Publici boni amantissimus*
peculiari studio inuigilet, vt Sanitati pristinæ, & quantocius restitu-
antur, valetudinemq; custodiant illi, qui in aliqua Arte, vel Scientia
sunt celebres, suntq; maximæ vtilitati, vel honori maximo Ciuitati,
vel Prouinciæ, in qua degunt, quolibet maiori emolumento in alijs
curandis postposito 11. *Licet totius Philosophiæ* studium videatur ne-
cessarium ad Medicam facultatem, ideoq; non soleat laurea Docto-
ratus in Medicina donari ille, qui alicui solum Philosophię parti va-
cauerit; plurimarum tamen quæstionum, quę modò maximè agitan-
tur in scholis, cognitio mediocris (si non leuis) est illi opportuna, in
qui medicinam profiteri velit; Quædam Metaphysicæ, ac Logicæ
subtilitates, nonnulla etiam, quę agitantur ab interpretantibus octo
Physicorum libros, quem habent in Medicina locum? Omittuntur
vt plurimum interpretatio, & discussio *Librorum Meteorologicorum*,
Paruorum Naturalium &c. Ad libros de *Anima* omittuntur sępe vtilis-
simæ quæstiones de ijs, quę pertinent ad *Quinque sensus Externos*, Ad
Temperamentum Corporum &c. Libri Physiognomici, Problematumque
maximè necessarij, *Libri de Historia Animalium*, de *Partibus Animali-
um &c.* à Professorum lectionibus in Scholis absunt &c. Quare à
Philosophia, prout nunc traditur in multis Scholis, parum vtilitatis
pro

profuturo Medicinæ studio quis reportabit, adeoque necesse erit, vt defectum compenset priuato aliquo studio; Insistat tamen mori eorum, qui medicinæ operam dantes, vel daturi, Philosophiæ Professores audiunt in Vniuersitatibus celebrioribus; nam in his Philosophię Professores solent plura, quæ ad Medicinam maximè conducunt, exactius tractare. Quæ à multis Regularibus traditur Philosophia; minùs est idonea. *Esset quidem* laudandus ille, qui Philosophiæ conficeret cursum exponendũ illis, qui in Medicinam incumbere cupiunt, collectum ex ipsomet Aristotele etiam. 12. *Illi Philosophiæ parti* peculiariter vacet, quę agit de *Metallis*, *Lapidibus*, ac *Plantis*, nominatimq; *Herbis Simplicibus*; in illis enim mirandę virtutes Medicæ latent sępissimè; Imò existimet fieri facile posse, vt in *Herbis communibus*, quæ in vnaquaq; saltem Prouincia, vel amplissimo etiam Ciuitatis alicuius Territorio etiam facilè reperiuntur, occludantur virtutes Medicę omnium ferè morborum, maximè cõsuetorum, quibus premuntur homines talis Prouinciæ, vel Regionis; videtur enim ad Diuinam pertinere Prouidentiam, vt homines habeant parabile sine graui labore remedium ad recuperendam, conseruandamq; sanitatem; nec exhauriendæ sint Crumenæ ad medicinas emendas, & longe remotissimarum Prouinciarum remedijs indigeant. Certè antequam vtraq; India pateret, nonne homines & sanitatem custodiebant, & illam deperditam reparabant? *Vtinam nonnullorum Medicorum Auaritia* pacto inito cum Pharmacopolis talia medicamẽtorum pretiosorum genera non primò induxerit; à quorum more alij modò nolint discedere; Vnde *Simplicium cognitio* viluerit. 13. *Physiognomiæ* peculiariter studeat, *Signaq;* Complexionum, siue Corporum temperamenti perspectissima habeat; huiusmodi enim cognitiones sicuti & quæ in *Quarto Meteorologicorum libro* traduntur, sunt vtilissima ad Medicinam pręambula. 14. A*natomiæ* peculiarem operam impendat non in libris tantùm, verum etiam oculis illam perlustrando, idq; maximè si à viro peritissimo exerceatur, siue praxi ipsa doceatur: ad medicamenta enim congrua prębenda hęc plurimum conducit. Animaduertens verò exactissimam totius humani Corporis tot partium symetriam, siue harmoniam, in *Conditoris illius sapientissimi* laudes animus exurgat; neque enim à casu vel fortuna talis Partium harmonia constitui potuit, ac potest; Quæ eò etiam mirabilior est, quò in dies nouę quędam partes, vel nouę quarumdam partium constitutiones à peritissimis Anatomicis inueniuntur; ratioq; congrua saltem semper inuenitur, propter quam tali pacto hęc pars, & non alio, hìc & non alibi constitui debuit &c. 15. A*strologiæ operam det*, *non Iudiciariæ*, sed *Obseruatrici Stellarũ*, earumq; nominatim *Ortus*, & *Occasus*; Medicina enim potius nocet, si tempora non seruenur; tem-

pora autem ex Ortu, & Occaſu Stellarum pendent; Et aliqui quidem Aſtrorum ortus dicuntur perimere, alij ſanare; præcipuè autem cōſiderandi dicuntur Ortus *Cancri*, & *Arcturi*. *Experientia* patet, præterea, Ortū Stellarum non ventos tantummodò, verùm etiam diuerſas aeris mutationes excitare, ac inſalubre eſſe, in quibuſdam Lunæ periodis medicinas præbere, ſanguinem extrahere &c. *Si diligentius* quoque ſtuduerit Aſtrologiæ, poterit pronoſticari, tali tempore tale corpus eſſe facilè expoſitum morbo nonnulli, adeoq; monere poterit multos, vt tale remedium adhibeant ad illum ſubterfugiendum &c. 16. *Aliqua etiam*, quæ traduntur à Medicis nonnullis ad *Theoricam* tantummodo ſpectantia, licet per ſe ſcitu digna ſint, attamen ſciat parum eſſe vtilia ad Medicam Artem. Medici quidem iam plurima tractant, de quibus agendum Philoſopho foret; Cum enim ampliſſimus ſit Philoſophiæ campus, nec à Philoſopho percurri totus facilè poſſit, Medici aliquam, ſed iucundiorem illius partem, ſuſceperūt ingenio ſuo excolendam, nec ſine maximo literariæ Reipublicę commodo; Non minùs quidem ingenioſè plurimas quæſtiones agitant Medici, quam Philoſophi; & licet obiecta illarum plura videantur ad Medicam artem ſpectare, non tamen Medici Medico modo, ſed Philoſophico illas agitant. 17. *Cum non raro* diſſentiant inter ſe *Medici*, & *Philoſophi*, nominatimque *Peripatetici*; in ijs quidem, quę per ſe pertinent ad Medicam artem, & quorum obſeruatio ad ipſos maximè ſpectat, potior fides per ſe Medicis habenda; in alijs verò, quæ ingenij potiùs ſubtilitatem, quam experientiam petunt, potior per ſe Philoſophi. Medici enimuero in reddendis plurimorum naturalium effectuum rationibus ſolent eſſe magis verſati, faciliùſq; eas inuenire, & aptiores reddere conſueuerunt, quam Philoſophi, qui in ſuo ac Cubiculo contemplationi naturæ deditì potiùs *Res naturales* accommodant *intellectui*, quam *intellectum Rebus ipſis*. In multis tamen quæſtionibus videntur circa voces diſſentire: in aliquibus ad concordiam reuocari poſſe videntur; cum vera poſſit eſſe v. g. doctrina Medicorum circa *Principatum Cerebri* inter humani corporis partes, & vera Peripateticorū circa *Principatum Cordis*, eo quod iſti videantur attendere principatum reſpectu *Animæ Vegetatiuæ*, quę eſt fundamentum totius vitæ animalis, cuius propria, ac proxima Inſtrumenta e *Corde* prodeunt; illi verò reſpectu *Animæ Senſitiuæ*, cuius propriæ operationes ex *Cerebro* originem proximam habent &c. *Sic in multis* conciliari poſſe *Hippocratē*, & *Ariſtotelem* accuratè, & ingenioſè oſtenſum iam eſt. 18. *Quamuis* non eſſet Medico liberum etiam *Hippocratem, Galenum, Auicennam*, alioſq; Principes huiuſmodi medicos in ſuis effatis per ſe non amplecti, ſententiamq; *Ariſtotelis*, vel alterius Philoſophi amplecti; ſi tamen experientia, vel ratio euidens, vel

proba-

probabilior quandoq; suaderet sententiam Aristotelis, vel alterius Philosophi, non peccaret contra Medicam artem, vel contra illius Antesignanos, ac Duces, qui fuerunt Veritatis potiùs, quam suarum studiosi opinionum, si minus eorũ staret pronunciatis. 19 *Quales sint* libri *Hippocratis*, *Galeni*, *Auicennæ*, aliorumq; Principum Medicæ Scholæ, exploratum habeat; aliqui enim sunt spurij; aliqui incerti. Ex certis tantùm certa auctoritas deduci potest. 20. *Sit linguæ Græcæ peritus*; præcipui enim huiusmodi libri sunt Græco idiomate conscripti; plures verò Latino sermoni pessimè, ne dum malè redditi; in ipsis etiam *Hippocratis Aphorismis* vertendis peccatum est nec semel, nec leuiter. Emantur ergò saltem emendatiores; & cum adhuc dubitaretur aliquando de versione, ad textum Grȩcum recursus habeatur. 21. *Artis Medicæ* Principia ante cȩtera perspecta habere curet, vt ex illis practicas conclusiones elicere possit, quæ quidem pendent semper per se ab aliqua vniuersali prȩmissa speculatiua, & naturali, ab alia verò particulari, & sæpissimè saltem coniecturali. 22. *Hippocratis Aphorismos* assiduè euoluat; mirabilis illius Medici, ac Philosophi etiam præstantissimi, ex quo Aristoteles ipse non pauca desumpsisse fertur, doctrina in illis elucet. Sunt illi *Generales Regulæ* ad Medicam artem; quibus si diligenter quis vacauerit, paucorum mensium spatio plus proficiet in Medica arte, quam si annos quoq; integros impendat in lectione aliorum librorum de Medicina agentium; & si pudet Legistam sine Lege loqui, Philosopho sine Aristotele loqui; debet etiam pudere Medicum sine Hippocrate loqui. 23. *Post Hippocratis* Aphorismos euolueudus *Galenus*, ac nominatim illius *Ars Parua*, & Auicenna, & maximè *Prima Fen lib. 1 Canonis*. 24. *Illustriores Hippocratis* Interpretes perlegat, celebrioresq; alios Medicos, quibus principatum alij detulerunt, dum tamen sint ex ijs, qui praxim Medicæ artis exercuerint; aliqui enim potuerunt sibi multam comparare laudem in Theorica tantùm. Vtile autem erit habere Catalogum prȩstantissimorum omni ætate Medicorum cum ætate in qua vixerunt, in quo loco medicinæ artem professi sunt &c. 25. *Consiliorum* quoq; libros, quos nonnulli illustres Medici ediderũt, euoluat accuratè; nam plura ibi ad occurrentes morbos spectantia, remediaq; opportunissima inueniet: Optima medicinæ praxis in illis edificitur sȩpissimè. 26. *Se numquam in Medicina* meritam laudem consequi posse pro certo habeat, nisi in praxi versetur. Neq; enim Medicus medetur homini in cõmuni, sed huic indiuiduo speciali, nec in Cubiculo meditans medicinam iubet præparari, sed talem ægrotum ordinariè inuisens tale medicamentum imperat: *Quare*, vbi satis quædam medicinæ opportuna didicit Principia, Medico alicui, qui in praxi sit diligenter versatus, habeatq; in illa teste experientia lau-

des, etiamsi quasdam Theoricas adeò exactè haud norit, se tanquam socium, vel discipulum addicat; Obseruetq; cum illo *Ægrotantium* statum, & *Quid iubeat* ab illo ad sanitatem restituendam pręparari; *Cur* aliqua, & non alia imperet Medicamenta: & ea, quę non perspecta, vel non satis perspecta habet ad ęgrotorum curam spectantia, amicè ab eo postulet, discatque; peculiariter autem nonnullos obseruet morbos; domi postea secum meditetur, quæ in singulos dies didicerit, scribatq; nonnulla saltem peculiari animaduersione digna, & maximè illa, quę in librorum lectione nunquam putat fore, vt occurrant. Esset quidem vtilissimum, si cuiusque morbi statum, qualitatemque noscens, remedia à Medico subministrata describeret, ac peculiariter postea notaret, *Quænam* opportuna maximè fuerint; Quę sanitatem, & citiùs restituerint &c. *Debet* autem Medicus libenti, hilarique animò, imò & vltrò huiusmodi Viros, aut Iuuenes, qui eorum disciplinæ practicæ se tradunt, docere, quę scit ignorare illos, etiamsi non petatur, spectantia ad tales morbos; cur talia iusserit medicamenta; & iubere aliquando vt ipsi tradant, scribantq; medicamenta ad talem morbum, demptis, vel additis, quæ ipse censuerit &c. Par enim est, vt illi sit gratissimum, quod multi instituantur sanitatis humanæ reparatores. 27. *Si quod Medicamentorum genus* norit nonnullis morbis valde salutare cæteris incognitum Medicis, iudicetq; ob priuatum etiam commodum illud conficiendi methodum haud alios docere; familiarem tamen aliquem, antequam e viuis excedat, illam doceat, vel saltem in scriptis relinquat illam, secus grauiter peccaturus, publicumque bonum osurus. 28. *Quinque Medicinæ partes* exactè studeat noscere; & 1. *Phisiologiam*; Quæ omnium corporis humani partium constitutionem, vsus, actionesque cum animi facultatibus explicat. 2. *Pathoelogiam*; Cuius munus est morborum, ac symptomatum naturam, differentias, & causas, ac denique res omnes, quibus humanum corpus à naturali recedit constitutione, explicare. 3. *Serioticam*; Quæ tradit signa humanæ sanitatis, vel ægritudinis, latentium in corpore morborũ, & causarum, morborumq; euentuum. 4 *Theraupeticam*; Quæ indicat, qua ratione sanitati homo reddi, morbiq; ac eorum causæ, & symptomata depelli queant. 5. *Præseruatiuam*; Quæ indicat modum conseruandę præsentis sanitatis. 29. *Ex quinq; partibus Medicæ* artis peculiariter scire nouerit, & in praxi, *Differentias Pulsuum*, *Constitutiones temperamentorum*, *Vrinarum qualitates*; *Pondera*, *Mensuras*, *Dosesq;* medicamentorum. 30. *Cum Antiquiores Medici* consueuerint medicamenta ipsimet pręparare, si Medicus haud hũc antiquum morem, & opportunissimum sanitati ægrotorum restituendę amplecti nõ iudicet, nulla priuati commodi ratione habita (quod si solummodo attenderet gra-

grauiſſimè, & contra Iuſtitiam ſępe poſſet peccare) eligendum moneat Pharmacopolam pro medicamentis, qui in ea Ciuitate, vel oppido ſit pręſtantior in cognitione, ac praxi pharmacopeiæ, & qui medicamenta Suiſmet manibus componat ſaltem pręcipua, & quibus ſi aliquid plus addatur, vel minuatur, vel immutetur pręter pręſcriptũ, differendi longius morbi, vel etiã mortis adeundę periculũ facilè adiri poteſt. ***Nõ mirandũ***, quod morborũ curatio lõgius differatur, vel etiam tot intereant, qui videntur longius protracturi fuiſſe vitam ex corporis conſtitutione, morbique qualitate; quando iam multi Pharmacopolæ artem ſuam haud norunt, & quibuſdam imperitis, ac iuuenibus quandoque medicamentorum magni etiam ponderis compoſitionem relinquunt. 31. *Medicus in inuiſendis Pharmacopolarum officinis* non perfunctoriè, ſed attentè omnia obſeruet, reijciatque minus ſalutaria ægrotis futura; laudet verò illum Pharmacopolam, apud quem aptiora deprehenderit, illumq; cæteris præferat, vt hinc cęteri excitentur ad illum imitandum. *Caueat*, ne ex priuato aliquo commodo, vel ſtudio laudet minùs laudanda, anteponat illum, qui poſtponendus, poſtponatq; anteponendum; nam in hoc grauiſſimè cum obligatione etiam reſtitutionis damnorum errare facillimè poterit.

32. ***Ne, cum æquè opportuna*** ſunt Medicamenta, quæ minori emuntur prætio ac illa quę maiori, hæc iubeat emi ad quorundam Pharmacopolarum ſibi amicorum crumenas impendas. Exiſtimet, quemque, ſicuti libenter, vltroq; facit ſumptus neceſſarios, vtileſq; ad ſanitatem, & quantocius reſtituendam, ſic ſuperfluos odiſſe, niſi ſit e prodigorum genere: Quod ſi ex huiuſmodi aliquem reperiat, vitioſis annuere actibus haud eſt Medici virtute præditi. 33 *Si ſolus nouerit* aliquod medicamentum admodum ſalutare, in quo præparando ſit ſumptus admodum leuis, licet à diuitibus plus exigere poſſit, cum illud tamen minùs diuitibus, vel pauperibus vendit, miſericordiæ, & quandoq; etiam eleemoſinæ memor ſit. 34. ***Ne pudeat Medicum*** à quolibet, etiam ***Fœmina***, etiam *Ruſtico*, medicamenta diſcere ſalutaria. Idiotæ non rarò ſaluberrima norunt, & quæ faciliùs nonnullis morbis medentur, quam quæ norunt præſtantes etiam Medici, qui ab illis enimuerò in multis inſtitui poſſunt. *Meminerit*; integras nationes abſq; Medicorum ope vitam duxiſſe, ac protraxiſſe: diuturnioremq; ferri fuiſſe hominum vitam, cum tot medicinarum genera non erant inuenta: ac modo ſine illis Ruſticos ſanitatem tueri, morboſq; pellere. Ruſticos enimuerò conſulet etiam vltrò Medicus ſanitatis ſuorum Ciuium ſtudioſus. 35. *Sicuti à ſuperſtitioſis quibuſdam reuera Medicamentis* ſtatuendis, vel illis laudandis, approbandique abſtinere debet Medicus pius; ita nec ſtatim reijciat nonnulla, quæ a quibuſdam ſuperſtitioſa appellantur. Ad aliquorum inuidiam hæ voces quandoq; euulgantur. Cum dubitat, an aliqua ſint

ſuper-

superstitiosa, à peritissimis Theologis id petat, quibus omnes plane circumstantias medicamenti indicet, vt rectum ferre iudicium queant. Quæ si haud talia ab illis censeantur, ac cæteroqui vtilia, ea adhibeat de aliquorum verbis, vel oblocutionibus non sollicitus, publicans tamen haud superstitiosa censeri à peritis Theologis &c. *Vtile* foret, vt ipse sciret signa, quæ ferè euidenter monstrant, medicamentum aliquod esse superstitiosum. *Multi etiam sapientes* ignorant multos naturales effectus latentes in herbis, lapidibus &c. ideoq; superstitiosa quædam medicamenta appellant: Quidam verò Medici putantes, vel timentes, ne si illa adhibeantur, lucrum sibi minuatur, apud simpliciores quosdam, ac Deum magis timentes, has voces effundere queunt. 36. *Empirica medicamenta* non damnet vniuersaliter; neque enim negari potest, quin aliqua sint saluberrima, præseruentq; facilius à morbis, eosq; depellant, quam plurima quæ afferuntur à *Methodicis* Medicis, qui ob auaritiam aliquando in *Empiricos* inuehunt omnes; si quando Empiricum medicamentum minus felicem exitum habuerit, publicant, exaggerantque; & cum aliqui *Empirici* minùs in ea Arte sint periti, eorum imposturas, fallaciasque vltrò in medium proferunt, vt homines ab Empiricorum omnium medicamentis omnibus abstineant, immemores, sæpe quoque, quæ præscripta sunt à *Methodicis* medicamenta, mortem potiù, quam sanitatem attulisse, ac dignissima esse reprehensione aliquorum *Methodicorum* minus peritorum pręscripta ægrotis medicamenta. *Medicus Methodicus*, & *Empiricus* ita sua sectam amare debet, vt quæ in alia salubriora medicamenta teste experientia deprehenderit, laudet, approbet, velitque illa adhiberi. Finis vtriusque est sanitas hominis; & dummodo hæc restituatur, & celerius quam fieri possit, illaque custodiatur; fiat id an per hæc, an illa media, parum sollicitus debet esse Medicus quiuis publici amans cōmodi. 37. *Cognitionem* habeat *Sectarum Medicarum*; neque enim solummodo laudes habuerunt *Methodici*, vel *Dogmatici* Medici; omnes sectę suas peculiares habuerunt, habentque, ac merito, & in omnibus floruerunt pręstantissimi Viri; vtilesque omnes fuerunt, ac sunt. Pręstans Medicus *Methodicus* haud vllas spernat sectas; suspiciet illas potius, si earum Principia exactè norit, & nō prout ab aliquibus imperitis traduntur, vel etiam explicantur à maleuolis ad excitandam earum inuidiam: Quæ salubria ab vnaquaque traduntur, sumat, adhibeatq; nec nō gratum se illis exhibeat. Eadem prorsus pręstet *Empiricus &c.* 38. *Significationem Vocum plurimarum*, quas vsurpant Medici tum *Theorici*, tum *Practici*, notam habeat in primis; habent enim illi peculiares quasdam voces, quibus suam explicant doctrinam, quarum significatio ab ipsis tantummodo petenda, ac pręterea in vocibus

quibusdam eamdem rem significantibus à Philosophis ipsis differunt. *Sectæ* etiam *Medicorum* diuersas plures, ac peculiares adhibent voces ad ea, quę tradunt, manifestanda; quarum significatio occulta est illis, qui in tali doctrina non sunt versati; iudicant autem sub quibusdam non obuijs vocibus multa Medicinę arcana occludere instar Philosophorum: Ideoque nonnulli scioli verborum corticem tantummodo attendentes irrident (irridendi enimuerò ipsi) celebrium etiam *Chimicorum*, siue *Spagiricorum*, siue *Empiricorum* voces, quas in suis effatis, ac libris vsurpant, cum tamen à peritioribus multis laudentur. 39. *Medicus* aliquod Medicamenti genus in bonum publicum excogitet; pręter autem publicam vtilitatem, honorē, famamq; sibi perpetuam comparabit, & maximè, si multi non sit prętij, ac facilè parabile. 40. *Cum variæ sint Medicorum sententiæ*, eligat semper medicamentum tutius prę minus tuto; quod probabilius putatur allaturum sanitatem, prę probabili: nec vnquam adhibeat incertum, vel dubium, vel probabile, cum adest certum, nec dubium, cū adest probabile. Cum autem iam disperata est salus, dubium quoque, dum aliud non superest, adhibeat. 41. *Haud præ auaritia* tot ęgrotorum curam suscipiat, vt suo muneri, quemadmodum par esset, satisfacere non possit; vel ipse sibi minùs parcens in morbum incidat. 42. *Alios Medicos* honore prosequatur; haud illis prę inuidia, vel odio detrahat; illorum consilium, maximè in grauioribus morbis, libenter audiat, imò vltrò exquirat; & si in aliquo se errauisse ex ijs acceperit, errorem corrigat, nec in ęgrotorum præiudicium errorem suum inemendatum relinquat, nec excusare illum enitatur. Pręstantissimus etiam Medicus à minus quoque præstantibus multa ediscere semper potest. 43. *Cum ad ægrotum* inuisendum vocatur, illius curam suscepturus. *Primò* Accedat quantocius; multi enim morbi initio facillimè curantur, & facillimis quibusdam medijs, quorum curatio si aliquamdiu differatur, diuturniores fiunt, quibus extrema quandoque adhibenda sunt remedia. *Secundo* Hilari vultu, benignisque, alloquatur ægrotum verbis; à quo omnes, quas ipsemet ægrotus arbitratur fuisse morbi causas, accipiat. *Tertio* Intelligat; *Quandonam* primùm se præter consuetum minus rectè habere perceperit; *Quid* postea subsecutum; *Quid* ipse præstiterit &c. *Opportunissimum* foret, vt ipse notam haberet præcedentem illius non tantummodò *Victus*, verum etiam *Viuendi, Agendique* Rationem; nam ex diuersitate officiorum, occupationum &c. ne dum alimentorum diuersi oriuntur morbi. Sunt etiā extrinsecæ non raro morborū Causæ, quæ nisi tollantur, haud vnquam ægrotus perfectæ sanitati reddi poterit: ad has autem tollendas Medici Ars haud plerumque se porrigit; cui nec sæpe manifestari poterunt. *Quarto* Consideret Ægroti *Complexio-*

nem,

nem, Ætatem , Vires præsentes, Commoda &c. & huic indiuiduo in particulari ita Generalia Medicinæ Præcepta applicet, vt meminerit illa infinitas propemodum limitationes merito admittere propter varias ægrotorum qualitates, etiamsi febri vexentur simili. ***Quinto*** Induat affectum quemdam singularem in ęgrotum, qui in *ipsius manu*, ac diligentia *sanitatem suam , vitamque* reposuit : Et humanitatis quidem ferme omnis videtur expers ille Medicus, qui erga ægrotos huiusmodi *amorem quemdam* peculiarem, & quasi *paternum* non induat. In reuocandis ad praxim Medicæ Artis præceptis ab huiusmodi amore impellatur. ***Sexto*** Victus ęgroto rationem statuat; cuius non eadem illis etiam, qui eodem laborant morbo, decernenda; nam aliquibus naturæ magis robustæ, & *qui* largiori solent vti cibo, & in *quibusdam* educatis regionibus (præterquam diuersæ regiones diuersam quoque Victus in ægrotis rationem exigunt) dietę quædam insalubres sunt. ***Septimo*** A pręscribendis Medicinis , alisque consuetis Medicamentis, quæ naturę Vires debilitant quam maximè, licet aliquod leuamen pręsens afferrent, dum naturæ morbo pressæ commodè sine illis, vel facilius etiam, & sine dispendio, vel tanto saltem corporearum virium, opitulari potest, abstineat. ***Octauo*** Consideret *Syderum Coniunctiones , Eclipses , Lunæ* nominatim *Vicissitudines*, ac similia, quæ Astrologorum quidem sunt propria, sed quorum cognitio Medico omninò necessaria est, ne in medicamentis ęgroto certis diebus pręscribendis erret. ***Nono*** Proponat semper Edulia, ac Medicamēta ęgrotis, *Quæ illis gratiora sunt*, dummodo incōmodum graue haud sint allatura, licet minùs à Communi Medicorum sensu approbarentur. ***Decimo*** Inuisat ægrotum in singulos dies bis, aut ter, aut etiam sæpius pro morbi qualitate, & ea hora in qua exactiorem morbi *Symptomatum* notitiam habere poterit; eritque vtilissimum in morbis grauibus iubere, adesse semper aliquem, qui possit quęcumque ægroto contigerunt, vbi ab illo discessit, sibi fideliter narrare. ***Vndecimo*** Ad ęgrotum rediens de omnibus, quę ęgroto acciderūt post suam absentiam fideliter sibi velit narrari : ***Interrogetque*** : An omnia iuxta *præscriptum*, & ad *horam statutam* executioni mandata. ***Duodecimo*** Prudens Medicus coram ęgroto nihil proferat pro viribus, quod molestiam ęgroto sit allaturum : vitetque omnem etiam Corporis motum minùs gratum illi futurum. ***Decimotertio*** Cum morbus grauis vrget, aut ille inualescit, ***moneat***, vt alij vocentur Medici, & maximè pręstantiores, vel vnus saltem ex illis : Quod si ęgroti res familiaris non permitat, ipsemet Medicum aliquem sibi familiarem accersat, & cum eo consultet &c. ***Decimo quarto*** Cum spes est probabilis verè de recuperanda sanitate, iubeat tunc maximè ægrotum hilari esse animo; Cum autem desperata, vel ferè desperata est salus, moneat

moneat ſaltem per alios, vt quæ ſunt de *Iure Diuino*, ac *Naturali* in talibus circumſtantijs impleat, nec in illud vitæ diſcrimen adduci permittat ægrotum, in quo hæc executioni, vt par eſt Chriſtiano, mandari nequeant. *Decimo quinto* Opus ſummæ Caritatis exercebit, ſi ipſemet velit adeſſe; dum à Pharmacopola quædam medicamenta, in quibus videtur quaſi repoſita ſalus ægroti, conſtruuntur; & ſi ipſe Pharmacopolæam artem norit, ipſemet illa conficiat. *Decimo-ſexto* Se inconſulto omnino nolit etiam præſcript a præberi ęgroto medicamenta, dum ab hora, qua eadem præſcripta, inſolitum quid ægroto eueniſſet. *Decimo ſeptimo* Eſſet valde laudabile (quod præſtantiſſimos egiſse Medicos compertum eſt) vt Medicus, vbi aliquarum ſpatio hebdomadarum congruum ſtipendium in ſingulos, vel alternos accepiſſet, illud amplius à quocumque non admitteret, licet morbus procraſtinaret; inuiſeret tamen ægrotum, vt prius, ſollicitè: *Imò* à quibuſdam perſonarum generibus ſtipendium admittere eſſet animi à miſericordia alieni; quibus quandoque ſub p. m. ſine vlla prorſus mercede in morbis, ne dum Medicę artis præceptis, verum etiam interdum redditibus ſuis opitulari tenetur. *Decimo octauo* Si, vbi ab ægroto diſceſſit, animaduertit aliqua in re erraſſe, vel aptius medicamentum illi potuiſſe præſcribi, dum id executioni haud fuerit mandatum, reuocet illud, quod re ipſa incommodum ægroto futurum, & maximè ſi graue, attenderit; quod ſi non præſtiterit, poterit etiam contra Iuſtitiam peccare, pręcipuè cum id ſępè præſtare poſſit ſine vllo famę ſuæ præiudicio iterum reuiſens ęgrotum &c. Sicuti & contra Caritatem peccare poterit, dum loco ſalubris iam pręſcripti magis ſalubre medicamentum non decernit; & quò copioſius ſtipendiũ accipit, eo maiorem ad id contrahit obligationem. Etiam norit ſe grauiſſimè quoq; contra Caritatem, Iuſtitiamq; peccaturum, ſi ſubdolis artibus non ſolùm ſe Medicæ artis peritiſſimum, vel valde peritum venditabit, illius parum peritus; verum etiam ſi in quibuſdam morborum generibus verſatum ſemet prędicauerit, cum tamen illorum nullam, vel leuem notitiam habeat; Si de his interrogetur, quorum vel nullam, vel leuem habet notitiam, ad periores Medicos petentes remittat; ſi autem vrgeatur de conſilio ipſe, ſub dubio illud proponat &c. 44. *Proficiet ille in Medica arte*, qui vbi ab ęgrotis inuiſendis Domũ acceſſit, eorũ morbis iterum attentis ſecum perpenderit, *Quænam medicamenta imperata*; An *ſalubriora potuerint, poßentque imperari*; An *in aliquo erratum, quod poſſit emendari*; ſecumque meditans, & aliorum Medicorum libros euoluens decernat aliqua medicamenta poſtea ęgrotis miniſtranda &c. 45. *Quando deprehendit*, ægrotum nolle ſibi obſequi in ijs, quæ re ipſa iudicantur, ac ſunt illi opportuna, nec eſt ſpes probabilis, quod ſibimet ſit

obsecuturus, vel alij quoque curam infirmi habentes in rebus grauis ponderis haud sibi pareant, ad illum non accedat, cum perdat operam, oleumque. 46. ***Inter Medicamenta*** euitet illa præcipuè, quę ex multis diuersi generis composita sunt, ac illa. quę intus suscepta per se naturam potiùs debilitant, quam coadiuuant, plusq; damni, licet in pręsentia non appareat, quam commodi afferunt. *Recordetur;* naturam esse morborũ medicatricem, Medicumque illius Ministrum, quam rectè agentem imitari debet. Vniuscuiusq; ęgroti natura exploranda, illaq; fouenda, non deprimenda; vires illi proportionatę, dum est prostrata, vel debilitata, suggerendę &c. 47. ***Cum Consuetudo sit altera Natura,*** & *Consueta longo tempore,* & ***si deteriora per se, minùs tamen molesta,*** ac ***noxia esse soleant;*** Medicus demptis illis, quę re vera cognoscit esse ægrotis insalubria, nolit omitti consuetam viuendi rationem &c. imò obsecundet potius ęgroto aliquod medicamentum, vel aliquod cibi genus proponenti, dum re vera haud futurum illi valde incommodum putauerit. Ipsi ęgroto natura quandoq; suggerit vtilia futura, quę tamen sine Medici alicuius periti consilio haud adhibenda saltem plerumque, cũ ęgrotus facilè errare possit, etiamsi sapiens Medicus ipse foret &c. 48. *Illas Regulas,* quas peritiores Medici sequuntur, vel ad restituendam sibi sanitatem, vel potiùs ad illam conseruandam, alij doceantur quoque; nec illa remedia Medici alijs proponant ad sanitatem recuperandam, vel conseruandam, quæ nolunt ipsi adhibere secum, vel nollent secum adhiberi. Sapiens, cordatusque Medicus optare, & curare debet, ne morbi in alios irrepant, & si fieri posset, nullus morbo vnquam premeretur. Digni enimuero acerrima reprehensione, nedum ęterna damnatione, essent illi Medici, qui conquererentur, quod morbi, & frequentes, non vrgerent ciues, cuperentque vt morbi inuaderent Ciues, inualescerent in dies &c. Hi e Ciuitatibus essent expellendi; hæc enim indicant ***Ferinum, Auarumque Animum,*** à quo nihil aliud expectes, nisi longam morborum, qui breuì curari possent, curationem &c. Sic indigni forent Clericatu illi, qui mortem multorum cuperent, vt copiosiores eleemosinas obtinerent. 49. ***Quando cuique in votis esse solet,*** vt longius quam fieri possit, vitam protrahat, rationem illius protrahendę sedulò Medicus indaget, explicatis illis, quę ad id valde conducunt, dummodo non sint contra aliquod Ius Diuinum, aut Naturale &c. ac nominatim, ***Quæ Calidum, Naturale*** siue ***Innatum,*** & ***Humidum Radicale*** fouere, ac seruare queunt quam maximè. Ad id valde cõducere et obseruatio Rationis viuendi, quã secuti sunt plures, ***Qui ad centesimum,*** & etiam vltra annum, vitam produxerunt; & ***Qui*** licet naturè non adeò robustæ, vltra ipsius naturę exigentiam videntur longiùs vixisse. Videat quoque, an deperditus humor, calorque natura-

lis per

lis per aliquot annos reparari possit aliquo ciborum , vel medicamentorum genere &c. Humanum genus omne, ac meritò, sibi deuinciret, si aliquod salubre ad hęc inuentum excogitaret, afferretque in medium. 50. *Ita Practicæ Arti Medicæ* se tradat, vt etiam in *Theorica*, si fieri possit, excellat; perfecta enim cognitio medica vtriusque notitiam requirit, & nisi Theoricam calleat, sapiens Medicus enimuerò appellari non poterit iure merito : Cum autem huiusmodi scientia in suis conclusionibus practicis huic indiuiduo applicandis sit *Coniecturalis*, & valde incerta, eo etiam nomine, quod medicamentum modò existimatum opportunum, breuì possit euadere noxium; ideo attendat sedulò *omnes ægroti circumstantias, omnesque morbi qualitates*, vt possit pro viribus certum, verumque illi afferre remedium : Quòd efficacius præstabit, si eadem medicamenta, siue *Curatiua*, siue *Præseruantia* à Morbo cuique ęgroto imperet, *quæ sibi in tali corporis statu constituto vellet adhiberi*.



505

Illustriss. Reuerendiss. ac Excellentiss. D. D.

NICOLAO ALBERTO

GNIEVVOSZ AB OLEXOVO

Episcopo Vladislauiensi, & Pomeraniæ,

Senatori Regni Poloniæ &c.

Cuius Prudentiam singularem suspexit semper

Nobilissimum POLONIAE Regnum;

Venerandamq; Maiestatem

In Legatione, quam obijt nomine

Sereniss. CASIMIRI Poloniæ, ac Sueciæ Regis

Ad Summum Pontificem INNOCENTIVM Decimum,

Romana Curia nuper est admirata;

Qui *Amplissima* in cōplurib. *Oppidis*, imò & *Ciuitatibus*

Tum *Sæculari*, Tū *Ecclesiastica* potitus *Iurisdictione*

Nō se minus *Pijssimum* Pręsulem Ecclesiasticum,

Quam *Iustissimum* Principem Sæcularem exhibet;

Ac in regendis subditis eorum *Animæ*, *Corporisque*

Beneficia sibi tantummodo proposita habet;

Principi *Ethicis* omnibus, *Oeconomicis*,

Ac *Politicis* Virtutibus mirificè exornato:

Animaduersiones Quinquaginta

PRO ILLO, QVI IN MATHEMATICARVM ARTIVM

STVDIVM INCVMBIT

IVLIVS CLEMENS SCOTVS

E Comitibus Placentinis

Perpendens, *Mathematicarum* Scientiam *Disciplinarum*

Non solùm *Ciuilis*, verùm etiam *Ecclesiasticæ*

Reipublicæ *Commodis* esse valde opportunam

Venerabundus

D. D. D.

Caput Duodecimum.

1 S*Anctum Dionysium Areopagitam* peculiari prosequatur honore. 2. *Si quid in Sacræ Scripturæ libris* verè reperiatur alicui Mathematicorum Dogmati repugnans, norit hoc esse, falsum, nec à vero Christiano posse propugnari, tanquam verum; & si contrarium Mathematico certò est Catholicum effatum, omnem experientiam, quæ contra illud afferretur, esse fallacem, omnemq; rationem, quæ Mathematicè videretur concludere, esse sophisticam, siue errantem. *Si quid* etiam *Communi Patrum Consensu Sacras* interpretantium *literas*, tanquam fidei Dogma, receptum sit pertinens ad Mathematicas disciplinas, illud pro certo habendum, contrariumq; tanquam falsum, sine dubio reijciendum. Quis mundi Constitutionem melius nouit, quam ipsemet Deus, qui illum condidit, & maximè Constitutionem *Cælorum*, qui peculiariter dicuntur *Opera manuum Dei*, & in quibus præ cęteris corporeis eius admirabilis sapientia, atq; omnipotentia elucet? 3. *Intelligat*, non omnia, quę nonnulli etiam Theologi, & maximè parum periti in Mathematicis, contra quędam Mathematica effata pronunciarunt, esse in pretio, vel multo in pretio habenda; etiamsi dicerent, *ex Sacris Codicibus* se ea habere. Vndenam enim habetur, *Quod hæc, & non alia sit* eorum verborum literalis sententia? *Quod Sacræ literæ* non loquantur ad communem captum, siue secundum opinionem vulgi, siue secundum apparentiam, & secundum nos, vel metaphoricè, & per similitudinem &c. Sicuti in multis alij loquuntur? *Estne vnanimis* Patrum consensus, quod talis sit horum explicatio verborum? *Præterea*, licet vnanimiter consentirent S. Patres; docueruntne saltem tacitè, id ad Dogma fidei pertinere? *Estne* aliqua Concilij Generalis, vel Pontificis ex cathedra lex, quod talis interpretatio, & non alia, tanquam fidei dissona, & hæretica, admittenda sit? Quorumcumque sensus, imo & iudicium, si non sit legitimi Iudicis Controuersiarum Fidei à Christo constituti, nullam potest sententiam, vel opinionem reddere, tanquam certam de fide, ac necessariò ab omnibus fidelibus credendam, quæ antecedenter nō fuerit recepta, tanquam de fide ab Ecclesia Vniuersali. Aliquando tamen propter extrinsecas causas alicuius opinionis etiam Mathematicæ prohiberi potest publica doctrina, licet priuatim, & interno assensu illi adherere quilibet possit: Illis autem, qui illam oppugnant maior, minorue fides adhibenda est pro qualitate sapientiæ. 4. *Aliquas opiniones Mathematicas* nouerit posse à pio Mathematico sustineri, quæ *Cathegoricè*, & *Absolutè* prolatę essent contra *Sacros Codices*, si *Hypotethicè* sumantur; ex tali enim suppositione nihil verè infertur contra Diuina effata; imò potius arguitur Diuina Omnipotentia maior, cum dicatur, *Si fecisset Deus Mundum* cum tali corporum constitutione &c.

5. Per-

5. *Perpendat* Mathematicæ studiosus, ad Diuinorum cognitionem, & per consequens ad Dei amorem magis excitandum valde conducere Mathematicas Disciplinas; adeoq; par esse, vt peritior Mathematicus Deum, cuius perfectiorem prę alijs habet cognitionem, maxima veneratione prosequatur, illius mandata studiosissimè obseruans. 6. *Si quid ab Ecclesia* statutum fuerit circa nonnulla Mathematicorum Pronunciata ad fidem per se non spectans; obseruet sollicitè, *An* illæ leges receptæ fuerint, & *An* vbiq; *An* à consuetudine contra illas fuerit præscriptum; *An* fundentur in aliqua pręsumptione, quę in tali casu *Veritati* cedere possit &c. Legum autem istarum interpretationem, vel à praxi hominum Doctorum, Deumq; timentium, vel à pręstantibus, sincerisque Theologis petat. Cum autem non raro Pontificiæ etiam leges in probabili aliqua, vel probabiliori fundentur opinione; *animaduertat*, ex hoc non fieri, quo minùs contrariam possit quis amplecti saltem in foro interno. *Scandalum* tamen *pusillorum* cautè vitandum à Mathematico prudente, ac pio. 7. *Superstitiosas* quasdam *obseruationes*, ac *superstitiosos* quosdam ritus euitet pius Mathematicus. Si solùm apparenter, ac non verè aliqua superstitiosa sint, illa vitet in publico, atq; apud idiotas; vel scandalum tollat, asserendo ex doctrina etiam Theologorum illa haud esse talia &c. 8. *Ne Mathematicus* ea, quę verè Deus suę tantùm cognitioni reseruauit, scire velit; nam *opprimetur à gloria*, & in hoc, licet cæteroqui esset Sapientissimus, se insipientissimum enimuero declararet. Quænam autem sint talia, e *Sacra Scriptura*, *Communiq; Patrum traditione* accipiat. Potest quidem fieri, vt solum *Certa* quorumdam cognitio reseruetur Deo; non autem denegetur hominibus *Probabilis*, vel *Coniecturalis* aliqua eorumdem cognitio; illa sit Dei propria; hæc communicari possit creaturę. 9. *Ab illis opinionibus*, quæ inducunt *Fati* necessitatem iuxta Gentilium opinionem, abstineat: libera est humana mens, secus nec præmio, nec pœna essent illius actiones dignæ; nec per se Astris subiecta est: Et licet aliqua iuxta naturę ordinem, ac pręscriptum per se sequi debeant, Deus tamen non obligatur ad eas seruandas leges, potestque etiam rerum circunstantias variare, ex quarum variatione talis effectus, qui per se sequi deberet, haud esset secuturus: *Hinc* oramus Deum, vt pluat e Cælo, pluuiam suspendat &c. etiamsi talis Syderum constitutio, talis aeris temperies &c. pluuiam, vel non pluuiam exigant. 10. *Ne hoc studium quis omittat* eò quod aliqui Mathematicos plures, ac celebres pactum cum Dæmone, siue Commercium cum illo habuisse, & habere sentiant, dicantque. *Esto hoc sit, fueritue* nonnullorum Mathematicorum vitium; nonne idem commune fuit etiam alijs scientificis? Nec tamen propter hoc omissum studiũ Philosophiæ, Medicinę &c.

Hæ

Hæ voces aliquando ex odio, vel inuidia in celebres Mathematicos, effunduntur; sic etiam Sanctissimum Virum *Albertum Magnum* tanquam *Magum*, cum esset in rebus naturalibus exercitatissimus, habitum fuisse à nonnullis accepimus: Nec infrequenter imperiti Mathematicæ, ne coarguantur minoris illius peritiæ, has voces consultò proferunt, ad afferendam causam, quæ verè non est causa, propter quam in illam haud incubuerint, vel incumbant; *Alij* verò ignorantes naturæ, naturaliumq; causarum vires, effectus quosdam miros, occultosq; etiam sapientibus, ac nominatim illis, qui in cubiculis tantùm detenti soli contemplationi vacant, à malo Dæmone oriri putant. Compertum est, aliquos nō minùs in Mathematicis Disciplinis, quam in pijssimis moribus fuisse, ac esse valde illustres: *Quod autem aliqui aiunt*; pietatis, quæ exibent signa, esse apparentia tantummodò; *præterquam* huiusmodi verba sunt detractoria, & in re grauissima, idem de alijs aliarum scientiarum Professoribus dici posset, idemque crimen alijs appingi posset, quorum actiones sunt etiam minùs laudabiles, quam huiusmodi Mathematicorum. *Linguæ* huiusmodi *malignæ* vehementer detestandæ; *Verè* ipsęmet sunt impię. 11. *Ne ex eo* quod aliquorum Mathematicorum effata visa fuerint, vel videantur apertè falsa, errores continentia &c. Mathematicas disciplinas minori in pretio habebat; etiam multorum Philosophorum, ac aliquorum Theologorum, Medicorum &c. pronunciata veritati haud cōsona fuerunt, suntq; Nominatim Medicina Practica nonne multis exposita est erroribus, & Ars solùm coniecturalis verè est, quæ tamen laudatur, probaturq;? Non omnes etiam, qui Mathematicam profitentur, sunt veri Mathematici, illiusq; Principia tenent. Paucissimi sunt, qui huius scientiæ exactam habent cognitionem, maximè secundum illam partem, qua cæteris naturalibus scientijs dicitur sublimior, id est *Cælestia, Cælestesq*; influxus. Nec etiam ingens est numerus eorum, qui vera tenent Principia Philosophiæ, Medicinæ, Vtriusq; Iuris, Theologiæ &c. Debet ergo, qui vult in hac disciplina proficere, se celeberrimi alicuius Mathematici disciplinę tradere, & ab eo Principia illius discere; quę si quis exactè norit, quorumdam Mathematicorum imposturas, fallacesq, conclusiones cognoscet, & multa sapienter cōcludere peritiores cognoscet. *Euellendum* esset hoc vitium à multis, vt pote *Paci*, ac *Tranquillitati Communi*, imo non rarò etiam *Iustitiæ* contrarium; qui vituperant quod ignorant, cum cæteroqui illud laudandum, imò & suspiciēdum foret; quasdamque vulgarium etiam hominum opiniones sequuntur, licet se supra vulgus sapere arbitrentur, seq, in prudentū numero reponant. 12. *Ne ex eo quod Mathematici* aliquando fuerint e Ciuitatibus expulsi, minori in pretio habendam Mathematicam quis putet. Idem contigisse

509

etiam dicitur Philosophis, Medicis, Iurisconsultis &c. Aliqui forsan fuerunt digni hoc supplicio; & *vtinam* nulli modò etiam illo digni sint. Quorumdam inuidia, vel odium in Mathematicos hanc pœnam illis decernere potuit. *Mirabile foret*; si Magnates aliqui in Mathematicis valde versati, obseruationumque Mathematicarum studiosissimi, preseferrent in illas odium publicis etiam decretis. Verendum esset, ne hoc nomine id præstarent præsertim, vt ipsi soli Principes in tali arte haberentur, nec haberent facilè aliquos in ea sibi pares, vel superiores. 13. *Cum possit* esse controuersum, an aliquorum ad Mathematicam spectantium praxis possit sine peccato exerceri; sententia prudentum, ac sapientum Theologorum exquirenda, vel consulenda praxis hominum piorum, doctorumque. Ex ignoratione verorum istius artis Principiorum potest oriri cōtrouersia, an aliqua licita sint, quæ alioquin in controuersiam à sapientibus viris non vocarentur. 14. *Licet audiat* aliquos cæteroqui sapientes existimatos, ne *Philosophos, Iurisconsultos, Theologos &c.* vituperare *Mathematicos*, ne Mathematicas Disciplinas minori in pretio habeat: *Tum quia* illi; si sunt re vera sapientes, inuehunt tantummodò, & quandoq; non immeritò, in aliquos, qui Mathematicam profitentur quidē, sed adulterinam, suntue in illa parum periti &c. *Tum quia* etiam Mathematici, alijq; vituperant Philosophos, Iurisconsultos &c. *Tum quia* ex imperitia, vel inuidia &c. quandoq; hæ detractoriæ voces ortū trahunt. 15. *Attendat* sensus, *modosq; loquendi Mathematicorū celebriorum*, sæpe ac præ cæteris, quod sæpe ex *hypotesi*, non *absolutè* loquantur, sæpe cum *restrictiuis particulis &c.* Ex horū nō animaduersione multi errores tribuuntur Mathematicis, qui re vera non sunt illis adscribendi. Hinc inter *Astrologos* minori in pretio illos habeat, qui *Primò* Stellas, tanquam *Causas* (quod hæreticum etiam est) quam *qui Signa* humanorum effectuum liberorum existimarent. *Secundo* Qui in prædicendo euentu aliquo futuro, maximè libero, solum attenderent Sydera, Cęlestiumq; influxum; quam *Qui* adderent, attendendas etiam peculiares cuiusq; corporis, animique constitutiones, causasq; naturales inferiores. *Tertio* Qui punctum Natiuitatis principaliter, aut solummodo cum aspectu Syderum tunc occurrentium obseruant; quam *Qui* asserunt obseruandas quoque diligentissimè *Coniunctiones Magnas, Mediocres*, ac *Minores*, tum præcipuarū Stellarum errantium, tum Pseudostellarum, quę apparent de nouo, *Mutationes Absium Planetarum, Eclypses, Reuolutiones, Progressiones Magni orbis &c.* hęc enim inclinare queunt per suas influentias ad nonnulla aduersantia illis, ad quæ inclinabant Sydera, sub quorum aspectu aliqui orti, vel etiam concepti fuissent. *Quarto* Qui facilè, ac multa pronosticari volunt; quam *Qui* difficilęs se exhibent in prædicendo, ac in paucis suam artem

tem exercent ; hi enim sciunt attendenda esse non pauca , vt quis prudenter aliquod etiam leuiter probabile iudicium ferre possit de euentibus futuris &c. *Quinto* Qui *coniecturaliter* solùm se loqui apertè asserunt , cũ pecculiares effectus inferiores ex infinitis propemodum Causis etiã necessarijs, & quę naturaliter impediri queunt, nedum liberis, dependeant; quam *Qui* eos certò , ac infallibiliter futuros sentiunt, aut dicunt. *Sexto* Qui *conditionatè* loquuntur; hoc est qui asserunt v.g. *Quantum* est ex dispositione Causarum cęlestium, & dispositione talium temperamentorum humanorum , ac nisi impediatur vis inclinatiua Syderum, naturalisq; propensio , *hi effectus sequentur*; quam *Qui* loquuntur *Absolutè*, asseruntq; *Simpliciter, hi effectus sequentur*; & si imprudens esset tale pronunciatũ de effectibus futuris Contingentibus *Naturalibus* , multo magis de liberis. 16. *Tanquam Honestissimam Artem* æstimet Mathematicam ille maximè , qui ad illam edíscendam al quam habet propensiionem , in qua se exercuerunt Nobilissimi Viri, ac Principes Primarij, simulq; *vtilissimam* , tum in pace tum in bello ; & nulla quidem ex naturalibus videtur in multis maius commodum Reipublicæ prę Mathematicis scientijs afferre, vt quisque cordatus secum perpendere potest ; Nulla quoque ex naturalibus videri *iucundior* potest , maximè intellectui, eo etiam nomine , quod nulla scientia habet euidentiores , vel plures Demonstrationes , quam illa. 17 *Non quiuis* se existimet aptum ad Mathematicas, & maximè cum laude, addiscendas disciplinas. *Imaginatiua* præsertim *Vis* quædam ad illas requiritur, vnde & aliqui distinxerunt tres scientias totales, Physicam, Mathematicam, ac Metaphysicam penes *Sensus*, *Imaginationem* & *Intellectum*. Multorum ingenia , licet cæteroqui acutissima , & quæ laudem amplissimam consecuta sunt , & consequuntur, ac iure optimo , in Philosophicis, Theologicis &c. nõ sunt idonea, vel parum apta sunt ad Mathematicam, nec primum *Euclidis* librum norunt. Quod pertinet ad summam Dei prouidentiam erga huiusmodi homines ; facile enim multi superbia efferrentur, cæteroq; omnes despicerent , si se tot exornatos dotibus animaduerterent. 18 *Cum quis* Mathematicæ studio se tradit , existimet se incumbere in Artem Deo ipsi gratissimam, vt pote opportunissimã ipsius cultui, & cuius vsum olim ipsemet expressè iussit Hinc Mathematicus peculiare studium adhibeat in rectè disponenda Architectura *Templorũ, Monasteriorum &c.* Necessariã quoq; norit Ecclesiæ ad Festa Mobilia indicenda, ad Calendarium &c. 19 *Amplissimum esse Mathematicarum Artium* campum intelligat ; præter enim præcipuas scientias in quas immediate distribui Solet , hoc est *Geometriam Arithmeticam*, ac deinde in *Astronomiam, Opticam, Musicam*, & *Mechanicam* (quarum vnaquęque subdiuiditur in Speculatiuam ,

& Practicam, licet simpliciter omnes sex dicantur Speculatiuæ) plures aliæ sunt his subordinatæ: singulę autem ferè totum sibi vindicant hominem, qui laudem aliquam consequi velit. ***Geometria*** autem omnes pręcedere solet, quia tradit principia ferme communia reliquis scientijs saltem minùs principalibus; ac præterea per se videtur facilior. 20. ***Cũ iam abolita fuerit*** antiqua cõsuetudo discendi prius ***Mathematicas disciplinas***, quam Philosophiam, atque nominatim ***Geometriam***, & ***Arithmeticam***, quod ea etiam de causa fiebat, vt periculum fieret ingenij cuiusque; exilis enim ingenij argumentum esse censebatur, si quis plures Geometricas Demonstrationes, earumque Principia, ac numeros, qui abstrahunt à materia quanta, eorumque rationes, non perciperet; ***Imò*** Philosophiæ studium reliquis omnibus scientijs soleat pręponi à multis: ***Antiquum tamen morem*** ipse enitatur custodire, saltem quoad faciliores quasdam, & primas Demonstrationes, ***tum*** Geometricas, ***tum*** Arithmeticas; neque enim satis vnquam proficiet in *Philosophia*, ac nominatim *Aristotelica*, sine aliqua saltem mediocri vtriusq; scientiæ cognitione: neque Aristotelis textum satis aptè vnquam quis interpretabitur, si Mathematicis omnibus destituatur cognitionibus; vnde & aliqui illarũ imperiti interpretes turpiter lapsi sunt. ***Mathematicæ tamen studiosus intelligat etiam***, sine Philosophiæ cognitione videri Mathematicas disciplinas non posse satis, & exactè percipi, ac in pluribus errari posse, maximè dum Physica quædam tractantur: Nullus quidem negabit, quin saltem ad quatuor minùs principales Mathematicas scientias, hoc est, ***Astronomiam***, ***Opticam***, siue ***Perspectiuam***, ***Musicam***, ac ***Mechanicam*** (quæ dicuntur scientiæ Mediæ, siue ***Mixtæ***, eo quod sensibile aliquod includant, cum tamen à sensibili abstrahant Geometria, & ***Aritmetica***, licet simpliciter magis sint ***Mathematicæ***, quam ***Physicæ***) satis percipiendas necessaria sit alicuius saltem Physicæ partis cognitio, eaq; non leuis. ***Sicut*** Physicus quandoq; supponere debet aliqua e Mathematicis; ***Sic*** Mathematicus e Physicis. 21. Caueat eorum ***Mathematicorum morem***, qui Aristotelicę doctrinæ valde infensi omnem illum criminandi occasionem arripiunt, imò in absonum, contrariumq; illius menti sensum interpretantur, cuius textum quandoque nunquam forsan viderunt; eiusq; nominatim definitiones, ***vel*** non intelligunt, ***vel*** se non intelligere simulant, ***vel*** incongruum penitus sensum illis tribuunt: Si Aristotelẽ impugnare velint, eius verba omnia legant attente, explicationem ab ipso, vel à celebrioribus Peripateticis traditam in medium afferant, eamq; postea, si possunt, impugnent. *Aristoteles* quidem haud dignus videtur hoc Mathematicorum odio, quos audiendos esse, & quorum obseruationibus standum non semel docuit. Nonnulli Peripatetici huiusmodi

Mathematicorum odium in Ariſtotelem excitarunt, eò quod irriſerint, & exſibilauerint aliquot Mathematicos, tãquam ineptos, ignaroſque, & hoc ad tuendum aliquod Ariſtotelis effatum, quod erat dubium interdum, vel quod mutaſſet ipſemet Ariſtoteles (Peritior quidem ille in dies fiebat, & ſi diutius vixiſset, doctior ſemper euaſiſset) ſi ea quæ noſtris contigere ſæculis, nouiſſet, aut vidiſſet. 22. *Cum inter ſe* diſsentiunt Mathematici, & Philoſophi, in ijs quorum cognitio, ac inueſtigatio per ſe potiùs pertinet ad Mathematicos, quam Philoſophos, illis potior fides habenda; & e contra: Neuter tamen vnquam Demonſtratiuè concludet, ſi vel vni præmiſsæ ex auctoritate tantum peritiſſimorum etiam in tali ſcientia, cuius eſt illa præmiſsa, aſsentiatur. 23. *Non exiſtimet Mathematicus*, omnia Mathemeticorum effata eſse Demonſtratiua, vel Euidentia. Etiam celeberrimi Mathematici inter ſe diſſident, & in quibuſdam etiam ſenſui ipſi expoſitis. Quiſnam verò ſapiens cenſuerit, eſse Mathematicè euidentia illa, de quibus pręſtantes Mathematici inter ſe diſcrepant? Adhęrendum ergo; illis, qui certiores videntur afferre rationes, conformioreſque intellectui, ac ſenſui. 24. *Mathemathicorum ſectas habeat notas*, cum vniuſcuiuſq; ſectę Principijs, & Auctoribus, noſcens, *qua ætate* quis vixerit, *quo in loco* vixerit, *quantæ* fuerit *æſtimationis &c.* Principia talium ſectarum, ſi ſunt oppoſita, cum non poſſint omnia eſſe vera, poſſunt tamen videri probabilia; A diuerſæ aſſeclis *Secta* ſunt impugnãda *Contraria* Principia, nõ impugnandæ concluſiones, quæ ex talibus principijs non poſſunt ſæpe nõ euidenter deduci. Vt quis etiam multum in vna ſecta proficere poſſit, opus habet, vt aliarum ſectarum principia valde perſpecta habeat. *Aliqui*, dum alios oppugnant, ſatis clarè oſtendunt, ſe Oppugnatorum principia nõ tenere, ideoq; eorum ictus futiles ſunt. Hinc ſtomachum faciunt nonnulli ſcioli, & qui Mathematicã vix à limine ſalutarunt, dum nobilium Mathematicorum pronunciata irrident, ac futilibus, ineptis, ac interdum etiam ridiculis quibuſdam rationibus ea confutare ſatagunt, & id quandoq; ad aliorum genio indulgendũ. 25. *Ne quis ad literã interpretetur multas* a Mathematicis vſurpatas voces, ac maximè dum agunt de Cæleſtibus; neq; enim ſunt adeò inſani, vt exiſtiment ibi eſſe *Centauros*, *Piſces &c.* Significationem Mathematicarum vocum, & ad quem finem illæ fuerint impoſitæ, à Mathematicæ peritis accipiat. Ineptè faciunt, qui vocum Mathematicorum ſignificationem à *Lexicon communi* ſumunt; *Lexicon peculiare* Mathematicarum vocum eſſet conficiendum. 26. *Ne alicuius Philoſophi*, vel *Mathematici* ſummo detineatur ſtudio; nam hinc cauillationes, ac Sophiſmata excogitabit ad eludendas Mathematicas quandoque Demonſtrationes contra talis Philoſophi, vel Mathematici effata. 27. *Sicuti in pretio, & maximo ſunt habendi Anti-*

qui Mathematici, nec nisi honorifice de illis loquendum: *Recentiores* tamen multi quoque faciendi; nam aliquorum vsu instrumentorum aliqua deprehenderunt antiquioribus incognita, dignaq; accurata contemplatione, multaq; omnibus sex Mathematicis scientijs præclarissima, quæ antiquioribus haud venerant in mentem, addiderunt. 28. *Conetur imitari* illos Mathematicos, qui ad vniuersæ Reipublicæ cōmodum quædam excogitarunt valde vtilia, iucundaque, ac nominatim in Musicis, ac Mechanicis, & quandoq; etiam adeò ingeniosa, vt maximè propter ingeniosa Mathematicorum inuenta haud nostra sęcula sint antiquioribus postponenda, imò in multis præferenda. 29. *Modos arguendi* Mathematicos notos habeat. Habent illi peculiarem suam Dialecticam, quam ex eorum argumentandi modo colligere licet: *Analisis* est valde in vsu apud illos, estq; argumentatio validissima. 30. *Ne imitetur* eos Mathematicos, qui sese nimis efferunt, indigni hoc ipso laudibus, quę cęteroqui meritò illis tribuerentur. *Multò minus* insistat *eorum* vestigijs, qui aliqua tanquam à se inuenta publicant, quæ tamen ab alijs prius fuerunt excogitata, & alibi etiam manifestata, & quarumdam rationum nouarum, quas ipsi afferunt, voluntq; inuentores videri, Auctores non proferunt, licet non ignoretur, eorum libros legisse, & ab illis eas deprompsisse; *Nec illorum*, qui passim suas argumētationes, tanquam Demonstrationes, prędicant; *Multòq; adhuc minus* illorum, qui nouarum sectarum vellent Principes esse, vel eligi, parum solliciti de veritate, dummodo nouam instituant sectam. 31. *Immeritò conqueretur* ille Mathematicus, quod fides sibi non habeatur, dum ipse alijs Mathematicis, licet peritissimis, fidem non pręstat. *Maior fides* per se habenda illis, qui ingenuè profitentur, *se non exactè* obseruasse aliqua, *instrumenta*, quæ adhibuerunt ad obseruationem, non fuisse tunc valde exacta &c. dum alibi obseruationes suas proferentes non afferunt. 32. *Intelligat*, Mathematicos indigere longis obseruationibus, antequam quid certò pronuncient, maximè circa remotissima a nobis. *Hic* circa Cælos Mathematicus non temerè aliquid affirmet, aut neget. Plurima circa illos solis definiri queunt coniecturis. Eorum verum ordinem, statumque solus exactè nouit, qui illos condidit, Soli norunt Cælorum incolæ. Meritò igitur sapientiores Mathematici non asserunt tale *Systema Mundi* esse, sed Hypotesim faciunt, ex qua saluentur *Apparentiæ*, & loquuntur ex Suppositione, si orbes cælestes essent tali, vel tale ratione compositi, vel dispositi, saluarentur *Apparentiæ*; quæ vtrum aptiùs saluentur iuxta hoc, vel illud systema, controuersia est non leuis. His non dissentire dicuntur, qui finxerunt *Epyciclos*, *Excentricos*, *Concentricos &c.* neq; enim illu-

illuſtriores Aſtrologi illos admittunt re ipſa, ſed aſſerunt, *Si* adeſſent, & ita Cæli eſſent compoſiti, per illos motus ſaluari poſse *Apparentias*. In hoc quidem aliqui Aſtrologorum ingenium ſuſpiciunt, quod inter apparentes motuum viciſſitudines, & inæqualitates motuum potuerint certam determinare rationem, qua *Punctus Zodiaci*, ſub quo eſt *Planeta*, perpetuò inueniri queat. *Caueat* verò *Mathematicus*, ne in cubiculo Philoſophetur; alioquin, etiamſi foret aliàs peritiſſimus, facilè errabit, vt experientia alicubi iam patuit. Cum autem nominatim vniuerſa de *Cæleſtibus Rebus* diſciplina ex obſeruationibus originem duxerit, ad eaſdem confugiendum ſemper, dum de *Cælo* loqui ſapienter volumus. Hæ autem vt rectæ ſint, cum plurima requirant, quæ omnia difficillimè in vno tantum Mathematico inueniri queunt exacta, vt par eſſet; *Nonniſi* plurium, ac celebrium Mathematicorum, & maximè in diuerſis mundi partibus degentium, obſeruationes concordes videntur admittendæ. 33. *Haud agat* de Mathematicis quæſtionibus, qui earum principia non tenuerit, licet aliqualem habeat illarum cognitionem; nam in multos errores labi poteſt, qui poterunt alijs communicari propter aliquam exiſtimationem, quam de illarum peritia habeat. Multò minus *Phyſicus purus* agitet quæſtiones Mathematicas; ſæpè enim paralogizabit; vt etiam *Mathematicus purus* agens de Phyſicis: *Quare* vterque abſtineat à tractandis illis etiam incidenter, quorum cognitionem non habet, ac ingenuè fateatur, ſe talem ignorare ſcientiam, nec velle minùs rectè forſan pronunciatis etiam minus ſapientem auditorem decipere. 34. *Mathematicus* in multis, quæ nominatim ſpectant ad *Terram*, ac *Mare*, maiorem habeat fidem Nautis, & illis, qui Mare nauigant, & in Remotas Regiones concedunt, quam cuiq; Mathematico, aut Philoſopho in cubiculo ſpeculanti, vel in certis tantum Regionibus conſiſtenti. 35. *Naturam Planetarum* maximè perſpectam habeat, nō dumtaxat ſolitariè acceptorum, verùm etiam ſimul iunctorum, vel diſtantium, & ſub hoc Cęli tractu &c. Experientia quidem patet, quam niſi proteruus negare poteſt, ex coniunctione Felicium Planetarum felices ortus, effectus &c. ex Infelicium infelices &c. oriri: ſub hoc Planetarum aſpectu homines propenſos ad Virtutes, Arma, Literas &c. naſci, ſub aliorum e contra. Quis niſi mente cæcus nō videt, e varia ſyderum combinatione inter ſe varios, imò & oppoſitos effectus oriri in ſublunaribus propter peculiares influentias, quos ſcire expedit Reipublicæ cōmodis: Et ad hos quidē poteſt interdum Mathematicus teneri manifeſtandos. 36. *Quæ peculiariter quis obſeruauerit*, in medium proferat ad præſentium eruditionem, ac futurorum inſtructionem, maximè cum longiſſimo tempore debeant fieri obſeruationes in plurimis, vt quid legitimè concludens afferri ſapienter

ter possit. 37. *Mathematicus prudens, sapiensque,* dum inter celebres Mathematicos est aliqua controuersia, nulli litem adijudicet, non examinatis, ponderatisq; omnium rationibus; nec ex eo quod vnus plures habeat asseclas, pro illo stet. *Ratio* in Mathematicis præsertim primas obtinere debet partes. 38. *Animaduertat,* aliud esse probare, quod ex supputationibus, calculis, tabulis &c. non probetur v. g. *Cometas,* qui hactenus apparuerunt nõ *extitisse supra Cælum Lunæ;* aliud probare directè, quod *infra Lunam fuerint de facto*; adeoq; posse quem conari primum demonstrare, qui tamen nolit, vel non possit secundum demonstrare. 39. *Nisi planè sit acutissimo ingenio*, ac inter cæteros peritissimus Mathematicæ, Demonstrare aggrediatur illa, quæ hactenus moraliter omnes Mathematici iudicarunt actu Demonstrari non posse, quamuis potentia sint Demonstrabilia: Imprudentiæ accusari posset, qui Vires ingenij, quæ felicem exitum forsan haberent, si in alijs excogitandis eas impenderet, attereret in huiusmodi Rebus. 40. *Sit laboris amans,* nõ verò quarumdã deliciarum. Obseruationes multas & vigilias, & corporis quandoq; nõ leues labores Math. exigit. Ipse, si velit laudes meritas adipisci in Mathematicis, manum adhibere debet quoq; ad plurima, nec alijs fidem habere in illis, quæ potest ipse explorata habere. In illis, in quibus fidem tantum alijs habebit, opinatiuum Mathematicæ habitum acquiret. 41. *Habeat instrumenta artis* quam fieri possit affabre, & adamussim confecta, nec ea aliquando conficere ingenuo, liberaliq; homine minus dignum iudicet ad suum maximè vsum; globos Sphæricos tum Cælestem, tum Sublunarem, tabulas Geographicas &c. concinnè, & exactè compositas habeat; nec in hoc, si potest, sumptui parcat; secus enim in multos errores labi facillimè potest. 42. *Si in aliqua Mathematicæ parte excellere velit*, consulat illius peritiores tum libros, tum homines; celebres enim etiam Mathematici in aliqua parte solùm excelluerũt. 43. *Sciat non posse* Mathematices iure appellari illos, qui practicè solummodo sciant mensurare, computare, supputare, canere, machinas attollere, Ciuitatum propugnacula cõstruere. Sed illos tantum, qui sciant reddere rationem operis quod faciunt, siue in quo practicè exercent se ipsos, vel alios; vnde qui scit v.g. canere, rationem autem cantus ignorat, *Cantor*, non, *Musicus* re vera appellãdus est &c. 44. *Intelligat, nõ vnumquemq;* prorsus decere sine delectu quamlibet Mathematicam artem discere, vel tradere; Debetne Religiosi Viri v.g. tradere, vel discere artes muniendi Vrbes, deriuandi aquas, quædam tormentorum bellicorum genera fabricandi, nauticam, gladiatoriam &c. 45. *Sint valde cauti* in agendo cum Magnatibus, ac de illis loquendo. Erit prudentis Mathematici silere interdum quæ illis minus grata, aut molesta

leſta putat eſſe futura. *Præterea* haud contendat de Mathematicis cum illis Magnatibus, qui putarent, ſibi plaudentes, aliquam laudem in illis habere; nam Victoriam reportare denique vellent non rarò, ſuaſque argumentationes veluti Demonſtrationes putarent, Mathematici verò, licet cæteroqui celeberrimi, argumentationes ſolidas in paruo haberent prętio: Si autem Mathematicus celebris oſtendat, & maximè publicè, Magnatis argumentationes eſſe leuis ponderis, multoque magis ſub alieno nomine ſi illas Typis commendet, ac tanquam leues damnet, iram illius in ſe excitabit, quæ multa illius vitæ, ac honori incommoda afferre poſſet. 46. *Haud eos imitetur* Mathematicos, qui alios inſectantur tum verbis, tum factis. Aliquorum Mathematicorum laudes nonnulli Mathematicis videntur eſſe ſuæmet vituperationes. Cuique ſapienti debet eſſe in votis maximè, vt Reipublicę literariæ fines propagentur, & quiſque illos porrigere ſtudeat. *Vtinam nulli ſint*, qui cupiant penes ipſos eſſe tantum ſcientiarum Monopolium, ad priuatam ipſorum vtilitatem, & gloriam; & ad hoc ſub ſpecie etiam publici boni cæterorum ſapientum dicta omnia examinent, vt poſſint illos accuſare, reprehendere, & pœnas aliquas, ſi queunt, illis imponere, vel ſaltem curare; vndiq; eos calumniandi occaſionem arripiant; taceant laudanda, publicent vituperanda (nemo autem ſicuti ſine crimine non viuit, ſic neq; omnis prorſus erroris ſaltem materialis expers eſt) fingant nonnulla, iram potentum in eos etiam excitent &c. Quibus perterrefacti cæteri à ſcientiarum ſtudio vacent, cognoſcentes, ſi in aliqua excellant ſcientia, facilè inuidiam, odiumq; nonnullorum in ſe excitaturos, ſibiq; hinc damna potius, quam commoda importanda. *Amicitiam potius* quilibet Mathematicus etiam inſignis aliorum Mathematicorum, maximè celebrium in Chriſtiano orbe, curet; vt poſſit aliquas obſeruationes peculiares ab illis in diuerſis Mundi partibus degentibus intelligere, conſilium, ac ſententiam eorum exquirere, mutuam ſibi opem ferre in Mathematicis diſciplinis amplius illuſtrandis &c. 47. *Obſeruet maximè*, quæ ad *Solem*, *Lunamq;* attinent; ab his enim duobus luminaribus maximè mundus ſublunaris regitur: *videatque*, an Phyſicorum plurium effectuum cauſę, quas Philoſophi, ac Medici &c. ſatis idoneas afferre nequeūt, ipſemet ex hiſce Planetis eas Sapienter deriuare poſſit. 38. *Dum ex ſua arte*, ſiue ex illius principijs norit, poſſe priuato quoque homini aliquod afferre commodum, vel remouere ab illo aliquod incommodum, eum monendo, docendo &c. Sciat ſe peccare poſſe etiam grauiter contra Caritatem, ſi huiuſmodi officium omittat. 49. *Debet eſſe* Mathematicus remotus quam maximè ab auaritiæ crimine. *Recordetur*, Mathematicam abſtrahere à materia ſenſibili; Debet *Terra* ſordere illi,

cuius

cuius officium est *Cælos* aspicere, & cõtemplari. *Auaritiæ* notã peculiariter subterfugiat in spectãtib. ad Victũ, Vestitũ, suę Personę Dignitatem, Domus suppellectilem, Exigenda copiosiori pecunia pro suis effatis &c. 50 *Ne ita hæreat contemplationi* Mathematicorum obiectorum, vt suimet obliuiscatur, adeoq; damnum aliquod siue corpori, siue vitæ ex huiusmodi contemplatione reportet. *Cum Deus se* veluti Mathematicum ostenderit, omnia condens in *numero, pondere*, & *mensura*; in quibuscumque actionibus suis *Sapientissimum* hunc *Artificem* imitetur *Sapiens Mathematicus*.

Laus Deo B. Virgini Angelo Custodi, S. Petro Apostolorum Principi, ac S. Marco illius Discipulo Serenissimæ Reipublicæ Venetæ Patrono.

…a studioso.

…*uaritiæ* notâ pecu-
…tuę Perſonę Digni
…ri pecunia pro ſuis
…aticorum obiectio-
…quod ſiue corpori,
…et. *Cum Deus se*
…ondens in
…umque
…ic

…Petro Apoſto-
…ſcipulo Ser-
…ono.

519

IVI

PI

Qu

Bibliothec
Lectiones
Lectiones
Accedente
Vacante P
Disputant

PATAV
In